R. P. AC F. FRANCISCI FELICIS HISPANI,

Ordinis Minorum, regularis Obseruantiæ, Prouinciæ Castellæ, & in Conuentu sancti Didaci Complutensis Sacræ Theologiæ Professoris,

DE DIVINI VERBI INCARNATIONE TRACTATVS SINGVLARIS

ad mentem Doctoris Subtilis.

Curâ ac diligentiâ P. ac F. ÆGIDII NVBLE' *addictissimi Auctoris Discipuli, prodit in lucem.*



PARISIIS,
Apud IACOBVM QVESNEL, viâ Iacobæâ, sub signo Columbarum.
M. DC. XXXXI.
Cum Priuilegio Regis, & permissu Superiorum.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.
Domino Domino

EMERICO MARC
CENOMANENSIVM
EPISCOPO.

HI *characteres* (*Præſul Jlluſtriſſime*) *Magiſtri olim mei Doctiſſimi* Scripta *Theologica repræſentantes, penè iterum ſpectabile oculis exhibent Verbum Incarnatum: quod aſſumpto ſupremi Paſtoris officio, è Cælis dilapſum in Terras, Opilionibus imprimis diuulgatum, primum ab iiſdem honorificentiſſimè exceptum fuit. Non obſequerer ego huius voluntati, ſi hunc de ipſo Librum, à me in lucem editum, alteri quàm Paſtori Vigilantiſſimo dicatum vellem. Tu verò ille es, ſi vllus vſpiam, ſub Paſtore ſummo Paſtor Egregius,* Paſcens oues Chriſti, attendens vniuerſo Gregi, regens Eccleſiam Dei, Potens opere & ſermone. *Me quidem certè identidem teſtati ſunt Cenomanenſes tui, cùm iubente te aliquam apud eos opellam impende-*

rem, num & hic noster è Cælo venit? nonne Diuini Pastoris omni munere adamußim perfungitur? Enimuerò qualem illi quondam Pastores celebrarunt Christi recèns orti natalem diem? Exaudito nimirum Cæli nuntio aduolarunt ad mapalia, Paruulumque totiùs Mundi Regem Seruatorem, *vilibus pannis purpuratum, regio sublimem præsepi, infantili vagitu tonantem, tanquam Deum-hominem venerati sunt: sed Deum humanâ tunc magis formâ & miseriâ conspicuum. Tu, Pastoribus melior & fortunatior, Deum, inquam, hunc illum iam Gloriosum, non humano quidem habitu, at mortali statu exutum, nunc tamen denuò sub huius operis inuolucro Mortalibus pene visilem, dubio procul lætus Hospitem excipies, & in sacratiore tua Bibliotheca nostri Reparatoris typum hunc, in cordis Palatio Reparatorem ipsum libentißimè collocabis. Cùm splendor ille* Solis *increati, refulgens de fæcunda Matris Virginis nube, adluxisset Orbi vniuerso, gratißimus plerisque accidit, omniumque saluti: Idem Tibi donum pergratum fore confido, quod erit sanè cunctis Theologis perutile. Nec deerit nubes lucida quæ solares diuini illius Luminis radios sine vllo referat detrimento. Adest Reuerendi admodum Patris F. Francisci Felicis de Sacra Incarnatione præclarum Opus: Viri (mihi crede)* Ingenio, *Doctrinâ*, Soler*tiâ præpollentis. Vix in Hispaniâ, vix in Europâ, vix in Orbe repereris, aut in inueniendo iudicandoque* Sagacio*rem, aut in ordine ac methodo Clariorem, aut in exprimendis animi reconditißimis sensibus Feliciorem. Nec satis habuit, vt Astra cætera, lumen à Sole mutuari:*

ſed etiam ab illis aliis Sideribus, vbi nactus eſt de puriſ-ſimo lucis fonte limpidos ignes, ita deriuauit ad ſeſe, vt Fax ipſa, non flamma facis alienæ iure meritiſſimo dici debeat. Niſi quis malit Nutricis nomine inſignire, quæ cibos priùs in ſuam ipſius naturam permutat, dein Alumno de ſui ſãguinis rore largitur: (ſic enim iſte Codices ſacros, ſic Conciliorum Decreta, ſic Sanctorum *Patrum & Doctorum ferè omnium Volumina perlegit oculis & animo hauſit, vt poſt modum quaſi de ſuâ ſubſtantiâ lacteos diuinæ* Scientiæ *ſuccos effuderit latiſſimè, nouámque in medio Cælo Theologico Galaxiam mirantibus nobis oſtenderet: quam ego hodiè reliquis etiam Terræ Incolis detegendam curaui. Noua cedent Phænomena Iouialium, & Saturnalium Erronum; recentes pudebit Firmamenti* Stellas, *quas malè feriatus Aſtronomus fixit Cælo atque refixit. Hæ* fulgebunt (*præuidit Sapiens*) in perpetuas Æternitates. *Accipe igitur, Reuerendiſſime Antiſtes, beneuoli animi indicibus oculis, quibus omnes exhilaras, natum hoc ab Heſperiâ Lumen, tot tibi nominibus debitum; vtilitati publicæ tamdiu ſeruatum; peropportunum certè, gratitudinis erga te meæ, fidei, ac obſequij monimentum.*

Humillimus ſeruus
I. Æ. NVBLE' Minor.

IN NOMEN AVCTORIS.
Anagramma.

FRANCISCVS FELIX.

FIES LVX FRANCIS.

SVrgentem Hesperio cernis de Littore Lucem,
Quæ radiis spargit Lumina clara nouis?
Jlla mihi Franco iam proxima fulsit Alumno,
Hæc reliquis Francis maxima mox aderit.
Hanc Franciscus habet sub Cardine Clarus vtroque,
Qui Sophiâ Gallos lustrat, & Hesperios.
Ore suos proprio præsens illustrat, & absens
Externos calamo nos quoque Scriba docet.
Felix qui nostras rutilum Iubar edis in oras!
Non Lucis tantum Solis at instar eris.
Sol rotat æqualem nullo discrimine Lucem;
Hesperio & Gallo Tu Pater Æquus ades.
Inter cælestes Sol aureus emicat Ignes;
Inter Scriptores Clarior ipse nites.
Clarius haud vlli licuit proferre Volumen,
Scribere plus multis, clarius haud licuit.
Nullus in aduersum auderet maledicere Solem;
Audebit clarum Nemo negare Librum.
At Sol Occiduus, quantumuis clarus, habetur;
Occiduâ nunquam sorte Volumen erit.

Fecit addictissimus eius disciplinæ alumnus,
F. ÆGIDIVS NVBLE.

CANDIDO LECTORI.

EXTORSERVNT à me permulti hæc Sacra Commentaria, vt in tuam vtilitatem prælo mandarentur, nec eſt quod ipſorum animum accuſem, nec quod tibi inuideam: vtrumque enim cedit in gloriam Auctoris Clariſſimi, cuius & alia opera iiſdem ventis velificatura propediem, optato, vt ſperamus, portu feliciſſimè perfruentur. Interim his vtere, ſi lubet: & pauca quidem, quæ fortè incuriâ Typographorum irrepſerunt menda, aut excuſata facile ipſe perlegendo corriges, aut noſtro erratorum indiculo ſub finem appoſito, laborem ſubleuabis

VALE ET FAVE.

INDEX CAPITVM ET DIFFICVLTATVM QVÆ in hoc opere continentur.

CAPVT PRIMVM.

CAPVT SECVNDVM.

CAPVT TERTIVM.

CAPVT QVARTVM.

CAPVT QVINTVM.

CAPVT SEXTVM.

CAPVT SEPTIMVM.

CAPVT OCTAVVM.

CACVT NONVM.

CAPVT DECIMVM.

CAPVT VNEDCIMVM.

CAPVT DECIMVM.

CAPVT DECIMVM-TERTIVM.

CAPVT DECIMVM-QVARTVM.

CAPVT DECIMVM-QVINTVM.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

CAPVT DECIMVM-SEPTIMVM.

CAPVT DECIMVM-OCTAVVM.

CAPVT DECIMVM-NONVM,

CAPVT VIGESIMVM.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM ET VLTIMVM.

TRACTATVS

TRACTATVS DE INCARNATIONE.

INCARNATIO in vsu Theologorum, est vnio naturæ diuinæ & humanæ in vnitate personæ diuinæ, & de facto fuit in personalitate Verbi. De ea agunt Scholastici cum Magistro in 3. sentent. à dist. 1. vsque ad 23. exclusiuè: Ibi Subtilis Doctor, & omnes eius asseclæ. Sanctus Tho. 3. parte, à primâ vsque ad 26. quæst. ibi eius discipuli. De hoc argumento plures Patres disputant, quos videre est apud Recentiores. Hunc Tractatum per capita, & difficultates diuidam.

CAPVT PRIMVM.

De obiecto, & natura Incarnationis, eiusque possibilitate, existentia, conuenientia, & necessitate.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quodnam sit obiectum huius Tractatus, & vtrùm nomen Incarnationis sit exactum?

TRACTATVS huius obiectum est Christus Dominus, cuius scientia ad Theologum maximè spectat, cuius obiectum est agere de Deo, non solùm quantum ad rationem suæ naturalis perfectionis, vt disputatur 1. sentent. sed etiam quatenùs eius perfectio relucet in operibus Creationis, vt discutitur in 2. sentent. & quatenùs eius perfectio relucet in operibus restaurationis, vt agitur in 3. sentent. & Christus Dominus vt est noster Restaurator, & Redemptor, non solùm est homo, sed verus Deus.

Obiicies, de singularibus non est scientia, ergo neque de Christo qui singularis est. Respondeo primò, de singularibus contingentibus & variabilibus non est scientia, secùs autem de inuariabili & perpetuo, præcipuè si sit vnicum in aliquâ naturâ, vt est Sol; Et ita

ſe habet Chriſtus Deus & homo. Secundò Reſpondeo, ſcientia quæ naturali demonſtratione probatur, de qua agunt Philoſophi, non eſt de ſingularibus, ſecùs verò Theologia quæ fidei reuelatione nititur.

Iſtud nomen *Incarnationis* aliqui Grammatici abiecerunt, quia parum Latinum, imò aliqui Catholici eo vti formidarunt (vt notauit Athanaſius lib. de Incarnat.) ne viderentur fauere errori Apollinaris dicentis Verbum diuinum ſolam carnem & non animam aſſumpſiſſe. Sed hæc non obſtant, vt cum Eccleſia tali nomine vtamur. Primò, non quia parùm Latinum, quo vſi fuerunt tot Patres, vt Auguſt. Hiero. Leo, Cyprianus, &c. in linguâ Latinâ benemeriti: & licet nouum nomen ſit, nouis rebus noua nomina imponere debemus, vt voluit Cic. lib. 1. Academic. quæſt. & Hor. in arte Poëticâ, ſicut Eccleſia vtitur nomine tranſubſtantiationis ad ſignificandum nomen Euchariſtiæ.

Neque fauetur errori Apollinaris, nam ſumitur pars pro toto per figuram Synechdoches, vt communiter ſumitur in Sacrâ Scripturâ, Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt*, & Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam ſuam*, & hoc iure optimo, vt nobis commendaret. Primò, veritatem corporis Chriſti contra Manichæos, Marcionem, & alios. Secundò ſuam humilitatem, inferiorem partem nominando. Tertiò veritatem paſſionum & defectuum quos pro nobis aſſumpſit, propter quæ modò nõ eſt formidandum vti hoc nomine *Incarnationis*, cum ſatis declaratum ſit quid ſignificet, & nullum ſit periculum erroris, vt fuit tempore Diui Athanaſij.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Vtrum Verbum diuinum Incarnari ſit poſſibile?

CONCLVSIO affirmatiua eſt de fide; nam ſi Verbum caro factum eſt, ergo & poſſibile. Difficultas eſt in explicatione non repugnantiæ quæ ſic explicatur: nam ſi vnio naturæ humanæ cum Verbo in vnitate perſonæ repugnat, erit ratione extremorum; ſed non repugnat. Primò ex parte perſonæ aſſumentis, vt probat Scotus in 3. diſt. 1. § *de ſecundò dico*, quia ſi repugnat illi, vel quia eſt perſona diuina, vel quia eſt talis perſona, ſcilicet Verbum; non quia perſona diuina, quia terminanare dependentiam naturæ humanæ non infert aliquam imperfectionem, ſcilicet compoſitionem, ad quam requiritur actus & potentia, cùm perſona diuina non ſit actus informans, ſed terminus terminans: neque infert potentialitatem nec limitationem; quia per hanc terminationem, non eſt aliquo modo Deus contractus, nec minus potens ac priùs, ſed ſolùm infertur quod terminans hanc dependentiam ſit in ſe independens, & habeat entitatem talem, qualis requiritur ad terminandam illam dependentiã, quod habet perſona diuina. Neque eſt aliqua dependentia in perſona diuina, quia in illa non eſt aliqua relatio realis de nouo, ſed ſolum terminat relationem realem quæ eſt in natura humana, quæ terminatio eſt ens rationis in perſona diuina, & ita in illa non eſt potentialitas neque dependentia. Neque repugnat quia talis perſona Verbi terminat, & aliæ perſonæ non terminent; Nam licet quod conuenit naturæ diuinæ, conueniat omnibus perſonis, (verbi gratia) creare, &c. non tamen

quod conuenit vni personalitati, omnibus debet conuenire, vt patet; nam paternitati conuenit constituere Patrem, & non conuenit filiationi neque spirationi passiuæ, ergo potest conuenire vni personæ terminare, & non aliis. Ratio ergo quare quælibet persona potest terminare dependentiam naturæ alienæ, est, quia quælibet personalitas diuina est independens personaliter, & quodlibet independens in aliquo genere dependentiæ potest terminare aliud quod tali genere dependentiæ dependet. Ita Scotus littera, B; vbi littera, C, reiicit rationem Diui Tho. ad hoc probandum.

Obiicies 1. Incarnare est agere, ergo Incarnari est pati, sed Verbum diuinum nequit pati, ergo neque incarnari. Respondet Scotus, §. *ad argumenta*, quod incarnare, vt est actio, respondet passio, sed hæc non est incarnari, sed vniri vel assumi, licet grammaticaliter incarnari videatur esse passio huius actionis incarnare; & hæc actio vt transit in obiectum, transit in naturam humanam, quæ dicitur assumpta vel vnita.

2. Obiicies, omnis dependentia est ad independens, & absolutum, sed persona diuina vt talis non est absoluta, sed relatiua, ergo humanitas ab illa nō dependet. Respondet Scotus littera N. maiorem esse veram de dependentia causati ad causam, non verò de dependentia naturæ ad suppositum, ad quod sufficit relatio.

3 Obiicies, Deus est purus actus; ergo repugnat vniri, nam vnire dicit potentiam passiuam. Rursus, inter finitum & infinitum nulla est proportio, Verbum est infinitum, humanitas est finita, ergo non sunt vnibilia. Respondeo quod hæc potentia tantùm est grammaticalis, sicut etiam dicitur Deus cognoscibilis: nam actio incarnatiua transit super humanitatem quæ trahitur ad subsistendum in Verbo, ex quo nihil imperfectionis ponitur in Verbo: & licet inter Verbum, & humanitatem, nulla sit proportio quanti ad quantum, nec duplicis, ad dimidium; est tamen proportio dependentis ad independens.

Obiic. 4. Verbum perficit humanitatem, sed nequit perficere quin sit actus informans quod est imperfectio, ergo Verbum non vnitur. Respondeo quod Verbum perficit substantialiter humanitatem, terminando illam, quod nullam dicit imperfectionem.

Obiic. 5. Si Verbum vnitur, etiam dicitur quod generatur, sed generatio est mutatio, ergo Verbum mutatur, quod est impossibile. Respondeo quod Verbum dicitur generari per communicationem idiomatum, non tamen mutari, nam mutatio non fit nisi per formam internam, generatio enim in creatis est mutatio præsuppositiuè, quia semper præsupponitur mutatio per alterationem. Addo quod generatio denominat terminum, & ita dicitur Deus genitus; at verò mutatio denominat subiectum, verbi gratia, in creatis materiam primam, & in hoc mysterio humanitatem, & hæc dicitur mutata, & quæ conueniunt humanitati in abstracto, non prædicantur de Verbo, & ita nec per communicationem idiomatum dicitur Verbum mutatum. Addo 2. quod neque humanitas dicitur propriè mutata, nam ad hoc debebat duratione præcedere vnionem. vide Scotum in 3. d. 7. quæst. 1. § *ad argumenta*, vbi respondet ad hoc argumentum.

Quod non repugnet Incarnatio ex parte naturæ assumptæ, probatur ex Thomistis, quia humanitas est priùs natura, quàm personalitas propria, er-

go poterit Deus humanitatem assumere relicta personalitate. Sed contra, quia etiam genus est prius naturâ specie, & nequit esse sine specie. Ratio ergo est, quia natura singularis distinguitur realiter à personalitate, & ita poterit Deus sibi vnire naturam relictâ personalitate quæ inassumptibilis est.

Sed obiicies 1. eò natura est singularis quò persona, nam est singularis, quia per se existit, quod in natura intellectuali est personam esse; ergo non potest assumere naturam, quin personam assumat, quod est impossibile. Respondet Scotus quod per se existere, vt opponitur inhærentiæ in alio, est proprium substantiæ singularis; at verò persona vltra hoc addit esse per se incommunicabiliter, vt *quo*, & vt *quod*, & hoc realiter distinguitur à singularitate.

2. Obiicies. quia hæc incommunicabilitas quâ persona constituitur, est modus naturæ singularis, qui licet realiter distinctus sit à natura, est inseparabilis ab illa, ergo. Respondeo esse inseparabilem, ita quod iste modus nequit esse sine natura singulari, quia modus non est sine re, cuius est modus, benè tamen potest esse humanitas sine tali modo, cum sint realiter distincta.

3. Obiicies quod repugnat ex parte vtriusque, sic, Deus & creatura magis repugnant inter se quàm duo contraria, sed ista non possunt esse simul, ergo neque Verbum & humanitas. Respondet Scotus quod repugnantia non prouenit à maiori diuersitate, nam magis diuersa sunt superficies & albedo, quæ sunt diuersi generis, quàm albedo & nigredo, quæ sunt eiusdem generis; & superficies & albedo sunt simul, non tamen albedo & nigredo: sed ex op-positione quam non habet Verbum, & humanitas.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Vtrùm dicta possibilitas Incarnationis lumine solo naturali possit cognosci?

DICO 1. non potest ostendi ratione naturali quod hoc mysterium sit impossibile. Probatur, quia si non repugnat ex difficultate præcedentii, ergo nec est impossibile à parte rei, ergo neque conuinci potest esse impossibile. Et confirmatur, quia de fide est Deum factum esse hominem, ergo est verum, ergo non potest ratione naturali conuinci quod sit impossibile.

Dico 2. cum communi sententia neque ratione naturali sola potest probari possibilitas Incarnationis. Probatur 1. ad Ephes. 3. vbi Paulus vocat hoc mysterium *inuestigabiles diuitias Christi, & sacramentum absconditum.* Idem ad Coloss. 1. & 1. ad Corinth. 2. Ibi Leo. Ambros. de Incarnatione Verbi, Epistola 10. & 11. August. & Chrysost. &c. apud Recentiores.

Probatur ratione, nullum est medium ad hoc cognoscendum; nam neque est causa naturalis, neque etiam effectus per quæ cognosci possit, cum Incarnatio neque habeat causam naturalem, neque effectus naturales ab illa prouenientes. Deinde ad hoc cognoscendum requiritur, vt naturaliter cognoscatur omnipotentia Dei, & potentia obedientialis humanitatis; sed vtrumque excedit potentiam naturalem creatam, ergo nequit cognosci. Ex quo colligit optimè Suarez, quod neque probabiliter poterit Angelus cognoscere talem possibilitatem, sed si illi proponeretur hæc quæstio, vtrùm possibile sit Verbum incarnari, suspen-

deret iudicium ſuum, & nihil prorſus iudicaret.

Obiicies 1. Angelus comprehendit naturam humanam, & cognoſcit perſonalitatem eſſe à natura realiter diſtinctam, ergo ab illa ſeparabilem, ergo & naturam Deo vnibilem. Reſpondeo Angelum comprehendere humanitatem quantum ad prædicata eſſentialia, & proprietates, non tamen illius potentiam obedientialem quæ reſpicit Deum ſupernaturaliter operantem, niſi illi reueletur: & licet cognoſcat naturam realiter diſtingui à perſonalitate, non tamen cognoſcit poſſe eſſe ſine illa, ſicut neque quantitas poteſt eſſe ſine figura, licet realiter diſtinguatur. Neque cognoſceret, an poſſet perſonalitas diuina terminare talem naturam ſine imperfectione informationis, & compoſitionis; & ita nihil iudicaret, ſi prudenter ageret, & ſi iudicaret, diceret eſſe impoſſibile.

Obiicies 2. Angelus naturaliter cognoſcere poteſt reſurrectionem hominis eſſe poſſibilem, ergo Incarnationem. Reſpondeo negando antecedens, quia licet reſurrectio non ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam ſicut Incarnatio, eſt tamen quoad modum, & ita eius poſſibilitas nequit cognoſci.

3. Obiicies, ratio naturalis non dictat Incarnationem eſſe impoſſibilem, ergo dictat eſſe poſſibilem, quia inter poſſibile, & impoſſibile non datur medium. Reſpondeo negando conſequentiam; nam ratio naturalis in hoc caſu tacet. Quod ſi aliquis Philoſophus interrogatus de poſſibilitate Incarnationis attentè reſpondeat ex principiis naturalibus, deficiet, mittens falcem in meſſem alienam, quod falſum iudicium proueniret ex defectu luminis ſupernaturalis, & ita deberet tacere. Quando dicitur quod inter poſſibile & impoſſibile non datur medium; Reſpondeo ita eſſe à parte rei, & ſic hoc myſterium eſt poſſibile, tamen datur medium inter iudicare eſſe poſſibile, & eſſe impoſſibile, ſcilicet tacere & abſtrahere ab vtroque iudicio; nam iſta iudicia non ſunt contradictoria, ſed contraria poſitiua.

4. Obiicies, ratione naturali oſtenditur Incarnationem eſſe credibilem, ergo poſſibilem. Reſpondeo negando conſequentiam, nam aliundè ſumitur credibitas, aliundè poſſibilitas rei: Nam quod aliquid ſit credibile, prouenit ab extrinſeco, ſcilicet ab auctoritate dicentis fide digni: quod ſit poſſibile, ex propriis principiis internis prouenit; vnde poteſt homo fide dignus dicere rem impoſſibilem, & facere illam credibilem. Addo quod ad euidentiam credibilitatis requiritur reuelatio, & ita etiam vt oſtendatur poſſibilitas Incarnationis.

5. Obiicies, ratio naturalis poteſt attingere ſolutionem omnium argumentorum, quæ fieri poſſunt contra poſſibilitatem huius myſterij, ergo poteſt cognoſcere poſſibilitatem. Probatur 1. ex Scoto in 3. diſt. 1. quæſt. 1. vbi ſoluit omnem repugnantiam tàm ex parte aſſumentis quàm naturæ aſſumptæ, vt vidimus difficultate precedenti. 2. Probatur ex S. Thoma 1. parte quęſt. 1. art. 8. loquente de myſteriis ſupernaturalibus in communi.

Reſpondeo cum Vaſq 1. parte diſput. 11. cap. 30. quod ratio naturalis ~~probat~~ omnia argumenta ſoluere negatiuè, ſcilicet cognoſcendo quod talia argumenta, & principia eorum non conuincunt; non tamen poterunt ſoluere poſitiuè, ſcilicet oſtendendo quod principia eorum argumentorum ſunt euidenter falſa, & oppoſita euidenter vera, & ita Theologus ratione naturali poterit reſpondere negatiuè omnibus argumentis infidelium factis contra no-

ſtræ myſteria fidei. Ex his reiiciuntur Porphirius, Perſius, & alij Philoſophi qui ideò negabant poſſibilitatem Incarnationis, quia viribus naturæ cognoſci non poterat, nam vt dixi, ſolum ex reuelatione cognoſci poteſt.

DIFFICVLTAS QVARTA

An venerit Meſſias?

DE fide eſt Meſſiam veniſſe, quod nullus hæreticorũ negauit, quod ſi aliquis neget, facilè conuincitur ex Ioan. 1. cap. nam hæretici fatentur vetus & nouum teſtamentum, nam cum Samaritana dixiſſet, *Scio quia Meſſias venit*, &c. Chriſtus reſpondit, *ego ſum qui loquor tecum*. Et Matth. 16. ait Petrus, *tu es Chriſtus Filius Dei viui*.

Contra Iudæos negantes Meſſiam veniſſe probatur, quia videmus eos non habere Regem nec Ducem in temporalibus, imò neque eos eſſe in vno populo congregatos, ſed diſperſos per vniuerſum orbem, & abiectos, ergo impletum eſt illud Geneſ. 4.9. *Non auferetur Sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt.* 2. Probatur ex prophetia hebdomadarum, Danielis 9. quæ quidem hebdomadæ, ſiue intelligantur de annis lunaribus, ſiue ſolaribus, vt debent intelligi, iam ſunt adimpletæ illæ ſexaginta & nouem ab ædificatione templi Hieruſalem. 3. Probāt Patres ex 2 Aggæi, *adhuc modicum eſt, & veniet deſideratus cunctis gentibus*, & Chriſtus eſt iſte iuxta illud Hieremiæ 49. *Ipſe erit expectatio gentium*; Et illud modicum quis non videat eſſe adimpletum? Denique, quia in Chriſto adimpletæ ſunt omnes prophetiæ quæ erant in veteri teſtamento de Meſſia: Iſaias enim prædixit Conceptionem & Natiuitatem eius ex Virgine; Michæas Bethleem, locum eius natiuitatis; Malachias, Ioannem Præcurſorem eius, *Ecce ego mitto Angelum meum*; Iſaias 35 vitam & miracula; Zacharias 9. ingreſſum in Hieruſalem ſuper aſinam; omnes Prophetæ Paſſionem, & Mortem; præſertim Dauid Pſal. 25. *Deus Deus meus*, &c. Pſ. 3. Reſurrectionem, & Pſal. 7. Aſcenſionem, de quo latè noſter Petrus Galatinus à l. 4. vſque ad 11. de fidei arcanis; ex quo tranſcripſerunt Recentiores, & Suarez diſput. 1. per quatuor ſectiones.

Cum varia, & innumera ſint Sacræ Scripturæ loca, quæ contra hanc veritatem obiiciunt Iudæi, & difficile ſit omnia adducere, debemus ad ſolutiones communes recurrere. Et ita quando in Sacra Scriptura dicitur quod Meſſias dabit nobis abundantes diuitias, intelligenda eſt de bonis ſpiritualibus: & quando dicitur quod *tunc habi abit lupus cum agno, &c.* debet intelligi metaphoricè; falluntur enim Iudæi, quia ſolùm attendunt ad litteram occidentem, & non ad ſpiritum viuificantem. Quando verò Sacra Scriptura narrat aduentum Meſſiæ glorioſum, intelligitur de ſecundo aduentu ad iudicandum, non de primo: quod vt aliqui Iudæi explicent, fingunt duos Meſſias, vnum pauperem, alterum diuitem, quare valdè à ſcopo aberrant.

Dices, ſi Sacra Scriptura habet plures ſenſus, nimirum litteralem, metaphoricum, & ſpiritualem, ergo non habes efficax argumentum ad probandum Meſſiam veniſſe, contrà Iudæos, nam tunc Iudæi poſſent recurrere ad ſenſum metaphoricum, qui non ſignificaret Meſſiæ aduentum. Reſpondeo quod cum omnes prophetiæ debeant adimpleri, aliàs Deus eſſet mendax, quod nefas eſt dicere; hinc eſt quod prophetiæ quæ loquuntur de tempore aduentus, litteraliter debent intelligi;

& cum aliæ non possint in sensu litterali verum sensum habere, recurrimus ad alios sensus, quia omnes simul adimplendæ sunt, & ita in omnibus sensibus efficaciter arguimus contrà Iudæos qui vetus testamentum fatentur.

DIFFICVLTAS QVINTA.

Vtrum Messias sit verus Deus & homo?

MEssiam in lege promissum futurum esse verum hominem Iudæi nunquam negarunt, quippè ex semine Abrahæ, de tribu Iuda & Dauid, Deuteron. 18. ait Moses, *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me ipsum suscitabit tibi Dominus*, quæ verba intelligenda esse de Messia docuit Stephanus Actor. 7. coram Iudæis, qui non negarunt, sed illi assentierunt: tantùm hoc est probandum contra Valentinum, & Apollinarem Hæreticos negantes Christi humanitatem. Probatur ex Deuteron. 18. citato. 2. Probatur Ioann. 8. *quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, &c.* Et etiā probatur ex Natiuitate, Vita & Morte Christi quæ in Euangelio referuntur. Deniquè probatur ex fine Incarnationis; nam *sicut ex vno homine peccatum in omnes homines, ita ex vno vero homine, gratia*, ad Rom. 5.

Messiam esse verum Deum, non solum contra Iudæos, sed etiam contra hæreticos probandum est, primo contra Cerinthum, Carpocratem & cæt. ex Psalm. 101. *Initio tu Domine terram fundasti*, quæ verba de Christo intelliguntur, vt colligitur ex sequentibus, *tu exurgens misereberis Syon*. Et ipse Christus ex Psalm. 109 probauit contrà Iudæos Matth. 22. dicens, *Cuius Filius est Christus?* Dicunt ei, *Dauid. Quomodo ergo Dauid vocat eum Dominum dicens, dixit Dominus Domino meo, & nemo poter. ei respondere.* Vbi Caldæa vertit pro *Domino meo*; *Verbo suo*. & si tunc confusi fuerunt Iudæi, modo etiam confundantur, propter quod multa omitto in Recentioribus videnda.

Obiiciunt illud Deuteron. 18. vbi ait Moses, *suscitabit Prophetam sicut meipsum*, sed Moses non erat Deus, ergo neque Messias. Respondeo cum Tertullian. lib 4. contra Marcionem cap. 22. quod dicitur Messias similis Mosi in natura humana, & quia erat perfectus Legislator, &c. non tamen in omnibus: & licet ibi Messias non dicatur Deus; non tamen negatur, nam non semper opus est vt in sancta scriptura diuinitas asseratur. Maior difficultas sumi potest ex verbis sequentibus, *ipsum audies, sicut petisti à Domino Deo tuo in Oreb, quando dixisti, vltra non audiam vocem Domini Dei mei*, Exod. 2. Ex quibus videtur sequi Messiam non esse futurum Deum: nam Iudæi volebant audire Messiam, & nolebant Deum audire. Respondeo quod Iudæi nolebant Deum audire cum terrore & maiestate, Exod. 2. sed volebant Messiam audire quamuis esset Deus, quia simul erat homo humilis, & mansuetus.

Probo 2. contra Theodotum, & Paulum Samosatensem Hæreticos, Messiam esse Deum, Ioan. 8. ait Christus *antequam Abraham fieret, ego sum*; Et Ioann. 10. *Ego & Pater vnum sumus.* & Paulus ad Roman. 9. *de Christo qui est Deus benedictus*, Denique Ioan. cap. 1. scripsit suum Euangelium contra hunc errorē, *Verbum erat apud Deū, & Deus erat Verbum* (& subdit) *& Verbū caro factū est.*

Respondet impudenter Erasmus, quod cum dicitur, *Verbum erat apud Deum*, in Græco legitur cum articulo, ita, *apud hunc Deum*, vt significetur sermonem esse de vero Deo: sed cum dicitur, *Deus erat Verbum*, non est

articulus, *hic*, in Græco. Sed contrà, quia licet *Deus* ponatur sine articulo, significat verum Deum, nam eodem cap. dicitur, *fuit homo missus à Deo*, vbi vox, *à Deo*, est sine articulo & significat verum Deum. Deinde si diceretur *hic Deus erat Verbum*, cum articulo, *hic*, non denotaretur distinctio Patris, & Filij, quod etiam intendebat Ioannes, nam significaret quod Pater esset Filius. Denique ad Rom. 2. & 1. Ioan. 5. *Christus* dicitur, *hic Deus*, cum articulo.

Petes quomodo conuincendus sit Paganus & Gentilis negans hoc mysterium, qui non recipit Sanctam Scripturam. Respondeo quod ratione naturali cōuinci non potest, tantùm probari potest esse credibile ex miraculis, ex concordiâ, ex auctoritate dicentium, &c. de quo Tractatu de fide.

2. Probatur ex S. Scriptura quæ seruata est à Iudæis in initiis Christi, in qua est hæc veritas.

3. Ex prædictione Sibyllarum Gentilium quæ multa de Christo prædixerunt, vel quia legerunt libros Prophetarum, quibus fidem saltem humanam adhibuerūt, vel quia diuinitùs fuerunt instructæ, quod est verisimilius, de quo Aug. 18. de ciuitate Dei cap. 23. Lactant. l. 4. cap. 15.

Pro huius mysterij explicatione plura adducuntur exempla ab auctoribus, quæ reiicit Faber in 3. disp. 1. c. 2. congruentius est adductum à Scoto q. 1. §. *de primo dico*, vbi ait quod in accidenti duplex est habitudo, vna tanquam formæ ad subiectum quod informat, & arguit in subiecto imperfectionem, scilicet potentialitatem: altera est ad subiectum tanquam ad sustentans ipsum accidens, & hæc habitudo dicit in subiecto perfectionem, scilicet virtutem ad sustentandum, & in accidenti dicit indigentiam sustentationis; & huic secundæ habitudini est similis Incarnatio: nam Verbum sine imperfectione sustentat humanitatem, & humanitas dependet à Verbo in sustentatione, licet sit differentia, quod hîc non est inhærentia, quæ repetitur in accidenti.

DIFFICVLTAS SEXTA.

Vtrùm intellectus creatus ex viribus naturæ cognoscere possit hoc mysterium iam factum?

SVpposito quod futuritio huius mysterij nequit ab intellectu creato cognosci sine reuelatione, quia *quæ sunt Dei nemo cognoscit, nisi Spiritus Dei*. Difficultas est de mysterio iam existente: & certum est quod ex naturalibus intuitiuè nequit cognosci; nam necesse esset Verbum cognoscere, quod cum sit obiectum voluntarium, vt dixi Tractatu de Visione, non cognoscitur nisi velit se manifestare: sed difficultas est de cognitione abstractiuâ, & arguitiuâ vel mediatâ ex aliquibus principiis, vel euidentibus, vel probabilibus; vel immediata per propriam speciem, & difficultas est de intellectu separato: nam intellectus corpori immersus cum pendeat à phantasmatibus, non poterit cognoscere mysterium, de quo non datur phantasma.

In quo sensu est 1. sententia dicens posse intellectū viribus naturæ cognoscere hoc mysterium, saltem arguitiuè, & quod Dæmones de facto non cognouerunt, quia à Deo fuerunt impediti. Pro hac sententia citatur Scotus in 4. dist. 16. quæst 8. § *ad argumenta*, littera, M, sed immeritò, nam Scotus tantum vult quod poterant Dæmones cognoscere integritatem Virginis, sicut tactum digiti ad digitum, quod verum est, nihil tamen dicit de Incarnatione;

&

& nota quòd ibi Scotus loquitur de cognitione intuitiua. Hanc sententiam tenet Rada 2. parte contro. 8. art. 4. Conclusione 5. Insinuat Faber in 2. dist. 36. cap. 2. numer. 5. citat Scotum in 4. dis. 46. quæst. 4. ad 2. principale, vbi nihil de hoc. Hanc sententiam notat, vt temerariam & erroneam Cabrera disput. 4. §. 1. immeritò tamen, cum sit valdè probabilis, & ego illam sæpiùs defensaui.

Secunda, & vera docet non posse Angelum, neque intellectum separatum cognoscere ex viribus naturæ hoc mysterium, sic sanctus Tho. 1. p. quæst. 57. art. 5. ibi Thomistæ, Molina disp. 1. Suares lib. 2. de Angelis cap. 29. Vasq. disp. 214. cap. 3. & alij. Probatur: nam ad cognoscendum hoc mysterium secundùm suam entitatem, debent cognosci humanitas, vnio, & verbum; sed neque vnio, neque verbum cognosci possunt ex viribus naturæ, ergò. Probatur minor; nam vnio non cognoscitur cum sit relatio, vt suppono, nisi cognoscatur terminus, vt docet Scotus quodlibet 14. litera DD. terminus, qui est verbum, cùm sit obiectum voluntarium, non cognoscitur ex viribus naturæ; ergo neque hoc mysterium.

Pro 1. sententia objicies 1. Scotum dist. 10. citata, & alibi dicentem obiectum adęquatum intellectus separati esse omne ens, etiam supernaturale, quo fũdamẽto, dixi tractatu de angelis, posse angelum naturaliter cognoscere mysteria gratiæ actu existentia. Respondeo verum esse de mysteriis, & obiectis, quæ non dicunt ordinem intrinsecum ad aliquid increatum, vt rectè notauit Faber in 4. disp. 43. cap. vlt. incarnatio verò inuoluit verbum, quod est obiectum voluntarium & nequit viribus naturæ cognosci.

2. Objicies angelus ex viribus naturæ cognoscit omnia obiecta creata: ergo cognoscit personalitatem creatam, quando existit; ergo & carentiam eius, nam secundum quando non existit, Aristotelẽ 2. de anima textu 103. visus est luminis & tenebrarum: id est, eadem potentia percipit habitum & priuationem eius; cognoscit ergo Angelus, cum videat actiones rei subsistentis, humanitatem Christi subsistere, & non subsistentiâ creatâ, quia ipse illam videret, ergo optimè colligit, ergo subsistit aliqua subsistentia diuina. Respondeo concedendo Angelum cognoscere ex effectibus talem humanitatem subsistere: cum verò dicitur, non videt subsistere subsistentia propria; respondeo quod in sententia probabili dicente personalitatem consistere in duplici negatione, non cognoscebat angelus carentiam talium negationum: nam hoc debebat cognoscere per communicationem, quam habebat humanitas; & cum hæc esset ad verbum, & verbum ex naturalibus non cognosceret; neque communicationem, & ita potius ex naturalibus iudicaret, quòd erat incommunicata: At verò in sententia affirmante personalitatem esse aliquid positiuum, verè cognosceret angelus se propriam subsistentiam ibi non videre, non tamen euidenter cognosceret ibi non esse: nam poterat occultari à Deo. Addo quod licet cognosceret ibi non esse subsistentiam creatam, non tamen euidenter cognosceret esse diuinam: nam ad hoc non habebat medium, cùm ex naturalibus non cognosceret esse possibilem talem vnionem, & ita suspensus maneret, nisi iudicaret Deum illi creatam personalitatem occultare.

Petes vtrùm intellectus separatus ex miraculis quæ Christus operabatur, poterat euidenter cognoscere Christum esse Deum & hominem.

Respondeo quòd ex miraculis præcisè, minimè, quia quilibet minister Christi poterat eadem & maiora patrare, iuxtà Ioan. 14. *Qui crediderit in me, opera quæ ego facio, ipse faciet, & maiora horum faciet.* si verò ipsa miracula coniungantur vaticiniis Prophetarum de Christo venturo, & quæ à Christo fiebant in confirmationem suæ doctrinæ, qua se Deum & hominem prędicabat, euidenter conuincebant esse credibile Christum esse verum Deum & hominem, & hoc docet Scotus in 3. dist.20.§.3.ad 1. in fine. Suares disp. 3. Sect.3. & Ratio est quià illa miracula, sola Dei voluntate fieri poterant, & Deus affirmabat, quòd fiebant in confirmationem, quòd Christus erat Deus & homo; ergo cum Deus nequeat nos fallere, euidenter colligitur illud esse credibile. Vnde colligit Scotus citatus quòd quando Dæmones ignorabant Christum esse Deum, instigauerunt Iudæos vt crucifigerent, postquàm verò cognouerunt, intellige argutiuè, esse Deum, persuaserunt contrarium per vxorem Pilati, Matth. 27. *nihil tibi & Iusto illi*, &c.

Dices 1. ad Corint. 2. *si cognouissent, numquam dominum gloriæ crucifixissent.* Respondeo 1. hæc verba intelliguntur ab Origene & Tertulliano de Iudæis non de Dæmonibus. 2. Respondeo cum Scoto in 4. dist. 10. quæst. 8.§.*ad argumenta*, ante literam, N. nunquàm crucifixissent, id est, nunquàm me redimi eius morte procurassent: benè tamen, ait Scotus in 3. citato, voluissent ipsum mori sine redemptione humani generis, si fieri potuisset.

DIFFICVLTAS SEPTIMA.

Vtrùm Deum Incarnari fuerit omninò conueniens.

DVpliciter potest aliquid dici conueniens alteri, 1. absolutè & in se, 2. in ordine ad aliquem finem, & in hoc secundo sensu, idem est conueniens quòd vtile, de quo statim in primo sensu.

DICO 1. conueniens fuit Deum incarnari, non quià ex hoc adueniret Deo aliqua perfectio intrinseca; nam solùm illi venit aliquis honor, cultus & gloria, quæ Deo extrinseca sunt, sed quià fuit iuxtà exigentiam suæ naturæ. Probatur: nam per incarnationem fuerunt Dei attributa manifesta, vt ait Damasc. 1. fuit sapientia, quia cogitauit modum inexcogitabilem, quo vna persona esset Deus & homo. 2. Potētia efficiendo opus supernaturale omninò. 3. Iustitia, ità vt Deus ignosceret peccata, non tantùm liberaliter condonando, sed etiam accepta perfecta satisfactione.

Dices, maior conuenientia esset quod gratis nos redimeret. Respondeo negando; nam maior gratia est dare nobis suum filium. 2. quia iniustitia est tradere innocentem, propter nocentium salutem. Respondeo esse verum quando est contrà voluntatem innocentis, & quando traditur ab eo, qui non est dominus vitæ: Christus verò *oblatus est, quia ipse voluit*, & Deus est Dominus vitæ Christi, sicut & omnium.

4. Ostenditur charitas vt *ita Deus mundum diligeret vt filium suum vnigenitum daret.* 5. Eius bonitas, quæ ex natura sua est sui ipsius diffusiua. Diuus Dyonisius lib. de diuinis nominibus. ergò cùm Deus est summum bonum, summoperè debebat communicari; sed incarnatio est summa communicatio saltem intensiuè, ergò conueniens erat quòd incarnaretur in natura rationali.

Contrà hoc 4. obiicies 1. quià non omne bonum conuenit Deo: nam mugire est bonum & non conuenit Deo.

Respondeo quòd est bonum mugire respectu illius naturæ quæ exigit talem actionem, Deus verò non exigit, & ità non est illi bonum, 2. Obijcies communicare se aliis non est proprium boni, aliàs Deus qui ab æterno non se communicauit, non esset absolutè bonus. Rursùs, quod est proprium boni necessariò per se illi conuenit, sed Deus non necessariò, sed liberè se ad extrà communicat; ergo communicare se aliis, non est proprium boni. Respondeo, quando dicitur quòd est proprium boni se communicare, id est, consonum bono, & iuxtà exigentiam suæ naturæ, sicut dicitur proprium est agentis naturalis generare sibi simile, id est, iuxtà eius exigentiam, neque requiritur quod illud quod est alicui consonum, sit eius perfectio: nam generatio non est perfectio generantis, sed geniti, licet in generante præsupponat perfectionem, nimirùm virtutem; neque generare conuenit generanti necessariò, sed contingenter: ita licet Deum se communicare non sit illi perfectio, nec necessariò illi conueniat, dicitur quod est illi proprium, quià est iuxtà exigentiam suæ naturæ.

3. Incarnatio non est summa communicatio: nam maior esset si tres diuinæ personæ sese incarnarent, vel verbum plures naturas assumeret. Deindè quia maior communicatio est qua Deus beatis communicatur, cum qua beatitudine non compatitur miseria aliqua, quæ compossibilis est cum incarnatione, nam in Christo fuit dolor, tristitia, &c. Respondeo ad 1. probationem, quòd maior esset communicatio extensiua, non verò intensiua. Ad 2. Respondeo quod in beatitudine Deus per modum obiecti, & accidentaliter communicatur; at verò in Incarnatione substantialiter, & in vnitate personæ; cui vnioni debentur saltem de congruo omnes gratiæ & ipsa beatitudo.

Dico 2. Incarnatio fuit valdè conueniens naturæ humanæ, siquidem ipsa est summo affecta honore, & adoratur latria, & Christus constitutus est in illa natura humana, caput hominum & angelorum, & innumeris gratiis & donis supernaturalibus fuit illa natura insignita.

Dices, natura humana habet appetitum naturalem ad propriam subsistentiam; ergo in verbo est violenta, & ita illi non fuit conueniens. Respondeo quod licet sit violenta secundùm appetitum innatum, non tamen secundùm elicitum secundùm quem vult quod melius est, & ita absolutè non est violenta, sed tantum secundùm quid, de quo alibi.

Dico 3. Conueniens fuit toti vniuerso; nam homo secundùm Gregorium hom. 29. in Euangelia cum omnibus rebus in aliquo conuenit; habet esse commune cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis, & ita si homini conuenit, toti vniuerso fuit conueniens. Deindè, quia vt sic essent in vniuerso generationes omnibus modis; erat enim generatio ex patre sine fœmina, nimirùm æterni verbi: fuit generatio ex viro & fœmina, vt est nostra; fuit etiam generatio sine viro & sine fœmina, vt productio Adæ: deficiebat vt esset generatio ex fœmina, sine viro, & hæc fuit Christi Domini. Rursùs est in vniuerso vna persona in vna natura, vt in nobis contingit; sunt etiam tres personæ in vna natura, diuina scilicet in Deo; deficiebat ergo vt esset vna persona in duplici natura, scilicet diuina & humana.

Dices, conuenientius esset, vt assumeret plures naturas humanas, vel assumeret Angelicam, quæ perfectior est

humana. Respondeo ad 1. negando, quia non esset vnitas capitis in Ecclesia, quod esset inconueniens. Ad 2. potius conueniens erat assumere humanam. 1. vt eius potentia manifestaretur, quod infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia 2. vt per eandem naturam repararet lapsum, & diabolum vinceret.

Dices 2. Incarnatio facta ita vt Christus tot labores & ærumnas pateretur, fuit prodiga, cum potuerit Christus vnico opere superabundanter satisfacere. Respondeo quod donum quod respectu hominis plebeij est prodigum, respectu regis est liberale: Deus qui est summus rex & Dominus, debuit maximam exercere liberalitatem vt eius donum fuerit superabundans, *vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia.*

Dico 4. Incarnatio fuit vtilis ad fines Dei intentos consequendos, & in hoc sensu conueniens Deo & naturæ humanæ; Deo, qui ostendit sua attributa; Homini, vt ita eum promoueret ad bonum, quia per Incarnationem homini data sunt abundantiora dona gratiæ: tandem ad reparationem generis humani; nam licet gratis posset fieri, congruentius fuit, vt perfecta satisfactione fieret.

Dices non est conueniens vt vita Christi, quæ erat supremum bonum, ordinaretur in bonum spirituale hominum, quod est inferius bonum. Respondeo verũ esse, si tantùm in tale bonum ordinaretur, sed fuit etiam ordinata in gloriam Dei, quæ est superius bonum, quàm vita Christi.

Petes quare conueniens fuit homines lapsos & non angelos reparare? Respondeo 1. quia fragilior natura humana propter appetitum sensitiuum, & ita magis prouocabat diuinam misericordiam. 2. quia tota natura humana corruit, non verò tota angelica, sed minor pars, vt dixi tractatu de angelis. 3. quia angeli peccarunt propria voluntate, nos verò in voluntate Adæ. 4. Addit quidam recentior ex nostris, quia angeli habent voluntatem quodammodo inflexibilem, sed non placet, quia contra Scotum in 2. dist. 7. de quo dixi tractatu de angelis, alias congruentias adduxi cap. 9. diff. 8. eiusdem tractatus.

Dico 5. conueniens fuit vt in illo tempore exequeretur Incarnatio; Nam 1. debuit fieri antè peccatum, cum Incarnatio sit peccati medicina. 2. neque immediatè post peccatum, tum vt morbi grauitas & medicinæ necessitas magis innotesceret, tum etiam vt auidior excitaretur cupiditas, & tanti Domini aduentus & præueniretur, & decantaretur à Prophetis. 3. neque debuit differri in finẽ mundi, ne ita sera esset medicina, & conueniens erat quod homines saluarentur per fidem tàm futuram quàm præsentem & præteritam. Neque ex hoc existimetis quod Christus venerit in medio annorum; ita vt tantùm supersit annorum, quantùm antecessit; sed dicitur Abacuc. 3. *in medio annorum*, quia non venit in fine mundi, sed eo tempore, quo eius aduentus primis & nouissimis potuit esse notus.

Obiicitur 1. Ioan. 2. vbi dicitur *nunc nouissima hora est*. Et 1. ad Corint. 10. tempus gratiæ & legis Euangelicæ dicitur *finis seculorum*, & in quodam hymno Ecclesiæ, *vergente mundi vespere*; ergo Christus venit in fine temporis. Respondeo in omnibus his tantùm velle significari Christum venisse in vltima ætate, scilicet in sexta: Nam sex sunt ætates; prima ab Adam vsque ad diluuium; secunda à diluuio vsque ad Abraham; tertia ab Abraham vsque ad Dauid; quarta à Dauid vsque ad captiuitatem Babylonis; quinta à cap-

tiuitate, vſque ad Chriſtum; ſexta à Chriſto vſque in finem mundi.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm Incarnatio fuerit neceſſaria.

DIfficultas eſt ſuppoſito peccato Adæ, vtrùm ad hominem redimendum fuerit neceſſaria Incarnatio? pro quo Nota quod duplex eſt neceſſitas, alia ſimpliciter ſine qua finis conſequi non poteſt; altera eſt ſecundùm quid, & eſt illud ſine quo finis abſolutè conſequi poteſt, non tamen ita benè, vel abſolutè conſequi poteſt, non tamen ex ſuppoſitione alicuius: Difficultas ergo eſt an Incarnatio fuerit ſimpliciter neceſſaria?

Dico 1. non fuit neceſſarium reparare genus humanum, ita Scot. in 3. diſt. 20. & omnes ſcholaſtici. Probatur ſap. 12. *quis tibi imputauit, ſi omnes nationes perierint, cùm non ſit alius Deus, quam tu.*

Ratione probatur, quia poterat Deus ex Iuſtitia omnes homines punire, propter peccatum. 2. quià reparare homines fuit opus miſericordiæ & ad extrà; ergò liberum fuit Deo, ergo non neceſſarium. 3. Probat Scotus, quià eſt neceſſaria Incarnatio, maximè vt prædeſtinati ſaluentur, at Deus liberè eos prædeſtinauit; ergo libera eſt Incarnatio. Rursùs potuit aliis modis & ſine Incarnatione eos ſaluare, vt ait Aug. 13. de Trinitate cap. 10.

Sed Anſelmus qui lib. 1. *cur Deus homo* cap. 12. dicit neceſſarium eſſe hominem lapſum reparari: Reſpõdet lib. 2. cap. 5. quòd ſuppoſito, quod Deus liberè creauerit hominem & permitteret peccare, neceſſarium eſt vt reparetur. Sed contrà, quià reparatio non habet neceſſariam connexionem cum lapſu; nam angeli ceciderunt & non fuerunt reparati.

Obijcit Anſelmus, Deus nihil facit fruſtrà, ſed hominem creauit propter beatitudinem conſequendam; ergo cum per peccatum hoc fruſtretur, debet eum reparare. Reſpondeo quod hæc neceſſitas eſt tantùm ſecundùm quid, & ex ſuppoſitione quod hominem ad beatitudinem prædeſtinauit: alij verò qui non eſſent prædeſtinati, ſed tantùm ad finem ſupernaturalem ordinati, ſi in illis talis finis fruſtraretur, per ipſos ſtabat: nam adiutoria ſufficientia habebant, ſine Chriſti Incarnatione.

2. Obijc. Inconueniens eſſet, quòd tota natura humana periret. Reſpondeo, quòd ſicut non eſt inconueniens quòd aliquę ſpecies angelorum perierint, vt docet ſanctus Th. ita nec quòd tota ſpecies humana. Rursùs poterat Deus creare alios homines qui non eſſent ex ſemine Adæ, & non peccarent, & ſaluarentur.

Dico 2. Etſi neceſſarium eſſet hominem reparare, non tamen neceſſarium eſt ad hoc Deum Incarnari, ita Scotus citatus & communiter autores. Probatur: nam Incarnatio fuit opus liberalitatis Dei & charitatis Ioan. 3. *ſic Deus dilexit mundum vt filium ſuum* &c. & ad Rom. 5. in quibus locis extollitur charitas & miſericordia Dei, non ſolùm quià voluerit nos reparare, ſed quià ad iſtũ finem elegerit tale medium. Ita Athanaſ. ſermone 3. contrà Arrianos. Aug. Leo, Greg. & alij relati à Recẽtioribus. Ratione probatur, quià poterat Deus gratis remittere iniuriã, ſicut poteſt homo, vt latè probaui tractatu de Iuſtificatione; deinde remiſſa iniuria poterat Deus remittere pœnam, & reconciliare ſibi hominem per gratiam, & dare illi gloriam.

Dices ſicut iuſtum eſt punire malos, ita iniuſtum non punire, ergo Deus nequit remittere pœnam. Reſpondeo,

antecedens est verum in iudice inferiori, qui tenetur punire malefactores; At verò rex qui tenet vices totius vniuersitatis quæ manet læsa, potest iustis de causis remittere pœnam; ergo multò melius Deus in casu, quo tota hominum communitas deliquerat.

Dices 2. opera Dei ad extrà sunt misericordia & veritas, veritas, id est, iustitia Psal. 24. *vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*, &c. Sed si Deus remitteret, non esset iustitia, ergo. Respondeo, non est intelligendum vt Deus in omni opere seruet perfectam iustitiam; sed dicitur seruare iustitiam, quià omnibus rebus dat debitum, scilicet proprietates & accidentia, cum ipse non sit debitor. deindè Deus seruaret aliqualem iustitiam: nam licet remittere iniuriam esset misericordia, & similiter dare gratiam; tamen posteà dando gloriam esset iustitia. Ex quo reijcitur 1. propositio Anselmi & similiter. 3. nimirùm quod hæc reparatio fieri non poterat sine satisfactione, & quòd talis satisfactio, facienda erat à Deo homine.

Dico 3. cum Scoto citato, licet Incarnatio esset simpliciter misericordia; non tamen mors Christi: nam ad condignam satisfactionem sufficiebat quodcumque opus Christi, saltem ex acceptatione diuina; nam mors Christi solùm erat decens, non necessaria. Ad Hæbreos 2. *decebat eum per passionem consummare*, erat tamen mors Christi summè vtilis vt ita Christus nos liberaret à potestate diaboli, quam potestatem negabat Abailardus, & alij hæretici, contrà quos arguebat diuus Bernardus Epistola 190. ex sacrâ scripturâ Ioan. 12. *nunc princeps huius mundi eijcietur foras*, & 2. ad Thi. 2. & resipiscant à diaboli laqueis à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem, & hanc captiuitatem definit Trident. Sess. 6. Can. 1. & 2. erat homo tripliciter sub diaboli potestate. 1. quià qui facit peccatum, seruus est peccati, & quià diabolus fuit auctor peccati, ideò dicitur esse peccatorem sub diaboli potestate: homo enim propriis viribus non poterat resurgere à peccato. 2. quia dabolus est executor Dei ad puniendum hominem. 3. quia habet potestatem semel & iterùm hominem tentandi, & ad liberandum hominem, ab hac potestate, fuit vtilis mors Christi, quià homo pluribus tentationibus succumberet, nisi ei daretur gratia Dei per Christum *qui langores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portauit*, Isayæ 53.

Petes quomodo liberauit nos Christus à tali potestate, si diabolus modò iustos tentat, & tentauit primos parentes in statu innocentiæ. Respondeo quòd iustos tentat vt captiuet, peccatores vero vt iam captiuos; & iustis tribuit Christus per mortem auxilia, quibus resistant prædestinati efficaciter, & reprobi sufficienter: Nec enim in hac vita est perfecta libertas, & ita semper erit pugna & aliqua tentatio, etiam in iustis, erit tamen perfecta libertas in patria, vbi non erit pugna.

Ex dictis reijcitur sententia quæ Raymundo tribuitur, asserens quòd supposita creatione mundi, necessarium fuerit Deum incarnari. Reijciendus etiam est Vasquez, qui cum posset benignè explicare Anselmum & Ricardum Victorinum, sicut explicuit Athanas. & alios Patres hoc modo, quòd Incarnatio fuit necessaria, necessitate immutabilitatis, supposito decreto, quo Deus voluit sibi reddi perfectam satisfactionem per hominem Deum, noluit, præcipuè cum Anselmus lib. 2. *cur Deus homo* cap. 19. dicat, *non indigebat Deus de cælo descendere vt vinceret diabolum & nos liberaret*. An ad perfectam satisfactionem fuerit neces-

saria Incarnatio ex capite sequenti constabit.

CAPVT SECVNDVM.

De satisfactione puri hominis.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quid, & quotuplex sit satisfactio?

Difficultas hæc præambula & necessaria est ad ea, quæ à nobis dicenda sunt in præsenti & sequenti capite. Satisfactio igitur in communi, quæ secundùm nominis proprietatem significat compensationem debiti, & vt Scotus notat in 4. dist. 15. quæst. 1. §. *respondeo, in fine*, adaptari potest tam compensationi gratitudinis, quàm iustitiæ. Nam rectè potest satisfieri pro beneficio accepto, sicut etiam pro iniuria, ac damno illato; sic à Scoto loco citato definitur: *Est redditio voluntaria æquiualentis aliàs indebiti*, quam sic explicat, *est redditio*, quod est genus, quia non est absoluta datio, sicut donatio gratuita; nam li *satis*, denotat quod id quod datur, est in ordine ad illud quod est receptum. dicitur *voluntaria*, quia si inuoluntaria esset, non esset satisfactio, sed satispassio, vt est pœna damnatorum. dicitur *æquiualentis*, & non dicitur æqualis; nam non requiritur æqualitas in entitate, sed in valore, & in æstimatione. Dicitur *aliàs indebiti*, id est, non alio titulo debitum, nisi esset satisfactio ita excedens vt posset pluribus debitis adæquari.

Hæc definitio ita explicata à Scoto desumpta est ex Anselmo lib. 1. *cur Deus homo* cap. 19. & 20. quam communiter auctores recipiunt, licet aliqui addant alias cōditiones, quę, meo iudicio in definitione Scoti comprehenduntur.

Prima conditio est, quòd satisfaciens satisfaciat ex bonis propriis: quam conditionem assignant communiter Suarez. 3. p. disp. 4. Sect. 6. Vasquez disp. 8. cap. 1. 4. & 5. Lorca disput. 3. & mihi placet: nam quod meum non est, non possum in alterum transferre, ita vt alter sit dominus illius: ergo neque propriè satisfacere alteri cum illo, quæ conditio aliquo modo includitur in illa Scoti, *aliàs indebiti*; nam si illud debetur creditori vel alteri, ita quod illius satisfaciens non habeat dominium, non poterat cum illo satisfacere.

Secunda conditio est, quod satisfactio fiat ex bonis, alio titulo non debitis creditori, quam conditionem assignat Anselmus Ferrara, & alij, quæ includitur in verbis Scoti, scilicet *alias indebiti* & implicitè in illo *æquiualentis*.

Differūt autores in explicatione huius conditionis: Nam Vasquez disp. 8. c. 6. intelligit illam de indebitis quouis alio titulo, siue religionis, siue gratitudinis &c. Suarez. vero loco citato, intelligit de aliàs indebitis, ex obligatione iustitiæ; Ego verò cum Montecino existimo quod si sit duplex debitum, siue vtrumque sit ex iustitia, vt quando debeo decem ex furto, & decem ex mutuo: siue vnum sit ex iustitiâ, & alterum ex religione, vt quando debeo decem ex mutuo & decem ex voto: quod cum decem non satisfaciet ex iustitia, & ita hæc conditio, in hoc sensu requiritur ad æquiualentem satisfactionem. Si verò non sit duplex, debitum sed vnum tantùm, est tamen duplex obligatio debiti: verbi gratia, ieiunare die veneris, quià vigilia, & quià est dies quadragesimæ, vel ire Romam ex voto, & propter stipendium ex iustitia; tunc vnico ieiunio satisfacit ad ęqualitatem, vel vno progressu; & in hoc sensu hæc conditio non impedit satisfactionem æquiualentem.

Tertia conditio est quòd bona, quibus satisfacit, non sint sub dominio vtriusque, scilicet creditoris & debitoris, ita Capreolus & alij: Nam si talia bona iam sunt sub dominio creditoris, satisfaciens nihil illi tribuit. Suarez disp. 4. sect. 6. dicit quod si satisfactio sit pro debito pecuniario, vera est & necessaria conditio; at verò si sit pro iniuria illata in honore, fama, &c. optimè satisfaciet per operationes, quæ sint etiam sub dominio creditoris. Ratio est quia hæc satisfactio non fit per applicationem dominij, sicut in satisfactione pecuniaria, sed fit per obsequium & submissionem: vnde non tantùm debet satisfaciens abdicare dominium illarum, sed potius debet retinere honorem offensum; Imo modus dicendi non displicet, solummodò quod licet inter homines, duo possint habere dominium, serui (verbi gratia) in indiuiduo, non tamen in solidum, quià vendito seruo, quilibet tātùm recipit dimidiam partem pretij: benè tamen possunt duo homines esse debitores in solidum (verbi gratia) qui furatur, & qui consulit; In quo casu remisso debito furāti, remittitur consulenti. Hæc conditio optimè explicatur verbis Scoti *ex aliàs indebitis*; Nam quod est sub dominio creditoris, illi debitum est.

Quarta conditio est, quòd satisfactio non supponat gratiam creditoris; Nam si debeo centum, & creditor contentus quinquaginta, non satisfacio illi æqualiter: Solùm est difficultas, si creditor mihi tribuit centum, vt illi satisfaciam, an verè & propriè satisfaciam, vel solùm sit remissio debiti, ex parte creditoris.

Vasquez disp. 8. dicit esse remissionem debiti, & nō satisfactionem, si creditor dedit cum animo & voluntate vt illi fiat satis: si vero sine tali voluntate dedit, esse perfectam satisfactionem. Sed magis placet Suarez dicens, quòd si creditor transtulit dominium rei in debitorem, quocumque animo fiat, ad æqualitatem debitor satisfacit, quià reddidit æqualitatem cum re cuius est dominus: Nec est remissio debiti, vt ait Vasquez, cùm dominium sit translatum & possit debitor, si velit, non soluere debitum; esset tamen remissio si dominium translatum non esset.

Dices, hæc solutio fundatur in gratia; ergo non est vera iustitia. Respondeo quod donatio creditoris gratia est; at verò postquam accepta fuit à debitore, iam ex iustitia soluit debitum creditori; Nam gratia illa antecedens, non tollit veram rationem iustitiæ, sicut gratis ego volo emere pannū ex taberna Petri; nam poteram emere ex Pauli, postea tamen ex propria iustitia tribui ei pretium rei emptæ: hæc conditio explicatur à Scoto illis verbis, *æquiualentis & aliàs indebiti*. An hæc conditio tollat rigorosam iustitiam dicam cap. 3. difficultate. 4.

Quinta conditio est, quod satisfactio fiat ad alterum, quod intellige, siue sit alter in persona, siue in natura, vt Christus & homo satisfecit sibi vt Deo, siue sit alter in iuribus seu dominiis; quo pacto facile intelligitur, quomodo Christus satisfecerit pro iniuriis factis suæ humanitati, per eandem humanitatem, quia eadem humanitas, vt offensa, diuersa est moraliter à seipsa, vt satisfaciente. Sic venit intelligendus Aristoteles 5. Ethicor. cap. 2. & 3. dicens *quod eiusdem, ad seipsum non est iustitia*, rursùs Aristoteles non cognouit hoc mysterium Incarnationis, hæc conditio etiam in definitione explicatur.

Sexta conditio est quod talis sit satisfactio, vt teneatur creditor, secluso pacto, illam acceptare, quæ conditio si intelligatur, quòd teneatur creditor ex congruentia & connaturalitate, est neces-

necessaria, (verbi gratia) debet quis decem modios hordei, si tribuat creditori decem modios tritici, tenetur creditor ex congruentia acceptare, non tamen ex iustitia; nam iustè petit hordeum. Et hoc explicatur à Scoto dicente, *æquiualentis*. Si verò intelligatur quod creditor teneatur ex iustitia acceptare, non est necessaria talis conditio ad satisfactionem æqualem, licet fortè necessaria sit ad satisfactionem, ex rigore iustitiæ.

Vltima conditio est quòd in satisfactione iniuriæ, eadem persona quæ iniuriam intulit, sit satisfaciens; Nam licet altera reddat æquiualens, non tamen satisfaciet, ex toto rigore iustitiæ.

Ex quibus colligunt auctores triplicem esse satisfactionem; vnam quæ dicitur ex toto rigore iustitiæ, vt est illa cui omnes istæ conditiones conueniunt. Alteram quæ solùm reddit æquale, licet aliqua conditio deficiat, vt 4. 6. & vltima; & dicitur condigna, & ad æqualitatem. Tertiam quæ dicitur de congruo, & est quæ non reddit æquiualens, quià vel creditor remittit partem debiti, vel non soluitur à debitore adæquatè.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm purus homo sine auxilio supernaturali possit satisfacere Deo pro peccato.

NOmine puri hominis intelligo illum, qui per vnionem hypostaticam non est Deus; de quo quæritur, vtrùm possit satisfacere pro proprio, vel alieno peccato, actu ordinis naturalis, qui sine auxilio elicitur, vt dixi tractatu de gratia: vel elicito, cum auxilio ordinis naturalis indebito, vt docet Vasq. 1. 2. disp. 190. & 1. quæritur de facto in quo est. 1. sentent. Vasq. 1. p. disp. 91. cap. 12. & 1. 2. disp. 190. cap. 10. & 11. dicentis, quòd opus bonum morale factum ex auxilio naturalis ordinis, est satisfactio imperfecta pro peccato proprio, sicut est dispositio remota ad iustificationem. Sed hoc reieci tractatu de gratia.

Nobis dicendum est, non posse hominem actu bono naturali, adhuc elicito ab auxilio naturali satisfacere imperfectè pro suo peccato; ita communiter auctores. Quòd si talis actus non sit elicitus ab auxilio, definita est nostra sententia contra Pelag. & Semipel. in Mileuitano & Arausicano. 2. & in Trid. sess. 6: cap. 5. sic, *neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coràm illo libera sua voluntate possit.* Si verò fiat ab auxilio ordinis naturalis, vt ait Vasquez, non est ita definitum, cum PP. & Concilia solùm reijciant opera facta ex viribus naturæ.

Nihilominus est falsa doctrina. 1. quia Vasquez supponit nullum opus bonum morale posse fieri sine auxilio, quod tractatu de gratia reieci. 2. quià sequitur esse in homine infideli, ante fidem, aliquam dispositionem remotam, quæ sit satisfactio imperfecta pro peccato eius, & impetratoria ipsius fidei, quod est contra Aug. Epistola. 105. & contra Trident. sess. 6. can. 8. dicens fidem esse initium, fundamentum, & radicem humanæ salutis. Probatur ratione Scoti in 2. dist. 9. quæst. 2. §. contrà. 4. art. satisfactio debet esse redditio alicuius obsequij, quod habeat aliquam proportionem cum debito contracto per peccatum, quod est contra finem supernaturalem; sed actus merè naturalis adhuc ex auxilio elicitus non habet proportionem cum aliquo supernaturali, ergo nequit esse satisfactio, etiam im-

perfecta pro peccato.

Maior difficultas est vtrùm id possit talis homo, de potentia Dei absoluta. Thomistæ communiter negant, quos aliqui Scotistæ sequuntur.

Nobis dicendum est posse purum hominem opere bono morali, merè naturali, sine auxilio elicito, imperfectè saltem satisfacere pro suo peccato. Fundamentum est, quià Deus potest acceptare tale opus, quæ acceptatio tribuit illi valorem. Tenet Scotus in 1. dist. 17. quæst. 2. §. *vide*, 2. *art*: *Dico quod Deus de potentia absoluta benè potuisset acceptare naturam beatificabilem existentem in puris naturalibus, & similiter actum eius vt meritorium.* Idem habet quodlibet 17. §. *ad argumentum* litera O. tenet Rada in 3. contro. 11. articulo. 1. §. 2. *Obserua* Faber in 3. disp. 42. cap. 2. & cap. 3. num. 20. & de pœnitentia disp. 1. a. num. 221. Pytig. in 3. dist. 18. art. 1. Et probatur; nam opus bonum morale naturale est aliquod obsequium Deo factum, ergo poterit Deus illud acceptare pro satisfactione peccatorum.

Respondent quod non habet proportionem cum debito contracto per peccatum: nam per hoc auertitur à Deo fine supernaturali, & vt habeat proportionē, debet homo se Deo coniungere supernaturaliter. Sed contrà, quià hoc est tantum necessarium de potentia ordinaria, non de potētia absoluta, cui non implicat, vt statuat remittere peccatum, si homo benè moraliter operetur.

Respondent non implicare; sed tunc Deus ex fidelitate remitteret peccatum, non ex iustitia, quod debebat esse, si talis actus bonus naturalis esset meritorius. Sed contrà, quià ad hoc vt peccatū remitteretur ex iustitia, satisfactio deberet esse perfecta, & condigna, & fortè talis satisfactio est tantùm imperfecta, de quo latè dixi tractatu de merito. Addo quòd etiam poterit esse perfecta; nam sicut gratia non ex natura rei, sed ex pacto, tribuit dignitatem subiecto & operibus, vt dixi tractatu de Iustificatione, cum Scoto; Ita poterit Deus suo pacto tribuere tali operi naturali dignitatem, vt ex iustitia satisfaciat pro peccato; & sicut in opinione Vasq. & aliorum, opus bonum morale naturale elicitum ab homine iusto, est meritorium de facto vitæ æternæ; ita tale opus elicitum ab homine peccatore, accedente pacto Dei poterit esse satisfactio perfecta pro peccato.

Obijcies, quià talis actus solùm esset signum, quo posito Deus liberaliter remitteret peccatum, & ita nullum esset meritum, nec satisfactio. Respondeo quod cùm talis actus sit liber, & bonus moraliter, est aliquod obsequium, & non merè signum, & ita Deus non se habet merè liberaliter cum respiciat illud opus; Nam qui liberaliter agit, nullum respicit opus. Addo contrà Scotistas quod Scotus hoc opus vocat actum meritorium, & meritum non est merè signum.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Vtrùm purus homo cum auxilio supernaturali possit satisfacere de condigno & ad æqualitatem pro suo peccato mortali.

Difficultas præsens est de actu dilectionis Dei, & contritionis, qui est perfectior satisfactio, quæ exhiberi potest ab homine; & noto quòd cum satisfactio fiat in genere causæ efficientis cum sit causa meritoria, hæc difficultas diuersa est ab illa quàm tractaui tractatu de iustificatione, scilicet an contritio sit forma san-

ctificans; nam hoc fit in genere causæ formalis, & ibi negauimus adhuc de potentia Dei iustificare.

In hac re communis sententia docet purum hominem non posse actu contritionis satisfacere ad æqualitatem pro suo peccato mortali; & quamuis Vasq.disp.2. cap. 1. citet pro contraria sententia Scotum, Alensem, Richardũ, Caietanum,& alios; optimè eos excusat Lorca disp. 4. Scotus noster pro nostra sententia est in 4. dist.15.quæst.1.§.*quantum ad istum, ergo* litera, E.dicens quòd absque gratia iustificante non potest in homine reperiri satisfactio æquiualens: Cum ergo peccator non habeat talem gratiam, neque satisfactionem æquiualentem potest elicere. & litera, D.docet quod de potentia Dei, potest homo satisfacere pro suo peccato mortali, si eliciat attritionem, & propter illam tanquam dispositionem Deus daret gratiam habitualẽ,& posteà eliceret contritionem, quæ contritio licet tunc non esset satisfactio pro peccato proprio, quià iam erat remissum per gratiam; erat tamen de se, & in actu primo satisfactio æquiualens; sed in hoc nihil habet Scotus contrà communem sententiam.

Dicit hîc Scotus quòd attritio per informationem gratiæ fit contritio, quòd intellige, quoad effectum & causaliter; Nam sicut contritio delet peccatum, ita attritio informata gratia habituali; non verò quià vnus actus transeat in alium. Hanc nostram, & communem sententiam diuersis fundamentis auctores deffendunt. Ferrara, Caiet. & Sotus dicunt contritionem procedere à gratia habituali, & ita licet in valore adæquet indignitatem peccati, & consequenter sit æquiualens satisfactio pro illo; non tamen dicenda est condigna, quià talem valorem habet ex gratia crediti oris, & non ex propriis viribus hominis.

Sed contrà. 1. nam quod procedat à gratia creditoris, cum iam sit sub dominio hominis, nõ tollit quòd satisfactio sit æquiualens & condigna, fortè tollet quod non sit rigorosa. 2. quia si in sententia horum auctorum quòd culpa supponatur remissa per gratiam, non tollit quod contritio ab illa procedens sit satisfactoria pro culpa, & aliàs ipsa æquiualet indignitati culpæ; ergo de facto est satisfactio, quod ipsi negant.

Capreolus ex Anselmo dicit ideò non posse purum hominem satisfacere, quià ad condignam satisfactionem requiritur, quòd fiat ex aliàs indebitis, & omnia opera hominis sunt Deo debita, saltem titulo creationis. Sed hæc ratio non valet, quià talis obligatio non ponit nouum debitum, sed nouam obligationem eiusdem debiti, quæ, vt dixi difficultate. 1. §. 2.*conditio*, non tollit condignam satisfactionem, cùm non tollat æqualitatem cum debito.

Durandus & Almaïnus dicunt, quòd sicut ex Aristotele 8.Ethic. cap. vltimo Diis, parentibus & magistris non potes æqualem gratiam referre, ita neque Deo æqualiter satisfacere pro iniuriis illatis. Sed hæc ratio non placet; nam solùm est simile, & non reddit rationem illius. Deindè ideò non potes Deo condignas agere gratias pro beneficiis, quia ipsa gratiarum actio est etiam beneficium pro quo tunc non agimus gratias; at verò satisfactio non est nouum debitum, pro quo debeat peccator de nouo satisfacere; nam non est peccatum, sed meritum.

Propter quod Durandus aliam adducit rationem; nam sicut homo non

potest Regi aut Reipublicę satisfacere pro debito, pro quo debet mortem corporalem, quià vita est præstantius bonum, vt docet Scotus in. 4. dist. 15. quæst. 3. §. *descendo*, & ita si infinitæ diuitiæ multiplicentur, non possunt vitā adæquare, vt ibi docet doctor; ita neque homo potest Deo satisfacere pro quo meretur mortem spiritualem. Sed contrà quià hæc non est ratio efficax, sed exemplum.2.non valet, nam in bonis corporalibus, vt docet Scotus, nihil est quod æquiualeat vitæ corporali, at verò in bonis spiritualibus, sunt actus supernaturales ab homine iusto procedentes, qui vitæ spirituali æquiualent in valore, & dignitate.

Diuus Bonauentura, sanctus Anselmus, & diuus Tho. 3. p. quæst. 1. art. 1. ad 2. Richardus Victorinus, Aluarez disp. 7. Ragusa disp. 5. & 6. dicunt ideò non posse purum hominem satisfacere, quià offensa est simpliciter infinita, at verò satisfactio est simpliciter finita. Sed hæc ratio supponit offensam esse simpliciter infinitam, quod est falsum. 1. Nam sequeretur non posse expelli per gratiam quæ est forma simpliciter finita. 2. vel offensa est ipsa macula, quatenus per illam dicitur homo offensus Deo, vel est quid morale posterius ipsa macula, & propria passio illius, vt aliqui dicunt; sed ipsa macula in quocumque consistat, de quo dixi tractatu de Iustificatione, non est infinita simpliciter; ergo neque offensa. Probatur minor; nam peccatum actuale non est simpliciter infinitum, cum tantùm sit priuatio rectitudinis debitæ quæ finita est, ergo neque macula. Deinde si peccatum est simpliciter infinitum, cum nullum infinitum sit maius, altera omnia peccata erunt æqualia, quòd est error Stoïcorum.

Sed isti auctores obiiciunt, eò grauior est offensa, quò persona offensa est dignior; sed Deus est infinitæ dignitatis; ergo offensa contrà ipsum est infinita. Respondeo verum esse offensam crescere ex dignitate personæ, non arithmeticè, id est, quod si persona sit infinita, offensa sit infinita, sed geometricè, id est, cum proportione, quòd maior sit offensa facta regi quam duci; Sicut neque visio Dei est simpliciter infinita; licet perfectior sit quam visio lapidis.

2. Obiiciunt, Deus punit citra condignum, & punit æternaliter peccatum mortale, ergo est infinitum. Respondet Scotus in 3. dist. 19. §. *ad 3. argumentum*, quòd peccatum punitur æternaliter, & infinitè, extensiuè, non verò pœna infinita intensiuè; durat æternaliter pœna, quià anima æternaliter manet in peccato, & iustum est, vt quamdiù est sub peccato, tandiù sit sub pœna peccati.

3. Obijc. peccatum ita est malum, vt non sit committendum pro infinitis rebus huius mundi; ergo est infinitum. Respondeo, solùm probatur esse contrà rationem, non verò esse infinitum, aliàs etiam veniale esset infinitè malum, quod nullus dixit, siquidem non est committendum pro omnibus rebus mundi.

Vltimò, quià peccatum ità Deo aduersatur, vt quātum est ex se, Deum destrueret, si posset destrui, & infinitam tristitiam in eo causaret, si illius esset capax; ergo habet infinitatem. Respondeo negando peccatorem velle Deum non esse, & etiam si ponat vltimum finem in creatura, non tamen vult Deum non esse vltimum finem creaturarum, & licet vellet ex malitia Deum non esse, non tamen hic actus esset infinitus. 1. quià est inefficax, vt potè circa impossibile, &

non poteſt cenſeri ſufficiens, vt Deum deſtruat adhuc ex affectu peccantis. 2. quià actus oppoſitus quo Deum eſſe vult, non eſt infinitè bonus ſimpliciter; ergo neque ille. Neque peccatum cauſaret in Deo infinitam triſtitiam, etiamſi eſſet capax illius, quià læſio ſolùm fit in bonis extrinſecis, vt eſt honor, cultus, obedientia, &c. non verò in intrinſecis.

Noſter Vega, Suarez diſp. 4. Sect. 9. Montecinos dicunt quòd licet offenſa non ſit infinita, purus homo non poteſt ſatisfacere, quià offenſa creſcit, ſaltem geometricè ex perſona læſa, vt conſtat ex lege, *aut facta* §. *perſona ff. de pœnis*, vt ex Ariſtotele. 5. Ethic cap. 5. dicente, quòd ſi magiſtratus percutiat perſonam vulgarem, non eſt ipſe repercutiendus, ſi verò vulgaris percutiat magiſtratum, maiori eſt mulctandus, & ſatisfactio creſcit ex perſona ſatisfaciente, & cum Deus offenſus ſit infinitus, & ſatisfaciens creatura finita, hinc eſt quòd non poſſit Deo ad æqualitatem ſatisfacere.

Sed licet hæc ratio ſit ſatis apparẽs, non tamen eſt efficax; concedo verba legis & Ariſtotelis, vt potè vera, & à Scoto in 3. diſt. 19. §. *ad 1. principale* litera, G. admiſſa, & quòd præcisè ex hoc capite eſt impoſſibilis ſatisfactio in creatura, reſpectu Dei, & loquimur de ſatisfactione iniuriæ & honoris; nam ſatisfactio pecuniaria ad æqualitatem fit à perſona vili, reſpectu regis, ac ſi eſſet perſona principalis; tamẽ ſatisfactio poteſt creſcere, ex aliis capitibus, ſcilicet ex obiecto & circunſtantiis: Nam ſi vilis percutiat regem, poteſt tale opus facere, vt ſatisfaciat ſuperabundanter, vt ſi regem liberet à morte cum periculo propriæ perſonæ, vel ſi illi regnum ablatum ab aliis, reſtituat: imò aliqui dicunt quòd in fama ad æqualitatem, homo vilis reſtituet regi, ſi coràm omnibus fateatur ſe fuiſſe mentitum. Ad rem ergò licet perſona ſatisfaciens ſit creata, & finita, & Deus offenſus infinitus; tamen ſicut offenſa habet infinitatem extrinſecam ex obiecto; ita dilectio Dei, vt docet Scotus in 4. diſt. 14. quæſt. 1. *ad vltimum* litera, Z. Et homo retractatur & fatetur ſe eſſe mentitum?

Dices, quòd in humanis non ſufficit, vt qui abſtulit famam, retractet ſe, ſed etiam punitur punitione talionis. Reſpondeo hoc non eſſe propter reſtitutionem famæ, ſed pro populi exemplo, qua ratione etiam peccata condonata puniuntur.

Vaſquez diſp. 2. cap. 5. dicit hominem per peccatum tàm mortale quàm originale contraxiſſe debitum carendi auxilio, vt à peccato reſurgat, quod verum eſt, quod dicitur ex Proſpero, Fulgentio, Bernardo, & aliis Patribus. Hoc ſuppoſito docet rationem, quare purus homo non poſſit ſatisfacere ad æqualitatem pro ſuo peccato, eſſe quià ad eliciendam contritionem per quam debebat ſatisfacere, requiritur tale auxilium, ac per conſequens quòd Deus gratis remittat partem debiti contracti per peccatum, ſcilicet debitum carendi auxilio. Addit quod ſemel collato gratis auxilio, per talem contritionem, homo ad æqualitatem ſatisfacit pro toto peccato: nam 1. 2. diſp. 203. cap. 10. ait contritionem natiua virtute eſſe incompoſſibilem cum peccato, & ſi de facto formaliter illud non expellit, eſt quià gratia habitualis præcedit contritionem tanquam cauſa efficiens illius, & ita contritio inuenit expulſum per gratiam. Vaſq. ſequuntur plures Ieſuitæ præcipuè Hurtado diſp. 1. diff. 10. 11. & 12. quamuis in aliquibus differat à Vaſquez, vt videbimus. Vaſ-

quę latè & doctè reiecit Lorca disp. 4.

Sed antequam fundamentum huius sententiæ, & quod magis displicet in illa, reijciam; Ratio quare purus homo non potest æqualiter satisfacere est insufficiens: nam si homo perfectè non satisfacit, quià illi gratis condonatur auxilium, cuius carentia erat illi debita per peccatum; ergo neque Christus Dominus exhibuit perfectam satisfactionem pro peccatis nostris. Probatur: nam homines per peccatum contraxerunt debitum carendi omni beneficio gratuito in ordine ad supernaturalem finem; sed incarnatio fuit verum beneficium hominibus collatum, & præcipuè in sententia Vasq. dicentis totale motiuum Incarnationis fuisse redemptionem à peccatis: ergo in collatione Incarnationis dimissum est à Deo debitum carendi tali beneficio, quod debitum contractum erat per peccatum; sed Christus non potuit satisfacere pro hoc debito; ergo non satisfecit perfectè pro peccatis.

Respondent Vasquistæ quòd homo per peccatum solùm contraxit debitum carendi effectibus prædestinationis, scilicet gratia & gloria, &c. vel carendi omni illo quod reddit illum formaliter dignum amicitiæ Dei, non tamen carendi mysterio Incarnationis. Sed contrà; quià ideò peccator contraxit debitum carendi auxilio, quia per peccatum est indignus amicitia Dei; ergo consequenter est indignus omni illo, quòd cum tali amicitia habet connexionem ad illam reparandam; sed incarnatio, cum sit principium omnis meriti, habet talem connexionem; ergo contraxit debitum carendi Incarnatione.

2. Reijcitur hæc ratio Vasq. debitum illud carendi auxiliis, non est culpa, sed pœna secuta ad culpam; ergò licet homo non satisfaciat pro illo debito, satisfaciet pro omni culpa,

3. Quià peccator, etiam si illi gratis detur auxilium, contritione, quæ est vltima dispositio ad gratiam, meretur, & ad æqualitatem primam gloriam adhuc secundum Vasq. 1. 2. disp. 219. ergo etiam si illi condonetur auxilium, condignè potest satisfacere pro suo peccato, precipuè cum talis contritio in sententia Vasq. procedat etiam à gratia habituali.

Quartò, dato non concesso, quòd homo condignè satisfaciat pro macula peccati, etiam satisfaceret pro debito carendi auxilio. Probatur, dignitas carendi auxilio oritur ex macula peccati, ergò qui pro macula condignè satisfacit, etiam satisfacit pro tali dignitate.

Dices, quòd gratis confertur auxilium ad actum contritionis, & ità est ablatum debitum seu remissum. Contrà, quià post collationem auxilij, adhuc homo manet indignus illo, donec per gratiam auferatur culpa, in qua fundatur debitum; ergo adhuc retinet debitum carendi auxilio.

Respondent Vasquistæ verum esse per collationem auxilij non auferri ab homine indignitatem carendi auxilio radicalem, quià hæc est macula quæ per collationem auxilij non aufertur; auferri tamen indignitatem formalem carendi auxilio, quià hæc non potest stare nisi cum carentia auxilij. Sed contrà vel hæc indignitas formalis est ipsa carentia auxilij, vel est proprietas quę necessariò sequitur ex macula peccati: non carētia auxilij, aliàs homo in puris naturalibus nō habēs auxilium diceretur habere debitū formale, & indignitatem carendi auxilio, quod est contrà omnes: si est proprietas orta ex macula; ergo dùm macula non aufertur, manebit talis

indignitas, etiam si homo habeat auxilium, nam optimè stat auxilium cum indignitate carendi illo.

Respondet Hurtado. diff.12. quòd peccator satisfacit pro debito subiectiuo carendi auxilio, quòd non remittitur à Deo gratis, non tamen satisfacit pro ipsa carentia auxilij quæ est debita, & vocatur debitum obiectiuum, quia est obiectum debiti subiectiui, quod debitum, hominem denominat debitorem. Sed contra 1. quià talis carentia etiam pœna debita, vt ipse etiam fatetur; ergo etiam si homo pro illa carentia auxilij non satisfaciat pro toto peccato, ad æqualitatem satisfacit. 2. Cōtritio secundùm ipsum est satisfactio pro debito carendi auxilio; ergo etiam erit satisfactio pro carentia auxilij: nam qui satisfacit pro debito pecuniæ, etiam satisfacit pro pecunia.

Respondebis quòd ipsa carentia auxilij per condonationem auxilij præsupponitur ablata, & ità non potest pro illa satisfacere. Sed contrà quià secundùm ipsum ibi, & difficult. 10. n. 43. & etiam secundùm Vasquez, etiam si peccatum præsupponatur remissum per habitum charitatis, adhuc contritio est perfecta satisfactio pro peccato, quia de se habet talem virtutem, & per accidens non expellit: ergo similiter etiam si carentia auxilij præsupponatur ablata, sufficit quòd contritio sit ex natura sua satisfactiua pro illa, vt dicatur quòd pro illa satisfacit.

Respondent Vasquez & Hurtado esse diuersam rationem; nam contritio necessariò, & quasi essentialiter procedit ab auxilio, & ità contritio nequit esse satisfactio pro carentia auxilij: At verò contritio à gratia procedit per accidens: nam poterat non procedere ab illa, & ita poterit satisfacere pro culpa, quam gratia remittit, non verò pro carentia auxilij.

Sed contrà, quià nihil refert quòd contritio potuerit non procedere à gratia, si de facto ab illa procedit, & hoc non obstante, est satisfactio pro peccato; ergo pro carentia auxilij. 2. quià etiam per accidens est, quòd contritio procedat ab auxilio, cùm potuerit Deus contritionem naturalem acceptare pro remissione peccati, vt dixi præcedenti difficultate. 3. quià contingere potest quòd in eodem instanti in quo confertur auxilium, eliciatur contritio, & tunc nulla fiet remissio debiti obiectiui, quià tunc auxilium non datur indigno, cùm in eodem instanti sit homo sanctus, tùm per gratiam habitualem, tùm per contritionem secundùm ipsos; ergo tunc contritio erit perfecta satisfactio pro toto peccato, & pro toto debito.

Respondet Hurtado quòd tunc collatio auxilij est remissio carentiæ debiti auxilij ob peccatum mortale, non physica sed moralis, quia est collatio auxilij decreta à Deo, & facienda homini præuiso in statu debitoris, vt est decreta, & facienda non ob contritionem tanquàm ob meritum, sed omninò gratis, quo Deus moraliter censetur remittere carentiam auxilij. Sed contrà quià collatio auxilij fit homini in eodem instanti iusto per gratiam, & contritionem; ergo non fit homini tunc debitori, etiam si anteà esset debitor, ergò non fuit decreta facienda homini debitori cùm decretum sit in Deo, sicut res existunt à parte rei. Deindè verò colligitur non fieri per contritionem ob meritum, siquidem ipsa remissio peccati quæ est simul, fit per contritionem ob meritum & satisfactionem.

Ex dictis liquidò constat rationem Vasquez & recentiorum nihil valere ad probandam nostram, & commu-

nem sententiam. Quod valdè displicet in illis est, quod asserant, quod contritio sit perfecta satisfactio pro peccatis, supposita condonatione auxilij. 1. quia vnum fundamentum eorum scilicet contritionem esse formam sanctificantem, est falsum, vt reieci tractatu de iustificatione. Sed hoc dato non concesso, adhuc non probatur sententia, quià satisfactio fit in genere causæ efficientis, contritio expellit peccatum formaliter; ergò non est satisfactio pro peccato. Alterum fundamentum est quòd licet contritio sit dispositio ad iustificationem, & non procedat à gratia habituali, sed ab auxilio, adhuc est condigna satisfactio: quod fundamentum etiam est falsum, vt reieci tractatu de merito. 1. Nam sequeretur iustificationem non fieri gratis contrà ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*, quod explicat Trid. sess. 6. cap. 8. *ideò gratis iustificari dicimur, quià nihil eorum quæ in iustificatione præcedunt, siue fides, siue opera*, ipsam iustificationem promeretur.

Respōdet, ideò dicimur gratis iustificari, quià primū auxiliū gratis datur, & ita Iustificatio radicaliter fit gratis, propter quod ait Trid. gratiam iustificationis. i. tota series iustificationis, nō verò ait iustificationem; nam ista non datur gratis, cùm secūdùm communē sententiam detur propter meritum de congruo. Sed contrà quià Concil. loquitur de iustificatione, quæ est posterior fide, ergo non de primo auxilio quod est prius. 2. quià Concil. nihil dicit de radice, imò si ita intelligatur, nulla est differentia quantùm ad hoc inter iustificationem, & vitam æternam; nam etiam vita æterna gratis datur in radice; cùm ergo secundùm Conciliū, vita æterna detur propter meritum, & iustificatio gratis, non intelligitur in radice; meritum enim de congruo cum ei præmium non detur ex iustitia, non dicitur propriè meritum, nec excluditur quòd iustificatio fit gratis. Addo quod Trid. cap. 7. omnia ista reijcit dicens, *causa efficiens est Deus qui gratuitò abluit & vngit Spiritu sancto*, ergo gratis iustificat, ergo contritio non est condigna satisfactio pro peccato.

Quod posita contritione sit noua gratia remissio peccati; Probaui tractatu de iustificatione ex Ioelis 2. *conuertimini ad dominum Deum nostrū, quià benignus & misericors est*, vbi de perfecta contritione loquitur, vt colligitur ex his *ex toto corde*. 2. ex Chrisost. homil. 17. in genes. *tanta est Dei ergà nos misericordia; nam vbi viderit voluntatis nostræ firmum propositum, & feruentis nos desiderio ad se accedere, non retardat neque differt*. Respondet Vasq. 1. 2. disp. 213. Christ. loqui de pœnitentia, ex viribus naturæ: nam ait Vasquez Chrisost. fuisse in errore Semipelag. Sed 1. audacter loquitur Vasquez cum Chrisost. homil. 6. explicans illud 2. ad Cor. 3. *non quòd sufficientes simus cogitare* (ait) *totum Deo tribuo*. 2. falsò: nam Semipelag. nunquam dixerunt firmum propositum & feruens desiderium esse sine gratia; licet dixerint imperfectum initium esse ex parte nostra. Denique ex Sent. Vasq. sequitur quod contritio sit meritoria de condigno gratiæ habitualis: nam si est satisfactio condigna pro peccato; ergo & meritoria de condigno gratiæ, quæ expellit peccatum, quod ipse negat 1. 2. disp. 219. cap. 1. & est contrà omnes, solo excepto Ricardo in 4. dist. 17. a. 1. quæst. 7. de quo latè dixi tractatu de merito.

Optima ergò ratio quare purus homo non possit condignè satisfacere pro suo peccato mortali hæc est: nam contritio fit, vel ab homine peccatore,

vel ab homine iusto; si à peccatore, etiamsi contritio in bonitate morali adæquet malitiam peccati, vt docuit doctor subtilis in 4. dist. 14. qu. 1. litera. Z. non tamen in valore & dignitate, quià cùm homo, pro tunc sit inuisus Deo, omni beneficio est indignus, & ad satisfactionem de condigno requiritur dignitas personæ, sicut de merito dixi, tractatu de merito.

Dices, in humanis ad satisfactionem non requiritur quod satisfaciens sit persona grata, potiùs ipsa satisfactio est medium ad gratiam; ergo neque in supernaturalibus. Respondeo disparitatem esse; nam valor satisfactionis humanæ non dependet ab hac circumstantia, sicut in satisfactione diuina; & ratio mihi est, quià simul homo esset dignus pœna æterna, quià peccator, & dignus vita æterna, quià condignè satisfacit, quod est inconueniens, & hoc non reperitur in humanis.

Vel contritio fit ab homine iusto, & tunc, cùm satisfactio sit causa efficiens moralis, ac per consequens præcedens ablationem debiti pro quo satisfacit, non potest satisfacere prò macula peccati, quæ supponitur per gratiam iam remissa. Dices, potest quis peccata semel confessa iterùm confiteri, & ab illis iterùm sacramentaliter absolui; ergo & pro peccato iam remisso potest quis per subsequentem contritionem satisfacere, vt diuus Petrus, & Magdalena pro peccatis remissis, iterùm Deo tribuebant satisfactionem. Respondeo negando consequentiam, differentia est; nam vt dixi, tractatu de pœnitentia, in illo casu, illa verba, *ego te absoluo*, faciunt hunc sensum, *quantum est ex me; & ex parte clauium, & sacramentum absolutionis tibi impendo*, qui sensus verus est: at verò satisfactio actualis pro macula, & offensa non dicitur, nisi quando de facto, & effectiuè moraliter attingit remissionem illius. In nobis laudabile est, semel atque iterùm confiteri de peccatis, quià nemo scit an odio, vel amore dignus sit, sine speciali reuelatione, quàm si quis habeat, vt Magdalena, & alij adhuc vtilis est satisfactio; tùm ad remissionem pœnæ temporalis, & augmentum gratiæ & gloriæ, tùm etiàm ad præseruandum à peccatis in posterum.

Contra id quod Scotus docet, quòd actus bonus peccatoris, secluso quòd non procedit à gratia est ità bonus, vt est malum peccatum, ac per consequens quòd esset æqualis satisfactio; Obijcies; Nam quando elicitur contritio à peccatore, Deus remittit partem debiti, dando auxilium quo fiat contritio, & Deus non transfert in peccatorem dominium illius; ergò contritio non est æqualis satisfactio adhuc in bonitate morali.

Respondeo 1. quòd Scotus non dicit contritionem habere omnes conditiones perfectæ satisfactionis, secluso statu gratiæ; sed quòd bonitas contritionis adæquat malitiam peccati, quòd est verum; quamuis non tollat debitum carendi auxilio, quod non est malitia, sed pœna. 2. dico, quòd tale auxilium iam est sub nostro dominio, ac per consequens illo dato, potest adæquatè satisfacere, & reddere æqualitatem, excepta inimicitia personæ.

DIFFICVLTAS QVARTA.

An purus homo cum auxilio supernaturali possit imperfectè satisfacere pro suo peccato mortali?

MEdina 3. parte quæst. 1. art. 2. Zumel. 1. 2. quæst. art. 2. ne-

gatiuè respondent.

Communis tamen sententia est, & affirmatiua; Imò hoc facit homo de facto, quando per propriam dispositionem iustificatur. Ità Scotus in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. & ratio est: nam contritio est actus supernaturalis, & retractatio peccati, & hominem conuertit ad Deum quantùm est ex parte peccatoris, & restituit Deo obedientiam & honorem, & elicitur animo satisfaciendi, & est dispositio ad gratiam quæ iustificat: ergò saltem est imperfecta satisfactio.

Obijc. 1. Sententia Trid. sess. 6. cap. 14. dicens bonis operibus satisfieri, non pro pœna æterna, sed tantùm pro pœna temporali. Respondeo quòd loquitur de operibus quæ sequuntur ad iustificationem, non de antecedentibus.

2. Obijcies, remissio peccati fit gratis, vt patet ex Trid. sess. 6. cap. 8. ideò nos dici ab Apostolo iustificari gratis, quià nihil eorum quæ Iustificationem antecedũt siue opera, siue fides ipsam Iustificationis gratiam promerentur.

Respondeo quòd Trident. solùm excludit meritum de condigno: non autem de congruo; nam cap. 7. ait *gratiam dari secundùm propriam cuiusquam dispositionem, ex gratia Dei*; Et hoc meritum admittit August. Epist. 105. & 106. vt dixi tractatu de gratia.

Obijc. 3. Christus pro nobis perfectè satisfecit; frustrà ergo ponitur alia satisfactio imperfecta.

Respondeo negando consequentiam; Nam Christus solùm pro nobis satisfecit efficienter, moraliter merendo nobis auxilia, & dona quibus disponeremur ad gratiam habitualem; non tamen satisfecit formaliter, expellendo nostra peccata, & ideò necessaria est nostra satisfactio, vt ità adimpleamus passionem Christi, nec est frustra. 1. vt qui peccarat, aliquantulùm satisfaceret. 2. vt qui à Deo erat auersus, ad Deum ipse conuerteretur. 3. vt nostra reluceret libertas.

DIFFICVLTAS QVINTA.

Vtrùm purus homo iustus cum auxilio supernaturali possit condignè & ad æqualitatem pro suo peccato veniali satisfacere.

NOn est præsens difficultas, quò veniale formaliter remittatur, de quo tractatu de pœnitentiæ virtute; vbi cum Scoto in 4. distinct. 21. dicitur remitti propter quemcumque actum supernaturalem, cum retractatione venialis. Sed difficultas est de causa efficienti morali & meritoria, & de homine iusto; Nam peccator cum sit Dei inimicus, nihil potest condignè mereri, neque de condigno satisfacere; benè tamen de congruo: dixi cum auxilio supernaturali; nam sine illo nequit fieri opus ad vitam æternam conducens, vt dixi tractatu de gratia. 1. Sententia negat. Ita Sotus de Institutione Sacerdotum, lectione. 15. de pœnitentia. Zumel. 1. 2. quæst. 114. art. 3. disp. 2. sanctus Tho. 3. parte qu. 57. art. 4. 2. sentent. est Montecinos, qui quamuis fateatur talem satisfactionem condignam; negat tamen ad æqualitatem esse. Insinuat Suarez, disp. 4. Sect. 11. dicto 2.

Communis sententia docet posse purum hominem condignè, & ad æqualitatem pro suo peccato veniali satisfacere, ita Scotus in 4. dist. 15. qu. 1. art. 2. vt distinct. 21. quæst. 1. §. *in ista conclusione* Suarez citatus. Vasq. disp. 3. cap. 3. Lorca disp. 15. Probatur. 1. 1. Ioan. 1. *si confitemur peccata nostra, fidelis & iustus est, vt remittat nobis*. Quæ verba explicat August. de venia-

libus; & colligitur; Nam anteà dixerat Ioannes, *si dixerimus quòd peccatum non habemus, veritas in nobis non est.* Probatur ratione Scoti distinctione 21. citata litera, E. quia iustus potest conferre Deo aliquem actum qui sit physicè, & moraliter retractamus venialis, & magis acceptus Deo (verbi gratia) quam displicuit veniale; ergò illo actu non tantùm ad æqualitatem, sed superabundanter satisfacit pro veniali. Probatur; nam contritione ita Deum diligit, vt per illam Deus illum acceptet ad præmium vitæ æternæ; per veniale autem non excluditur homo à vita æterna. Rursus charitas magis vnit hominem cum Deo, quam veniale separet; ergo magis placet, quàm veniale displicet; ergò non tantùm condignè satisfacit pro peccato veniali; sed etiam ad æqualitatem.

Dices, per peccatum veniale homo contrahit debitum carendi auxilio ad resurgendum à veniali; sed quando homo elicit contritionem, Deus liberaliter tribuit homini auxilium; ergo remittit partem debiti, ac per consequens non potest homo satisfacere ad æqualitatem pro toto veniali.

Respondetur quòd per veniale non contrahitur debitum carendi auxilio, quià cum veniale non tollat à iusto amicitiam Dei, non facit indignum hominem diuinis beneficiis: Debitum enim carentiæ auxilij est indignitas orta ex mortali, aut originali.

Sed hoc non placet Lorcæ disp. 5. nã ait quod per veniale contrahitur debitum carendi auxilio, vt homo resurgat ab illo veniali; nam proprium est cuiuscumque offensæ, vt quantùm est ex parte sui, non debeat compensari per gratiam personæ offensæ; sed potius eandem gratiam quoad illum actum compensationis excludat, aliàs non esset offensa.

Sed contrà 1. quià leuis offensa quæ non tollit amicitiam, non demeretur vt impediatur gratia amici; nam amicorum omnia sunt communia, & ità gratia illorum. 2. quià si per veniale contrahitur tale debitum, posset Deus ex iustitia negare tale auxilium, sine quo non mundaretur homo à veniali, & priuaretur in perpetuum vita æterna, in quam non ingreditur cum veniali, quod reputatur inconueniens.

Instabis contrà hoc, quià licet homo per gratiam habeat ius ad hereditatem; non tamen habet ius ad auferenda impedimenta ad ingressum vitæ æternæ, quæ impedimenta sunt venialia; sicut neque gratia dat ius ad perseuerandum, sine qua perseuerantia non consequetur gloriam.

Respondeo quòd aliud est quòd Deus teneatur dare auxilium ad resurgendum iusto qui peccauit venialiter; aliud verò quòd per tale veniale, iustus reddatur indignus tali auxilio; Nam quamuis verum sit quod Deus non teneatur dare tale auxilium, sed possit liberè dare, vel non dare; nam hoc facit veniale: non tamen reddit hominem indignum tali auxilio.

Dices si hoc auxilium liberaliter datur; ergo non est effectus redemptionis Christi; nam effectus illius est tollere debitum carendi auxiliis. Respondeo quòd etiam est effectus redemptionis Christi dare auxilium non debitum; & ratio est quià per peccatum non contraximus debitum carendi auxilio, sed infirmitatem & facilitatem ad peccatum; Christus ergò hanc infirmitatem sanauit dando homini iusto auxilia non debita.

Obijc. 1. Sententia, remissio venialis in homine iusto est opus diuinæ misericordiæ. 1. quià vt tale petitur in oratione Dominica, *dimitte nobis debita*

nostra, & debitum quod condignè soluitur non dimittitur, sed extinguitur. 2. quià remissio venialium dicitur etiam à Paulo fieri gratis, & non ex operibus; ergo non satisfacit homo pro illo ad æqualitatem. Respondeo, concedo esse opus misericordiæ & gratiæ in radice, sicut quamuis gloria mereatur de condigno, dicitur gratia in radice; quià auxilium ad satisfaciendum gratis datur, & licet tale auxilium sit debitū homini iusto, vt dixi tractatu de gratia, ad aliquod opus supernaturale, & hoc modo non vocetur specialis gratia; est tamen gratia in radice, quià iustificatio à qua prouenit tale auxilium, gratis confertur; si quidem de condigno nòn meretur: dicitur etiam opus misericordiæ, & quod dimittitur debitum, & non extinguitur, quià intercedit pactū quod est magna gratia.

Pro 2 sententia, obijcit Suarez, & Montecinos; offensa in honore suam grauitatē sumit ex persona offensa, quę in præsenti est infinita, nimirum Deus, satisfactio ex persona satisfaciente quæ est finita; sed infinitæ ad finitam non est proportio; ergo neque poterit creatura ad æqualitatem satisfacere Deo.

Respondeo supponendo cum Vasq. disp. 3. cap. 2. contià Suarez veniale esse offensam Dei quamuis leuem, & ità ex persona offensa infinita sumere infinitatem extrinsecam, & secundùm quid; tamen contritio hominis iusti, etiamsi ex persona satisfaciente non adæquet, habet ex obiecto etiam infinitatem extrinsecam, & secundùm quid; & ità in hoc adæquat, & aliàs superexcedit malitiam venialis.

2. Obijc. quamcumque satisfactionem factam pro veniali potest Deus respuere; ergo non est ad æqualitatem: Patet consequentia; Nam in humanis creditor non potest non acceptare æqualem satisfactionem.

Respondeo, cùm Suarez, disp. 4. sect. 12. posse Deum de potentia absoluta non acceptare; nam cum sit supremus Dominus, posset se non obligare, & sine obligatione ipsius nihil creatum potest illum obligare. Quo fundamento tractatu de Iustificatione dixi gratiam non iustificare ex natura rei, de facto tamen non posset Deus non acceptare; nam eo ipso quòd iustum acceptauit ad gloriam, acceptauit eius opera in satisfactionem venialium, quæ illius consecutionem impediunt. Idem dicendum est in contractibus humanis, qui debent ex pacto, quòd supposito pacto tenentur homines, non supposito non tenentur; in illis verò qui non dependent à pacto; vt restitutio pecuniæ, vel honoris, tenetur creditor acceptare, si sit restitutio æquiualens; non tamen Deus, quià est supremus Dominus. Ex quo patet quod posset Deus, si vellet habentem veniale, æternaliter gloria priuare, quià Deus non tribuens auxilium, non faceret iniuriam, quià non debet; esset tamen indecens, vt ait Vasq. iustum perpetuò gloria priuari; tamen Deus non tenetur dare vnicuique, quod illi decens est, vt patet in monstris.

DIFFICVLTAS SEXTA.

Vtrùm purus homo iustus cum auxilio supernaturali possit de potentia Dei condignè & ad æqualitatem satisfacere pro peccatis aliorum hominum.

SVppono, vt dixi tractatu de merito, cum communi sententia, non posse de facto vnum alteri de condigno mereri auxilia, neque gratiam habitualem; & ita præsens difficultas est de potentia Dei. Suppono etiam (vt ibi

dixi) posse iustum alteri de congruo mereri primam gratiam & iustificationem; vt Stephanus meruit gratiam Diuo Paulo.

Prima sententia est negatiua: Ità sanctus Tho.3.p.quæst. 1.art. 2.ad 2. Vasq.disp.34.cap.3.Pezantius disp. 4. Hurtado diffic. 14. Cabrera qui alios citat; sed fortè tantùm negant rigorosam satisfactionem.

Secunda sententia est, Suarez disp. 4. sect.7. & Montecinos dicentium posse hominem iustum satisfacere pro peccato totius naturæ condignè; non tamen ad æqualitatem: Distingunt hi auctores inter satisfactionem condignam, & ad æqualitatem; condignam vocant quæ in valore operis ex subiecto, & circunstantiis æquat cum grauitate offensæ, in quo distinguitur à congrua, quæ est inæqualis cum offensa. Ad æqualitatem, & perfectam vocant, quæ non tantùm æquat in valore; sed in dignitate personæ satisfacientis: cum ergò in præsenti sit finita, & persona offensa sit infinita, dicunt quòd est condigna, non verò perfecta & æqualis: Addunt quòd hæc differentia solùm est in satisfactione non in merito; nam omne meritum condignum est æquale; propter quod Suarez loco citato, & lib. 12. de merito, cap. 16. num. 12. dicit iustum posse, de potentia Dei alteris de condigno, & ad æqualitatem mereri gratiam habitualem; negat tamen pro peccatis illorum ad æqualitatem & perfectè satisfacere. Sed non capio quomodo ista cohæreant inter se, quia condignè & ad æqualitatem satisfacere pro macula, nihil aliud est quàm mereri de condigno formam per quam expellatur macula; sed secundùm Suarez iustus de potentia Dei potest de condigno mereri aliis gratiam, per quam expellitur peccatum; ergo etiam de potentia Dei potest satisfacere de condigno, & ad æqualitatem pro peccatis aliorum.

2. Christus Dominus non aliter pro nostris peccatis satisfecit, quàm merendo nobis gratiam actualem & habitualem; sed vtramque gratiam potest iustus de potentia Dei mereri nobis, secundùm Suarez; ergo & satisfacere condignè & ad æqualitatem pro peccatis nostris.

Tertia sententia à nobis tenenda ait posse iustum ex gratia Dei supernaturali, de potentia Dei satisfacere condignè, & ad æqualitatem & perfectè pro peccatis totius naturæ. Tenet Scotus in 3. dist. 20. § *contrà illud quod dicit*, insinuat in 4. dist. 15. quæst. 1. §. *quã unum ad istum*. Faber. in 3. disp. 47. cap. 1. Pitigianus disp. 20. art. 4. Gabriel, Vega, Sotus, Ioannes de Medina, & inclinat Lorca disp. 6.

Probatur, 1. quià pactum Dei valorem tribuit operibus, vt dixi difficultate. 2. & latè probaui in tractatu de merito, nec diffitentur Suarez, & Montecinos citati; ergò optimè poterit Deus acceptare opera iusti ad remissionem peccatorum totius naturæ. Et confirmatur exemplo; nam potuit Deus pepigisse fœdus cum Adamo, quod si non peccaret; sed mereretur augmentum suæ Iustitiæ, talem iustitiam cum suo augmento traduceret in posteros. Probatur; nam sicut pactum erat sufficiens, vt traduceret iustitiam: ita erat sufficiens vt traduceret augmentum illius: sed si hoc potuit Adamus cum pacto, etiam potuit homo iustus mereri & satisfacere de condigno pro peccatis aliorum, si Deus iniret tale pactum.

Ratio à priori est, quià hoc fieri non implicat; ergo non est Deo denegãdũ. Antecedens probatur; nã ad condignã & æqualẽ satisfactionẽ tantùm requi-

riturquòd opus satisfactionis in valore & dignitate æquivaleat debito, & quod Deus illud acceptet pro tali debito; sed homo iustus potest elicere actū qui ita sit bonus, ac fuit Adæ peccatum malum; imò multò perfectior, si talis homo habuisset summam gratiam, vt habuit Christus, & fuisset conceptus sine peccato, vt ait Scotus distinctione 20. citata; ergo poterat ad æqualitatem & superabundanter satisfacere pro peccatis aliorum.

Respondet Vasq. quòd gratia habitualis quæ est principium talis satisfactionis, solùm est semen gloriæ in subiecto in quo est; non tamen respectu aliorum subiectorum; nam si hoc esset possibile, Beata virgo & Apostoli potuissent nobis de condigno mereri gratiam actualē & habitualem: nam sicut triticum etiam perfectissimū non potest esse semen alterius fructus speciè distincti. Ita neque gratia respectu aliorum subiectorum.

Sed contrà, quià Christus Dominus per gratiam habitualem, eandemque in specie cum nostra, meruit nobis gratiam; ergo similiter gratia nostra potest esse semen aliorum. 2. dato non concesso quòd gratia non sit semen respectu aliorum; poterat tamen Deus creare gratiam quæ esset semen respectu aliorum, cum qua quis satisfaciat pro peccatis aliorum.

Ad fundamentum Vasquez. Respondeo quòd gratia duplex est semen gloriæ. 1. in genere causæ formalis, & ita solùm est semen subiecti, in quo est; nam forma tantùm subiecto, cui inhæret, dat suum effectum formalem. 2. in genere causæ efficientis, & ita respicit præmium, vt coronam & mercedem, & vt sic non solùm est semen respectu subiecti in quo est, sed respectu cuiuscumque subiecti pro quo ille offerat, & quod Deus acceptet; nam quòd mereatur mihi, est illi accidentale; imò potest mereri aliud præmium præter gloriam, vt dixi tractatu de merito; dicitur autem gratia semen tātùm illius in quo est; nam opera meritoria accipientia dignitatem ab ea, necessariò debent esse opera illius in quo est gratia. Beata Virgo non meruit de condigno aliis gratiam. 1. de hoc non fuit pactum, & fuit soli Christo reseruatum. 2. quia fuerunt acceptata pro se quòd petebant connaturaliter talia opera, & vnum meritum non habet duo præmia; potuerunt tamen pro aliis acceptari à Deo, neque erat hoc contrà charitatem, & indecens Virgini; nam Deus poterat primum actum Virginis acceptare pro illa, & cæteros actus pro aliis, ex quo in Virgine esset magna excellentia & gloria. Neque exemplum tritici aliquid valet; nam gratia & gloria mea, & alterius sunt eiusdem speciei: tantùm aduertite quod acceptatio pro aliis esset supernaturalis; nam opera ex sua natura petunt acceptationem pro gloria propriæ personæ cuius sunt, & quam formaliter dignificant.

Pro 1. sententia obijcies, quià ex nostra sequitur Incarnationem verbi non esse simpliciter necessariam, quod est contrà Patres & Pontifices quos adducunt recentiores. Respondeo esse simpliciter necessariam ad suauem & connaturalem & copiosam satisfactionem, & ita intelliguntur Patres; nam satisfactio hominis puri esset miraculosa & præternaturalis.

Dices, ergò etiam merita Christi essent præternaturaliter acceptata pro aliis. Patet; nam gratia Christi cū nostra, est eiusdem speciei. Respondeo negando sequelam: disparitas est; nam ex eo quod erat gratia hominis Dei, petebat vt ad quodcumque præmium

possibile ordinaretur.

Obijcies 2. opera vnius puri hominis non possunt satisfacere ad æqualitatem pro innumeris peccatis. Respondeo quod poterant actus ita esse intensi, vt pro multis peccatis valerent. Rursùs nō sit vnus homo qui satisfaciat sed sint plures qui eliciant tot actus & ita intensos vt superarent actus peccaminosos totius naturæ, præcipuè si accedat pactum.

Obijcies 3. satisfactio quæ habet æqualitatem ex gratia creditoris non est condigna & æqualis; sed satisfactio puri hominis habet partialem valorem ex acceptatione: ergo non est æqualis. Respondeo quod quando acceptatio est antecedens; licet acceptare sit gratia, non tollit æqualitatem operis cum debito; nam se habet per modum legis, & posita illa, qui fecerit quod lex præcipit, acquirit ius iustitiæ ad præmium, vt contingit in brauio, secùs verò est quando acceptatio & pactum est consequens; nam tunc fit à creditore partialis solutio debiti.

CAPVT TERTIVM.

De satisfactione Christi Domini.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quomodo Christi satisfactio fuerit condigna.

ANtequam hanc difficultatem explicemus, supponendum est quod Iudæi credentes regnum Messiæ fore temporale, negarunt Christum fuisse redemptorem. Sed reijciuntur ex Psal. 106. *dicant nunc qui redempti sunt à Domino quos redemit de manu inimici.* Hoc idem negarunt Bassus hæreticus qui vixit circa annum 150. tempore Higini Papæ & Antonini Imperatoris, dicens non esse sperandam salutem animarum à Christo, & Abailardus, qui vt refert Bernardus Epist. 190. dicebat Christum non fuisse redemptorem, sed doctorem tantùm, vt viam veritatis ex charitate demonstraret, dicebat enim quod nos per peccatum non eramus captiui diaboli, sed tantum nos tenebat in carcere, sicut custos. Similiter Pelagiani negantes peccatum originale, negabant necessitatem redemptionis; sed omnes isti hæretici reijciuntur ex Paulo ad Tit. 2. *dedit semetipsum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Reiiciuntur etiam ex Trid. sess. 6. cap. 2. vbi hoc est definitum, quomodo Christus nos liberauit à diaboli potestate, dixi cap. 1. diffic. 8. in fine.

Dices, si Christus nos liberauit à diaboli potestate, quomodo non soluit pretium sui sanguinis diabolo, sed Deo? Respondeo, quià Deus erat offensus, & potestas diaboli erat tyrannica, quià fefellit nostros primos parentes, & hæc potestas fuit ex permissione diuina.

Suppono etiam contrà Durandum in 3. dist. 20. quæst. 3. satisfactionem Christi non solùm esse æquiualentem & condignam, sed superabundantem. Probatur ex Ps. 109. *copiosa apud eum redemptio.* Et Isaiæ. 10. *consummatio abbreuiata inundabit iustitiam*; Ita Athanas. Chrisost. Cyrillus, & alij Patres apud recentiores; dicebat enim Durandus satisfactionem Christi non esse æqualem & condignam; Deum tamen ea contentum mansisse, ac si esset æqualis, & vt talem acceptauit, non quod acceptatio tribueret valorem. Hanc sententiam vt improbabilem & impiam iudicant Suarez disp. 4. sect. 3. Vasq. &c. Aliqui illam Scoto in 3. dist. 19. §. *In ista opinione*, impo-

nunt, falsò tamen vt notauit optimè Lorca; nam Scotus litera, B. ait meritum Christi, ratione personæ, habuisse circunstantiam infinitam, ratione cuius habuit congruentiam vt pro infinitis acceptaretur, & dist. 20. litera, F. probat ex illo psalmi, *copiosa apud enim redemptio*, vt in 4. dist. 15. quæst. 1. §. *quantū ad istū*, ait, *de potentia tamen ordinata non disposuit Deus sibi reconciliare inimicum, nisi per obsequium magis gratum, quam offensa eius erat sibi displicens, & tale obsequium eius est passio Christi, & meritum eius.*

Obijcies pro sententia Durandi. 1. per peccatum incurrimus debitum carendi omni auxilio; ergo Incarnationi; sed Christus non potuit satisfacere pro debito carendi Incarnatione, quià Incarnatio nequit mereri, siquidem est principium omnis meriti & principiū meriti non cadit sub merito.

Respondent aliqui quod Christus satisfecit, & Incarnatio nō fuit gratia facta Christo, sed humanitati eius. 2. Respondeo quod gratia fuit quod tale donum daretur humanitati; sed iam dato, opera à Christo elicita habebant æquiualentem valorem cum malitia peccati, imò & superabundantem.

2. Obijcies, Christus non potuit satisfacere pro beneficiis acceptis ad æqualitatem; ergo neque pro nostris peccatis.

Respondet Lorca quod operibus dignificatis à personalitate, potuit optimè gratias agere pro beneficiis. Addit ex nostro Vega 7. in Trid. ca. 8. quòd argumentum nihil valet; nam licet non possit æqualiter gratias agere pro beneficiis, poterat tamen satisfacere pro peccatis; nam maiora fuerunt beneficia à patre data quàm peccata hominum.

2. Respond. quod non potuit gratias agere, & potuit pro peccatis satisfacere. Nam est dispar ratio; gratiarum enim actio est nouum beneficiū, pro quo ipsamet gratiarum actio exhiberi non potest; nam beneficium necessariò præsupponitur ad actionem gratiarum pro eo, satisfactio pro peccatis non est nouum debitum peccatorum, & ita potuit pro peccatis satisfacere; his suppositis.

Difficultas est an satisfactio Christi domini ex natura sua, & prout prouenit solùm à tali persona, à tali voluntate, & gratia, habeat valorem & dignitatem æquiualentem peccato Adę, vel solum illum habeat ex pacto & acceptatione Dei, & suppono ex tractatibus de Iustificatione & merito, pactum Dei posse dare, imò de facto dare valorem & dignitatem operibus iustorum.

Prima sententia dicit opera Christi domini non habere ex se & ex sua natura sufficientem valorem ad æqualitatem cum debito peccati Adæ, sed ex pacto Dei; ita tribuitur Durando citato, & Medinæ, codice de satisfactione quæst. 1. Tenent Nominales: tribuitur etiam Scotistis; Radæ 3. parte, contro. 13. art. 2. conclusione. 7. & art. 3. ante 1. conclusionem, & conclusione. 3. Fabro in 3. disp. 46. Pitigiano in 3. distinct. 18. art. 1. & dist. 20. art. 3. sed ni fallor, hi Scotistæ non loquuntur in hoc sensu, sed de completiua ratione meriti, & de iure, respectu præmiantis, præcipuè loquentes de operibus Christi domini.

Secunda sententia dicit merita Christi, seclusa quacunque acceptatione, habere æqualitatem cum debito peccati Adæ; Ita sanctus Tho. 3. parte quæst. 1. art. 2. Suarez disp. 4 sect. 3. Vasq. disp. 5. cap. 2. Becanus cap. 15.

Pro intelligentia nostræ sententiæ noto cum Scoto quodlibet. 17. §. *de 2. dico* litera B. quod actus meritorius

dicit

dicit duplicem relationem, vnam ad voluntatem Dei vt acceptantis, alteram ad illud bonum pro quo acceptatur, quæ sunt relationes rationis: idem dicendum de actu satisfactorio; nam dicit vnam relationem ad debitum pro quo satisfit, alteram ad personam cui satisfit.

Dico primò, si merita & satisfactio Christi sumantur solùm prout dicunt relationem ad debitum peccatorum absque pacto & acceptatione, fuerunt æqualia cum illo, imò superabundantia. Ita Scotus in 3. dist. 2. litera, F. citata & in 4. dist. 15. citata, vt vidimus in initio huius difficultatis; ex quo probatur ista conclusio: Rursus probatur ex ad Hebr. 5. *Exauditus est pro sua reuerentia.* Legunt Ambros. de Incarnat. cap. 6. Et Chrysost. homil. 9. ad Hebræos. *Exauditus est propter suam dignitatem.* Probatur etiam ex ad Rom. 5. *Non sicut delictum, ita & donum, si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis, &c. Gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit*; Sed Adæ peccatum sine acceptatione nos damnificauit, ergò multo magis gratia Christi nos redemit & concludit, *quod vbi abundauit delictum superabundauit & gratia*: Quæ verba Leo, Chrys. & Caius Papa ad hoc propositum explicant. Accedit Clemens 6. in extrauaganti *vnigenitus* dicens, *vnam guttam sanguinis modicam quæ tamen propter vnionem ad verbum pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed copiosè velut quoddam profluuium noscitur effudisse.*

Ratione probatur, quia si opera Christi ex se non habebant æqualē valorem, sed ex acceptatione, nullo modo necessaria erat Christi incarnatio, nam per pactum etiam opera puri hominis essent æqualia vt dixi cap. 2. diff. 6. Accedit quod ideò patres hunc valorem tribuunt operibus Christi, quia erat homo & Deus. Deindè pactum solum potest tribuere æqualitatem cum præmio non superabundātiam; ergò quòd opera Christi sint superabundāter satisfactoria, non habent à pacto sed à natura sua. Probatur antecedens; nam pactum solùm tribuit quod detur talis res pro tali debito. Denique actualis acceptatio cognoscentis omnia peccata, vt cognoscit Deus facienda, non est ad numerum indeterminatum, aliàs esset frustranea; ergò ad determinatum; ergò cum opera Christi sint superabundantia non erunt ex pacto sed à se.

Pro prima sententia obijcies primò, peccata fuerunt contra bonum infinitum; ex quo valdè crescit malitia peccati. Rursus innumera & aliqua intensissima opera Christi non adæquant in numero, neque sunt infiniti valoris, vt dicam difficultate sequenti, ergò nisi accedat pactum, non possunt adæquare cum malitia peccati.

Respondeo, quod vt adæquent, sufficit quod sint opera Dei & hominis, nam ita persona diuina nobilitat opera, vt omnia creata non adæquent illa in valore & æstimatione sicut omnes species materiales simul non adæquant nobilitatem speciei humanæ, & cum omnia peccata nihil aliud sint quàm priuationes alicuius rectitudinis creatæ, non auertunt à Deo infinito modo.

Secundò obijcies, Christus satisfecit per humanitatem per quam est minor patre; ergo non potuit reddere æquiualens pro peccato, quod est contra Deum, vt est in se. Respondeo Christum per humanitatem verbo vnitam satisfecisse, & licet hæc reduplicatiua sit vera, Christum secun-

dùm humanitatem esse minorem patre, tamen etiam hæc specificatiua est vera *Christus non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo*, & licet principium *quod* satisfaciens non sit compositum ex verbi personalitate & humanitate, vt docet Suarez disp. 4. sect. 5. Aluarez disp. 5. sed humanitas tantum sit principium *quod* vt docet Vasq. disp. 8. ca. 2. & disp. 22. nihilominus principium dignificans est persona verbi.

Tertiò obijcies, si satisfactio Christi ita excedit debitum peccatorum, ergò fuit priuata suo adæquato præmio quod est inconueniens. Respondeo nullum fuisse inconueniens cum Christus contentus fuerit tali præmio, & solùm pro illo, illam obtulit; ex quibus constat quod ille valor superexcedens operum Christi, fuit non solùm ab intensione actuum, & à gratia habituali, sed etiam à supposito diuino. Ita Scotus in 3. dist. 14. §. *in ista quæst.* litera, B. & §. *ad primum* litera, F. ait quod cùm Christus satisfecerit per actum beatificum tàm respicientem obiectum primarium quàm obiecta secundaria, ex hoc habuit magnum valorem.

Dico secundò, si satisfactio Christi accipiatur, vt dicit relationem ad creditorem, non est condigna sine pacto, hoc est non habet ius vt creditor teneatur acceptare talem satisfactionem sine pacto: Ita intelligo Scotistas citatos pro prima sententia in hoc puncto de operibus Christi. Pro hac sententia sunt omnes ferè Thomistæ qui ponunt pactum, vt rationem completiuam meriti: Est Scoti in primò dist. 17. quæst. 1. §. *Sed tunc est vlterius*, & in 3. distinct. 18. 19. & 20. Probatur, ista opera Christi respiciũt Deum vt debitorem, sed Deus nequit constitui debitor, nisi ratione suæ promissionis, ergo. Probatur minor ex August. serm. 16. de verbis Domini; *Deus nobis debitor factus est non aliquid à nobis accipiendo, sed aliquid quod ei placuit promittendo*, ergo necessarium est pactum quod inuenitur in Isaia cap. 53. *Si posuerit animam suam pro peccato videbit semen longæuum*. Probatur ratione à Scoto, nam cum Deus sit suprêmus Dominus, nihil est creatum quod possit illum obligare nisi ipse velit, ergò cùm opera Christi sint creata non possũt illum obligare sine pacto.

Secundò, Probatur quia si pactum non est necessarium, ergò Christus satisfecit pro dæmonibus cum opera illius fuerint sufficienter valida, si ergò pro eis non satisfecit, ex eo fuit quia non fuit pactum. Rursus opera Christi in cœlo modo existentis, ideò non sunt meritoria, quia non est pactum, ergo ad meritum est necessariũ.

Obijcies primò, pro secunda sententia in eo quod est contra istam conclusionem, operationes Christi sunt Dei & hominis, Theandricæ, idest Dei viriles, ergò non indigent Dei acceptatione. Respondeo concedo antecedens; negando consequentiam, ratio est quia sunt quid creatum.

Secundò obijcies ex nostra sententia sequeretur Christum non satisfecisse pro antiquis patribus; nam ante incarnationem nulla potuit esse acceptatio habens rationem pacti, cùm Christus nondùm fuerit. Respondeo quòd Christus sicut satisfecit operibus præuisis futuris pro patribus, ita etiam fuit pactum præuisum, nondùm exhibitum.

Tertiò obijcies, sequeretur quod validius esset peccatum quàm meritum Christi. Probatur, nam peccatum sine pacto inducit pœnam, non verò opera Christi Domini sine pacto

inducunt gloriam. Respondeo negando sequelam, nam Adæ peccatum etiam peccatum est in nos infusum ratione pacti: imò & nostrum peccatum ex voluntate Dei pœna damni, & sensus punitur, siue hæc voluntas sit pactum siue non, quia parùm ad rem. Respondeo secundò, quod diuersa est ratio de demerito ac de merito, nam meritum inducit ius, & ita requiritur pactum ad illud, at verò demeritum non inducit jus ad pœnam, sed tantum per illud habet homo obnoxietatem, vt puniatur talibus pœnis.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Vtrùm satisfactio Christi fuerit infiniti valoris.

Difficultas in præsenti procedit de infinito simpliciter & formalitèr, de cuius ratione est non habere terminum secundùm intensionem si est qualitas, & secundùm extensionem si est quantitas, & dicitur infinitum infinitè. Quæritur ergo vtrùm Christi satisfactio in hoc sensu sit infinita, nam esse infinitam secundùm quid & lato modo ferè nullus negauit.

Prima sententia quæ communiter deffenditur à Theologis dicit merita Christi esse infiniti valoris simpliciter. Ita sanctus Thom. 3. part. quæst. 48. articul. secundo ad 3. disput. Suarez disput. 4. sect. 4. Vasq. disput. 6. cap. 2. Lorca disput. 7. Becanus cap. 14. & 15. Hurtado difficultate 19. Cabrera, Ragusa citantes Bonauenturam, Alensem, C. ietanum, Capreolum, &c. tenent quidam ex nostris.

Secunda sententia negat talem infinitatem in satisfactione Christi: Ita Scotus in 3. dist. 19. §. *contra hunc modum*, & §. *quantum ad sufficientiam*, & in 4. dist. 15. §. *de 2. dicitur* litera, C. omnes Scotistæ, Rada in 3. controuersia 14. art. 2. Faber disput. 45. ca. 2. & 3. Pytigianus dist. 20. art. 6. tenet, Gabriel, Almanius, Ioannes de Medina codice de satisfactione quæstione 1.

Respondet Lorca & cum eo Scotistæ illi, quod Scotus tantùm negat entitatem Physicam, & intensionem illius, & similiter bonitatem moralem esse simpliciter infinitam, non tamen negat valorem prouenientem à persona verbi esse simpliciter infinitam. Sed contrà, primò quia Scotus negat quod affirmabant sanctus Thom. & Henricus, & contra illos arguit §. contra hunc modum dicendi, sed illi solùm dicebant valorem esse simplicitèr infinitum ex dignitate personæ, & non dicebant entitatem Physicam, nec Moralem esse infinitam, vt ipse Lorca fatetur, ergò talem valorem negat Scotus.

Secundò, Scotus §. quantùm ad sufficientiam, sic ait; *dico quod meritum Christi fuit finitum, quia à principio finito essentialiter dependens, etiam accipiendo ipsum cum omnibus respectibus, siue cum respectu ad suppositum verbi, siue cum respectu ad finem, quia omnes respectus isti erant finiti, & ideò quomodocumque circumstantionatum finitum erat*, & in 4. citato ait; *Passio Christi fuit bonum finitum etiam accepta secundùm totam rationem meriti in ea*; sed in merito valor moralis includitur, ergò hæc est expressa sententia Scoti.

Hæc sententia ratione Scoti probatur, quia vel meritum Christi erat ita acceptatum & dilectum à Deo quãtum erat acceptata persona verbi, vel non, si non; ergò non erat simpliciter infinitum secũdum rationem acceptabilitatis, quia vnum infinitum

non est maius altero: vel erat ita acceptatum, & hoc non, nam sequeretur quod aliquid creatum esset ita bonum & acceptabile ac esset bonum velle increatum verbi, & quod Deus ita diligeret velle creatum Christi, ac velle increatum verbi.

Respondent Suarez, Vasq. & recentiores, quod etiam infinitè acceptatur à Deo satisfactio Christi, sicut acceptatur essentia diuina, aut velle verbi, non tamen eodem modo; nam essentia diuina, & velle verbi acceptatur ratione sui, at verò operatio Christi ratione verbi.

Sed contrà primò, quia hoc non est meritum Christi esse simpliciter infinitum, sed tantùm secundùm quid; neque ex principijs intrinsecis, sed ex extrinsecis, & patet: Nam sicut deitas, vel personalitas secundum diuersas sententias Thomistarum, licet sit sanctitas humanitatis, non est sanctitas intrinseca, sed extrinseca (vt optimè notauit Suarez propter quod ipse vnioni tribuit talem sanctitatem de quo cap. 11. difficult. 2.) Ergò licet personalitas tribuat Christi operibus infinitatem, non tamen intrinsecam, sed extrinsecam & secundùm quid.

Secundò, si ita æstimatur opus Christi ac velle verbi, licet diuerso modo, ergò totum Christi meritum est simpliciter infinitum, quod est impossibile. Probat Scotus nam tale meritum non tantum dependet à personalitate verbi, sed præcipuè à voluntate & gratia Christi, quæ finita sunt & limitata; Ergò saltèm effectus totus non erit infinitus, ac per consequens tantum secundùm quid erit talis. Rursus neque aliquid erit infinitum in tali merito, sed totum meritum erit finitum, sicut visio beata finita & limitata est, etiam si dependeat à Deo infinito obiecto, quia etiã dependet ab intellectu & lumine gloriæ principijs creatis finitis, & effectus sequitur debiliorem partem.

Respondent Vasquez, & Montecinos quòd ratio meriti vltimatè completur per dignitatem personæ, vt in nobis per gratiam habitualem, & ità vt totum sit infinitum, sufficit infinitas vltimi complementi qua afficitur, vt forma morali, & ita transit actus ad statum infiniti valoris. Sed contra primò quia hæc forma semper est externa actui.

Primò non facit illum intrinsecè, & simpliciter infinitum. Secundò, hæc æstimabilitas seu forma recipitur in actu, sed omne quod recipit ut ad modum recipientis recipitur, & non iuxtà naturam dantis, vt patet; nam si verbum assumeret naturam equi, non personaret illam, sed suppositaret, ergò cum actus sit finitus, etiam æstimabilitas in illo reperta, erit finita.

Secundò, probatur conclusio, bonitas moralis operis Christi non sumitur iuxtà mensuram adæquatam obiecti, neque iuxta mensuram operantis, ergò neque ratio meriti. Antecedens probatur, nam dilectio Dei quæ respicit obiectum infinitum, non est infinita, neque actus obedientiæ Christi etiam si fiat à circunstantia *quis* infinita, id est, à persona, non est infinitus in ratione valoris moralis, ergò neque in ratione meriti.

Respondet Montecinos quòd ad hoc vt obiectum, vel circũstantia *quis* det infinitam bonitatem, debet comprehendi, & cum non comprehendatur à creatura, hinc est quòd non tribuat bonitatem ad mensuram arithmeticam, benè tamen tribuit aliquam maiorem bonitatem: at verò valor & dignitas ad merendum non sumebatur in Christo ex obiecto aut

ex intensione actus voluntatis, sed ex ipsa deitate secundùm se, & ideo non est eadem ratio de merito ac de bonitate morali. Sed contrà, quia neque ipsa deitas comprehenditur à Christo neque tribuit eius merito infinitatem.

Secundò, respondet quidam ex nostris quòd obiectum concurrit, vt causa partialis simul cum potentia & alijs circunstantijs ad bonitatem moralem actus qui est forma, ad quam sequitur valor moralis operis satisfactorij, & ideò non tribuit obiectum actui satisfactorio tantum valorem moralem quantum habet in se, sed tantùm quanta est dignitas bonitatis moralis actus cuius est causa partialis, quia dignitas moralis est forma ad quam per se sequitur valor moralis proueniens ex obiecto & circunstantijs secundùm proportionem arithmeticam; at verò in merito. Persona merens respectu meriti habet se, vt forma saltem externa, & ideò tribuit merito tantum valorem moralem, quanta est dignitas quam in se habet persona.

Sed contra, primò quia in merito persona se habet vt forma externa, & non in bonitate morali, quando est circunstantia *quis*?

Secundò, quia etiam obiectum est forma externa & præcipua siquidèm specifica, & hoc non obstante non tribuit valorem secundùm proportionē arithmeticam; ergò neque in merito & satisfactionē. Deindè quia si in merito, persona tribuit totam suam dignitatem; ergò similiter gratia cuiuscumque iusti dignificabit opus secundùm totam suam intensionem, & ita qui habet gratiam vt octo, & operatur vt duo, merebitur vt octo, quod videtur inconueniens. Nam si duo homines haberent æqualem gratiā, & vnus eliceret intensissimum charitatis actum & pateretur martyrium, & alter remissam humilitatis actionem æquè mererentur. Sed hoc non reputant inconueniēs Victoria, Suar. sect. 4. ad 2. & alter recentior ex nostris, quod magnum mihi videtur; nam iam Deus non redderet vnicuique secundùm opera sua, gratia enim solum requiritur, vt dignificet personam ad merendum de condigno, non verò vt meritum augeat. Propter hoc Vasq. cap. 4. & Montecinos dicunt diuersam rationem esse de gratia in iustis, & de persona verbi; nam gratia tantùm dignificat opera secundum intensionem ipsorum, ratione obiecti & circunstātiarum; at verò persona verbi secundùm totam suam dignitatem, quæ non est intensiua sed altioris ordinis scilicet infiniti.

Sed contra hoc inquiro, quare gratia non dignificat secundùm totam suā intensionem, quæ est entitas ordinis gratiæ, & persona verbi dignificat secundùm totam suam dignitatem? Lorca respondet, quod gratia remissa, vel intensa est eiusdem speciei & rationis, propter quod non est considerandā ad maius, vel minus meritum; At verò dignitas personæ Christi est diuersi ordinis scilicet infiniti, & ita attendenda est. Sed contrà, quia saltem meritum erit magis intensum, licet sit eiusdem speciei cum merito remisso, quod ipsi negant.

Nostra & vera sententia magis probabitur ex refutatione modorum dicendi, quibus auctores deffendunt infinitatem in operibus Christi.

Primus modus dicit opera Christi esse infinita, quia persona verbi physicè in illa influebat; nam actiones sunt suppositorum. Sed reijcitur primò, nā hoc axioma solùm intelligitur quòd actiones sunt suppositorū denominatiuè; nam ratio agendi, vt *quo*,

& etiam, vt *quod* est natura, & eius potentia, personalitas solùm terminat naturam, & facit quod constituatur principium *quod*: Propter quod Aristoteles non dixit actiones sunt suppositorum, sed singularium. Secundò, si verbum infinitè influeret physicè, effectus physicè esset infinitus, quod omnes negant. Tertiò, quia opera Trinitatis ad extra adhuc post incarnationem sunt indiuisa, ergò si verbum influit physicè, ergo tota Trinitas.

Secundò, alij hoc explicant penès hoc quòd operationes humanæ Christi imperabantur à voluntate diuina, cui subdita erat humana, quæ sententia videtur esse Driedonis, eamque diuersimodè intelligunt, & refutant Suarez, Vasq. Lorca: Primò, Suarez & Lorca sic reijciunt; quia ex operatione voluntatis humanæ & diuinæ in Christo non fit vna operatio, nec in esse naturæ, quippè vna operatio est creata, altera increata, sicut neque ex natura humana & diuina fit tertia natura. Rursùs neque ex vtraque ista operatione fit tertia in esse moris: Nam quælibet voluntas tàm humana quam diuina habet propriam libertatem. Addit Lorca, quod Driedo tantùm dixit voluntatem diuinam & humanam Christi fuisse vnitas tanquàm instrumentum & causam principalem, quia diuina mouebat humanam, & dirigebat ipsius operationes, & indè proueniebat infinitas in eius operationibus.

Sed contrà quia talis motio est ad extra, & ita communis toti Trinitati.

Secundò, quia etiam omnes actiones Virginis Mariæ, & in iustis prouenientes à gratia essent infiniti valoris, quia specialiter à Deo gubernantur. Alio modo refutat Vasq. cap. 4. quia Driedo dixit quòd operatio humana habebat valorem ex communicatione ad voluntatem diuinam. Sed contrà quia infinita dignitas ad merendum non fuit in operationibus Christi, quia Deus voluit, sed quia erat homo: Vnde si per possibile, vel impossibile Deus esset homo, & operationes humanæ non imperarentur à voluntate diuina, eundem valorem haberent ad merendum.

Tertiò, alij dicunt opera esse infiniti valoris quia manebant in persona diuina, media humanitate. Sed contrà quia Christus non solùm meruit actionibus immanentibus, sed etiam transeuntibus. Secundò, valor non sumitur ex subiecto in quo recipiuntur opera, sed ex efficiente à quo proueniunt, vnde si verbum assumeret equinitatem, actiones immanentes illius, etiamsi reciperentur in equinitate vnita verbo, non haberent valorem infinitam ad satisfaciendum.

Quartò, alij dicunt esse opera infiniti valoris quia Christus se obtulit Patri, & talia opera versabantur circà Christum tanquam obiectum, aut terminum, & Christus est persona infinita. Sed contrà primò quia virgo Christum obtulit in templo, & tamen non meruit infinitè, ergo neque Christus per hoc. Secundò, quia sacrificium Missæ si habet infinitatem non est, quia offertur Christus, sed quia Christus est principale operans.

Quintò, Suarez & Lorca, & quidam ex nostris dicunt hanc infinitatem prouenire ab infinitate personæ; quia personalitas intrinsecè includitur in operante si quidem constituit principium *quod*, & aliàs est infinita: ergò dat infinitum valorem operibus ab illo elicitis. Sed contrà primò; Si hi Scotistæ excludunt diuinitatem, reijciuntur; nam personalitas nec est finita nec infinita secundùm Scotum,

vt dixi tractatu de Trinitate, ergo non tribuit infinitatem; Si verò includunt diuinitatem, incidunt in id quod reijciunt contra Vasq. dicentem deitatem tribuere infinitatem. Secundò, reijcitur hic modus dicendi, quia omnes operationes Christi æqualiter dependent à supposito diuino, sed operationes naturales, & necessariæ non sunt infiniti valoris, ergò neque liberæ. Respondet Suarez quod in actibus debet præsupponi libertas vt recipiant valorem à supposito. Sed contrà quia suppositum nequit dare valorem nisi mediante libertate & bonitate actus, sed quidquid datur mediante aliquo finito, necessarium est principium, vt sit etiam finitum; Ergò valor quem persona diuina tribuit actui mediante libertate erit finitus; Nam illud finitum quod tribueret persona, à causa finita modificaretur.

Dices quod persona est forma extrinseca, & sic dat totum valorem quem in se habet. Sed contrà quia operationes solùm in genere causæ efficientis dependent à supposito, non in genere causæ formalis; Nam suppositum *quod* efficiens, & natura est principium *quo*, & etiam *quod* secundùm aliquos. Addo quod si esse infinitum est perfectio, & repugnat enti physico, vt communiter dicunt Thomistæ, multò magis repugnabit enti morali, quod estimperfectiùs physico.

Sextò, Vasquez & Montecinos dicunt hanc infinitatem prouenire à natura diuina sanctificante humanitatem. Sed contrà, primò ex Lorca, quia natura diuina non est forma sanctificans, quia tantùm vnitur humanæ quasi extrinsecè, quia vtraque est in diuino supposito sicut color & sapor vniuntur in pomo, & neutra est forma alteriùs, ergo si opera Christi habent aliquam dignitatem infinitam à tali forma, tantùm erit extrinseca, & secundùm quid, non simpliciter vt dixi: Secundò sicut iste valor à deitate, est in operibus extrinseca denominatio quæ dat infinitam simpliciter dignitatem moralem cum hæc denominatio sit physica, & prouenien à forma physica nempè deitate, etiam tribuit operibus quandam physicam infinitatem simpliciter, quod est falsum.

Prima sententia obijcit ad Hæbreos 10. Loquens Paulus de Sacerdotio Christi, ait, *Vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos*, ac si diceret ita perfectam fuit hoc sacrificiũ, quòd si homines in æternum multiplicarentur, potuisset habere effectum, ergò valor illius infinitus est.

Respondeo Paulum non velle hoc, etsi verum sit quod si peccata in æternum multiplicarentur Christi Passio sufficeret pro illorum redemptione, quia talia peccata non essent infinita simpliciter; sed secundùm quid, sed tantùm velle commendare sacrificium Christi in comparatione sacrificiorũ Melchisedech, & veteris Legis quæ propter infirmam suam virtutem, semel & iterùm repetebantur, secùs sacrificium cruentum Christi propter sui valoris excellentiam.

Secundò obijcies Clementem VI. in extra: agantẽ *Vnigenitus* dicentem; thesaurum meritorum Christi fuisse infinitum & inconsumptibilem de cuius consumptione & diminutione non est aliquantulùm formidandum: quòd si finitus esset timendum erat ne ex grauitate & multitudine peccatorum exhauriretur, quia finitum tantùm finitur, ergò cum hoc non sit formidandum, colligitur infinitum esse. Respondet Faber, quod sufficit merita Christi esse infinita secundũ quid. Secundò, respondet quòd dicitur

valor infinitus qui erat summus, sicut gratia Christi quia erat summa dicitur infinita, & vsitatum est in sacra scriptura, vt res magna valdè vocetur infinita; Nam Iosue 22. dicitur quod filij Ruben & Gad fecissent altare infinitæ magnitudinis ita intelligitur Clemens VI. & locus Sap. 7. *Quem adducit scilicet infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, &c.* Et ita propter eius magnitudinem & valorem non est timendũ, vt exhauriatur: Nam non applicatur nobis quasi per partes iuxtà modum diuisionis quantitatis, sed per modum causæ efficientis, quæ applicatur indiuisibiliter, & per totam suam virtutem, & cùm peccata non sint infinita neque summa, vt est gratia Christi, non est timendum, vt eius thesaurus exhauriatur, tùm propter merita Christi, cùm quia meritis Sanctorum quotidiè augetur.

Tertiò, respondet Rada; thesaurum esse infinitum ex Dei acceptatione; Nam sicut peccatum Adæ, licet finitum fuerit, in omnes pertransijt, licet infiniti essent, ita Christi passio. In hoc sensu explicandi sunt PP. dicentes merita Christi esse infiniti valoris: Nam vt ait Scotus citatus, § *contra hunc modum hyperbolicè loquuntur.*

Quartò, obijcit Suarez pœna debita peccatis est infinita, quia in æternùm duratura, ergò & merita ad illam æqualia debent esse infinita: Respondeo ex Scoto quod pœna tantùm extensiuè est infinita, & ita non requirit satisfactionem intensiuè infinitam, sufficit vt sit infinita secundùm quid, quæ etiam sufficiebat pro infinitis peccatis sincathegorematicè si essent; nam infinita in actu adhuc extensiuè non possent esse.

Quartò, obijciet Scot. in 3. dist. 19. §. in ista qu. litera, B. *Meritum Christi ex circumstantia suppositi; & de congruo, ratione suppositi habuit quandam rationem extrinsecam quare Deus, potuit acceptare illud in infinitum, scilicet extensiuè pro infinitis, si autem illud meritum fuisset alterius personæ, tunc nec ratione operis, nec ratione operantis fuisset cognitas acceptationis illius pro infinitis.*

Resp. quòd idẽ qui hæc verba obijcit, si sincerè legeret immediatè verba antecedentia, & subsequentia, cognosceret Scotum pro nobis esse; nam anteà ait, *sed ex formali ratione sua quam habuit, meritum non potuit acceptari in infinitum, & pro infinitis; sed pro finitis,* & post, *pro quantis autem, & pro quot Deus voluit passionem illam, siue bonum velle acceptare pro tot sufficit; sed quantum est de formali ratione rei acceptabilis in se, non fuit acceptabilis pro infinitis, sicut nec in se fuit formaliter infinita:* Idem habet ante literam, I. Vnde ex Scoto colligitur quod meritum Christi adhuc in ordine ad suppositum est finitum, & quod secundùm suum valorem æqualem, solùm pro finitis potest acceptari; sicut de facto fuit acceptatum; nam omnia peccata præterita, futura, & præsentia finita sunt, tamen si vellet Deus tale meritum pro infinitis extensiuè acceptare, inueniret in illo congruentiam ad talem acceptationem, quam non inueniret in merito puræ creaturæ; nam merita Christi erant Dei & hominis, & in tali casu per acceptationem daret illis Deus valorem si seruanda esset iustitia commutatiua: Et nota quod si pro infinitis acceptaret tale meritum, non tamen diligeret illud infinitè, quia nihil creatum est diligibile infinitè licet pro infinitis acceptetur.

DIFFI-

DIFFICVLTAS TERTIA.

Vtrùm in satisfactione Christi intercessit propria & specialis iustitia.

SVppono Deum ex speciali virtute iustitiæ præmiare opera Christi Domini supposito illo pacto Isaiæ 13. *Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longæuum*, sicut ex tali speciali iustitia tribuit gloriam beatis, vt dixi tractatu de merito, cùm Scoto in 1. dist. 17. quæst. 2. §. *Sed tunc est vlteriùs*; littera K. K. In quo falsus fuit Smising de Deo vno, tractatu 3. disp. 41. qu. 5. nu. 45. 53. & 58. Existimans cum Scoto in 4. dist. 46. quæst. 1. §. *hic primò* litera, C. in Deo non esse propriè iustitiam; Nam Scotus tantùm vult quod in Deo non sit simpliciter iustitia cum æqualitate, non tamen negat illam, vt est inter Dominum & seruum. Difficultas ergo præsens est vtrùm satisfactio Christi fuerit actus specialis iustitiæ.

Pro quo noto cum Aristot. 3. Ethic. cap. 1. quod virtus moralis in generali duplex; vna quæ versatur circa seipsum, alio nomine quæ versatur circa passiones; altera quæ ad alterum ordinatur, alio nomine quæ versatur circa operationes: quæ versatur circa seipsum, vel circa passiones, vt fortitudo temperantia, &c. quæ versatur circa operationes, aut circa alterum vt iustitia; quæ iustitia sub hac generalitate diuiditur in illam quæ reddit quamcunque debiti rationem, & in alteram quæ reddit rationem debiti, attendendo ad perfectam æquiualentiam. Sub prima continentur vt species & partes subjectiuæ, religio, fidelitas, gratitudo, &c. Sub secunda iustitia legali, iustitia commutatiua, & iustitia distributiua continentur, vt species & partes subiectiuæ, & respectu generis harum specierum, religio, fidelitas; & aliæ species alterius prioris generis vocantur partes potentiales seu potestatiuæ, quia non deficiunt à perfectione & æqualitate debiti nam non respiciunt æqualitatem debiti cum solutione secundùm debitum legale, licet respiciant secundùm debitum morale. Iustitia legalis est illa quæ seruat ius communitatis illæsum & non respicit personam particularem, propter quod vocatur iustitia generalis, non quia sit genus; nam species est: Iustitia commutatiua est quæ respicit præcisè æqualitatem debiti & solutionis meriti & præmij secundùm proportionem arithmeticam distributiua est, quæ non respicit æqualitatem præcisè arithmeticam, sed geometricam secundùm qualitatem personarum, (verbi gratia) rex qui militi tribuit pro stipendio duos nummos, duci tribuit quatuor.

Secundò, Noto quod debitum est duplex, vnum morale, alterum legale; morale est quod ex recta ratione oritur; nam ipsa dictat quod Deo præstanda est obedientia, gratitudo, cultus, pauperi Eleemosina, &c. Debitum legale est ex quo oritur obligatio reddendi alicui æquale ex aliqua lege, vt qui abstulit quatuor, reddat quatuor, & hoc debitum solùm soluit iustitia legalis, commutatiua, distributiua; nam debitum morale quælibet virtus soluit: solùm est aduertendum quod si quis reddit Deo (verbi gratia) obedientiam debitam ex intentione, vt ad æqualitatem reddat quod debet, quia à Deo abstulit obedientiam, tunc materialiter est obedientia, & soluit debitum morale, formaliter est iustitia, & soluit debitum legale: Itaque vna virtus est materia respectu alterius.

Hoc supposito prima sententia di-

cit Christum non satisfecisse ex virtute specialis iustitiæ, ex motiuo soluendi debitum legale, sed ex virtute religionis, vel obedientiæ, quæ lato modo vocantur iustitia; ita Vasq, disp. 7. Lorca disp. 8. Smising. citatus & omnes illi qui dicunt inter Deum, & nos non esse propriè specialem iustitiam, vt Becanus cap. 18. Hurtado diffic. 2. Molina, &c.

Nobis dicendum est Christum Dominum ex speciali iustitia satis fecisse; nam licet exercuerit alias virtutes, tamen fecit ex motiuo satisfaciēdi Deo, & reddendi æquale pro debito contracto per peccatum: Sic cum sancto Thom. 3. part. quæst. 1. ar. 2. Caietanus, Medina, Valentia puncto 5. Suar. disp. 4. sect. 5. Noster Vega, Sotus, Ferrara, Rada in 3. controuersia. 13. art. 3. conclusione 1.

Probatur 1. ad Corinth. 6. *Empti enim estis pretio magno*, & 1. Pet. cap. 2. *Non corruptibilibus auro & argento empti estis, sed pretioso sanguine*, & Psalm. 106. *dicant nunc qui redempti sunt à Domino*; sed qui emit & redimit hoc facit ex iustitia, ergò. Et ad Col. 2. *Delens quod aduersus nos erat Chyrographum decreti affigens illud cruci, &c.* Vbi explicat Paulus specialem iustitiam, sicut debitor pecuniæ quando soluit, accipit cautionem suam & delet Chyrographum quod aduersus illum erat, & ita soluit ex iustitia. Idem habent communiter PP. vt Hieronymus, Augustinus, Dionysius, &c. Dicentes Christum in iudicio & institia diabolum superasse.

Respondent Vasq Lorca, & Hurtado, sacram Scripturam & PP. loqui de iustitia quæ propriè est talis, non tamen de iustitia speciali. Sed contra quia licet verum sit, quod ita explicentur sacra Scriptura, & PP. sine nota, non tamen ita propriè, vt nos qui de speciali iustitia explicamus, & secundùm regulam Augustini quādo nullum est inconueniēs, sacra Scriptura in toto rigore exponi debet.

Secundò, reijciuntur ex prima ad Cor. 1. *Qui factus est pro nobis iustitia, sanctificatio & redemptio*: Sed Christus est nostra redemptio in toto rigore, ergò similiter seruabit iustitiam specialem. Nec valet Hurtado dicens, nomine iustitiæ in hoc loco intelligi sanctificationem; nam ibi distinguitur iustitia à sanctificatione, sicut distinguitur à redemptione.

Ratione probatur, ratio formalis satisfactionis ex iustitia speciali est auferre inæqualitatem reddendo æqualitatem ex intentione reddendi æquale: Sed Christus reddit æquale, imò & superabundans, vt patet ex difficultate prima & fatentur recentiores. Vasq. à disput. 2. vsque ad 7. sibi contrarius qui prima part. disput. 85. cap. 4. ait, Christum per satisfactionem nullam fecisse æqualitatem.

Rursus & reddit Christus æquale ex intentione satisfaciendi.

Probatur primò quia fuit fideiussor; ergò tenebatur ex iustitia soluere debitum.

Secundò, quia ad perfectionem satisfactionis spectabat, vt expresè Christus voluerit satisfacere Patri pro debito nostrorum peccatorum, & saltem in passione, in qua suam satisfactionem consummauit, seipsum obtulit in sacrificium pro nostris peccatis: vel saltem negandum non est quòd aliquando habuerint hoc motiuum; ergò cum quodlibet opus Christi sufficiat pro redemptione totius mundi, iā illo opere satisfecit ex speciali iustitia. Denique cùm Christus venerit vt hominem redimeret & solueret quod ipse abstulerat; quis neget Christum implicitè & virtualiter semper

habere tale motiuum.

Respondebis quod nunquam Christus operatus es ex tali motiuo iustitiæ. Contrà, primò, absit hoc dicere.

Secundò adhuc in eo casu satisfaceret ex iustitia, sicut qui soluit pecuniam suo creditori, non ex motiuo iustitiæ, reuerà restituit ex iustitia, quia talis solutio est actus iustitiæ saltèm materialiter, & supposito pacto Deus ex iustitia acceptaret talem satisfactionem à Christo exhibitam.

Respondet Vasquez quòd satisfactio Christi non fuit opus alicuius virtutis specialis, sed satisfecit per opera omnium virtutum. Sed contrà; nam licet verum sit quod omnes virtutes fuerint materia satisfactionis Christi, sicut ipse tractatu de adoratione, ait quòd opera omnium virtutum sunt materia adorationis; nam fide charitate, &c. colimus Deum; non tamen formaliter est actus religionis: sic satisfactio Christi [illegible] actus specialis iustitiæ, licet materia illius sint actus omnium virtutum.

Secundò reijcitur, reddere Deo debitum pro nostris peccatis est actus alicuius virtutis specialis, non omnium virtutum, non alterius nisi iustitiæ, ergò.

Respondet Vasquez, quòd est virtus religionis qua reddimus Deo debitum. Sed contrà quia licet per religionē reddamus Deo debitum, non tamen pro peccatis; nam in Angelis & primis parentibus in statu innocentiæ non fuit peccatum, & fuit virtutis religionis actus.

Secundò, peccator reddit Deo debitum pro peccatis ex motiuo resarciendi iniuriam, & non ex virtute religionis sed pœnitentiæ, vt ipse Vasquez fatetur 3. p. q. 85. art. 3. Ergò Christus ex religione non satisfecit pro nostris peccatis neque ex pœnitētia, quia secundùm ipsos non est in Christo, ergo restat quod ex virtute iustitię. Dices in sententia Scoti in 4. dist. 14. qu. 2. *ad tertium principale* in Christo est pœnitentia, ergò satisfactio pro peccatis fuit à virtute pœnitentiæ.

Respondeo quod motiuum pœnitentiæ est vindicare peccatum; at verò hoc quod est resarcire iniuriam reddendo æquale, pertinet ad iustitiam, & hoc fecit Christus, non tamen ex motiuo vindicandi peccatum.

Secundò, probatur conclusio, quia nos respectu Dei sumus sicut mancipia, sed ista tenentur suo Domino obedire ex virtute iustitiæ specialis, & ex eadem virtute tenentur si non obediunt, inobedientiam resarcire: Ergò & nos ex virtute iustitiæ tenemur resarcire inobediētiam in mandatis quæ fuerunt transgressa: Sed Christus satisfecit pro nobis, pro omnib⁹ debitis, ergò ex speciali iustitia satisfecit, sicut & nos ex illa tenebamur satisfacere.

Prima sententia objicit, nullus potest satisfacere ex iustitia nisi sit debitor, Christus non erat debitor pro nostris peccatis, sed nos eramus debitores; ergò Christus ex iustitia non satisfecit.

Respondeo, quòd Christus ex pacto constituit se debitorem, & fideiussorem pro nobis. Addo quòd etiam si quis non sit debitor, potest exercere actum iustitiæ, vt si quis misericordia motus soluat pecuniam pro alio, & faciat intentione & animo quòd creditori reddatur quod suum est, erit misericordia circa debitorem, & iustitia circa creditorem.

Dices, quòd hæc solutio habet locum in solutione pecuniæ, non in satisfactione pro iniuria.

Respondeo, quòd in vtroque casu; nam si Petrus submittatur Paulo, hoc animo, vt reddat illi debitum abla-

tum à Francisco, reuerà exercet actum iustitiæ: Verum est quòd posset Paulus non acceptare tale obsequium sicut Deus secluso pacto posset non acceptare satisfactionem Christi Domini.

Dices si datur alicui debitum, non potest non acceptare.

Respondeo verum esse loquendo de solutione pecuniæ; non tamen de satisfactione pro offensa; nam offensus habet ius, vt honoretur à quo inhonoratus est; & ita non tenebatur Pater acceptare satisfactionem Christi si non spopōdisset; neque ex hoc sequitur Christum non satisfecisse ex iustitia; nam non semper requiritur obligatio mutua iustitiæ: Nam qui currit, vt brauium accipiat, non tenetur ex iustitia currere si non spopondit, & iudex tenetur ex iustitia reddere brauium.

Obijc. secundò, peccata pro quibus Christus satisfecit, non sunt cōtrà iustitiam, neque homo dum peccat agit contrà iustitiam in ordine ad Deum, ergò Christus ex iustitia non satisfecit.

Respondeo primò, non requiritur quod actus quo quis satisfacit pro aliquo peccato habeat directam contrarietatem cum illo: Nam actu pœnitentiæ satisfacimus pro omni peccatorum genere.

Secundò, Respondeo quod inter homines satisfactio communiter præsuponit iniustiam non tamen inter Deū & homines: Ratio est, quia inter homines non fit iniuria nisi per iniustitiam specialem; at quolibet peccato fit iniuria Deo, & inæqualitas quæ non est iniustitia specialis, sed tantùm circunstantia generalis, & hoc sufficit, vt Christus possit ex iustitia satisfacere. Addo quòd inter homines potest esse satisfactio ex iustitia quando non præcessit iniustitia, vt quando fit restitutio ratione rei ablatæ, & non ratione iniustæ acceptationis.

Obijcit tertiò, si Christus ex iustitia satisfecit, tenebatur Deus ex iustitia acceptare, sed Deus non tenetur; ergò neque Christus ex iustitia satisfecit.

Respondeo, quòd Deus non tenebatur nisi quia pepigit fœdus; nam quamuis Christus ex iustitia satisfecerit cùm esset fideiussor; poterat Deus non velle illius satisfactionem, sed iure petere, vt satisfaceret qui peccarat.

Dices si Christus ex iustitia satisfecit & supposito pacto, Deus ex iustitia acceptauit; ergò absque gratia remissa est nobis culpa, & debitum carendi auxilio.

Respondeo eadem difficultas est etiam si Deus ex fidelitate acceptauit, & Christus perfectè satisfecit. etsi non ex speciali iustitia, vt docet Vasq. qui hæc obijcit. Sed respondeo quod Christus satisfecit efficienter non in genere causæ formalis, & ita necessaria est gratia, vt formaliter tollat culpam & debitum carendi auxilio.

Dices secundò, saltem posita satisfactione Christi dare nobis gratiam erit debitum, & non erit noua gratia, quòd est contrà Scotum & nos, tractatu de gratia.

Respondeo Christo esse debitum, nobis verò esse gratiam; nam Christus pro nobis satisfecit relinquendo sibi jus, vt sibi deberetur retributio, nobis autem merè gratis daretur gratia, siue actualis, siue habitualis per Christum; nam ita fuit pactum inter Deum & Christum, quòd retributio sit Christo debita, nobis verò sit gratia.

Quartò obijc. ex Aristotele 5. Ethic. cap. 2. & 3. Iustitia non est eiusdem

ad seipsum; nam debet esse ad alterum, sed Christus sibimet satisfecit: ergò non intercessit propria iustitia.

Respond. aliqui, vt referunt & reijciunt Suarez sect. 5. Vasq. disp. 8. cap. 7. Quòd Christus tantùm Patri satisfecerit. Sed hæc solutio intolerabilis est, vt dicunt hi auctores, primò quia est contrà primam ad Tim. 5. *Erat Deus in Christo mundum sibi reconcilians*; sed Christus est Deus, ergò sibi mundum reconciliat.

Secundò, est contrà Aug. enarratione in Psal. 39. *Inter Trinitatem & nostram infirmitatem mediator est Christus*. Propter quod,

Resp. quòd Aristoteles non cognouit vnum suppositum esse in duabus naturis, & ita sufficit quod iustitia sit ad alterum in natura, sicut hoc tantùm sufficit ad actum obedientiæ & religionis quos Christus exhibuit respectu Dei, vt dicunt Vasq. & Lorca.

Quintò, Obijcies ex Aristotele 5. Ethic. cap. 6. Filij ad Patrem, serui ad Dominum non esse iustitiam; sed Christus, vt homo est Filius & seruus Dei; ergò nequit satisfacere ex iustitia.

Respondeo Aristotelem loqui de Filio non emancipato, & de seruo conditione vilis seruitutis: Christus verò est Filius emancipatus, & sui iuris, est seruus iure creationis, quæ seruitus non excludit dominium suarum operationum, & jus vtendi illis: Præterquàm quòd si Pater cùm filio non emancipato, vel Dominus cùm mancipio efficiat pactum quod donabit hoc vel illud sub conditione alicuius operis, facto opere tenetur ex iustitia rem promissam reddere, & ita fecit Deus cum Christo.

Quæres quæ iustitia esset in Christo.

Respondeo esse commutatiuam, quia reddit æquale pro debito peccati, imò & superabundanter. Obijcies quia de ratione huius iustitiæ est abdicare à se dominium illius quod tribuitur & transferre in creditorem; Sed Christus adhuc vt homo non poterat abdicare dominium suarum operationum, neque illud transferre in Deum, nam iam Deus erat absolutus Dominus.

Respondeo, cùm Suarez Opusculo de iustitia Dei sect. 2. num. 24. Hoc requiri in restitutione pecuniæ, non verò in restitutione famæ & honoris, vt est satisfactio Christi; quæ magis honorifica fuit Deo quàm fuerint inhonorifica peccata nostra. Addo quod Christus tribuit Deo dominium rei, quam anteà non habebat: nam antequàm Christus eliceret actum illius, Deus non habebat dominium; nam illius quod non est, non est dominium, & postquàm à Christo est elicitus, iam est Dei: Nam omnia sunt Dei.

Dices, saltem qui restituit famam debet facere aliquod obsequium vtile creditori, sed Christus nullum potest efficere obsequium Deo vtile, ergò, &c.

Respondeo quod licet opera Christi non sint ad intrinseca Dei vtilia, sunt tamen ad extrinseca: Nam est Deo laus, gloria, cultus, &c.

Dubitabis à quo habitu virtutis eliciatur satisfactio Christi? Marsilius in 4. quæst. 10. in fine ad 6. dicit quod ab habitu pœnitentiæ: ait enim quod ab hoc habitu duo actus diuersæ speciei eliciuntur, vnus est recompensare Deū pro iniuria illata, non tamen ad æqualitatem, & retractare priorem vitam, qui actus reperitur in nobis. Alter est reddere æquale Deo pro peccatis nostris absque retractatione, qui actus reperitur in Christo. Alij dicunt (quod probabile iudicat Suarez disput. 4. sect. 5.) esse

elicitam satisfactionem Christi à religionis virtute ad quam spectat reddere Deo debitum honorem, & resarcire læsum. Fundamentum vtriusque sententiæ est, quia non est ponenda in Deo aliqua virtus quæ in nobis non possit esse, cùm Christus per vnionem hypostaticam non reddatur magis capax aliquarum virtutum moralium, quam qualibet alia persona creata, sed nostra satisfactio solùm à pœnitentia, vel religione potest elici, ergò & Christi satisfactio.

Sed hoc fundamentum falsum est: Primò, quia Christus potest satisfacere pro mortali peccato ad æqualitatem, quod nos non possumus. Secundò, quia homo potest condignè, & ad æqualitatem satifacere pro suo peccato veniali, vt dixi cap. 2. diffic. 2. Etsi fiat ex motiuo reddēdi æquale, erit ex virtute speciali iustitiæ distincta à pœnitentia & religione, ergò Christus ex hac speciali iustitia satisfecit.

Propter quod dico cum aliquibus recentioribus satisfactionem Christi elicitam esse ab habitu iustitiæ specialis cuius munus est seruare integritatem diuini iuris, & si læsum fuerit, illud reparare, qui habitus est distinctus à pœnitentia, & à religione, &c.

Probatur nam talis satisfactio est act⁹ iustitiæ specialis vt probaui; ergò ab habitu talis iustitiæ procedit. Quod iste habitus sit distinctus ab alijs probatur; nam motiua sunt distincta: pœnitentiæ enim motiuum est vindicare peccatum, religionis est reddere cultum Deo, vt primo principio hui⁹ specialis iustitiæ est reddere Deo æquale pro debito peccatorum, & resarcire diuinum ius, in quo distinguitur à iustitia commutatiua inter homines, quæ respicit humanum ius, quæ differentia fortè est accidentalis, & hæc est inter æquales, & cùm inter Deum & homines non sit æqualitas, ait Scotus in 4. dist. 46. quæst. 1 Litera, C. quòd iustitia commutatiua simpliciter semper non est in Deo.

DIFFICVLTAS QVARTA.

Vtrùm satisfactio Christi fuerit de toto rigore iustitiæ.

Licèt difficultate præcedenti determinauerimus Christum ex propria & speciali iustitia Deo satisfacere; iure optimo quærimus an fuerit rigorosa iustitia: Nam sicut optimè stat quod homo sit perfectus in prædicatis essentialibus, & tamen in ratione integrali non sit perfectus si careat brachio vel tibia, ita optimè stat quod iustitia sit essentialiter perfecta & careat integrali aliqua parte (verbi gratia) aliqua conditione ex positis cap. 2. difficult. 1.

Prima sententia docet esse de toto rigore iustitiæ; ita Suares disp. 4. sect. 6. & alij. Antiqui non fuerunt locuti in hoc sensu nostræ conclusionis, imò & multi Neotherici confundunt specialem iustitiam, & ad æqualitatem cum rigorosa, & ita pro hac sententia citāt plures tàm antiquos quàm recentes.

Nobis dicendum est satisfactionem Christi nō esse de toto rigore iustitiæ: tenent Vasq. disp. 8. & 9. Lorca disp. 8. nu. 7. Scotistæ, Rada 3 parte controuers. 13. art 3. conclusione 3. Faber disp. 46. cap. 3. qui citat antiquos Scotist. & Scotum, sed Scotus non loquitur his terminis, sicut neque antiqui.

Probatur hæc sententia diuersimodè ab auctoribus; Vasquez & Lorca dicunt quod non fuit ex speciali iustitia, ac per consequens neque ex ri-

gore iustitiæ, sed hoc satis reieci diffic. præcedēti. Alij dicunt quod ad rigorosam iustitiam requiritur quod bona quibus fit satisfactio non sint sub dominio creditoris; nam qui satisfacit debet dominium illius rei qua satisfacit transferre in creditorem, etsi iam creditor habet dominium talis rei, non poterit satisfaciens illud transferre in creditorem: Deus ergo habet verùm dominium omnium operum Christi, sicut aliarum rerum creatarum, & ita non poterit Christus rigorosè satisfacere, si quidem nequit transferre dominium in Deum. Sed hoc rejeci cap. 2. difficult. 1. in 3. conditiōné. Alij dicunt ideò non esse de rigore iustitiæ; nam Christi opera erant Deo debita aliis titulis, scilicet titulo obedientiæ, & titulo gratitudinis. Sed contrà quia cum opera Christi fuerint summa & superabundantia ad satisfaciendum pro peccatis, erant sufficientia, vt etiam pro aliis titulis satisfacerent.

Sed his omissis bellæ rationes sunt, prima quia opera Christi secluso pacto non obligabāt Deum ex iustitia, vt illa acceptaret, præcipuè cùm Christus fuerit fideiussor, & iustè posset Deus exposcere, vt qui peccarat satisfaceret, vt in hoc sensu intelligo Radam & Fabrum.

Dices si Antonius debeat 84. modios hordei Ægidio, & Franciscus tribuat Ægidio 84. tritici contrà iustitiam faceret Ægidius non acceptando talem solutionem, quia solutio excedit debitum, ergò. Similiter Deus contrà iustitiam faceret; si non acceptaret satisfactionem Christi secluso pacto: Ergò eo secluso Christus satisfecit ex rigore iustitiæ. Respondeo primò quidquid sit in humanis, vbi fortè Ægidius iustè peteret hordeum & nollet triticum; nihil est creatum quod possit Deum ex iustitia obligare, vt dixi tractatu de merito & iustificatione. Secundò licèt in solutione pecuniæ possit vnus pro alio satisfacere de rigore iustitiæ, non tamen in satisfactione honoris & famæ.

Secunda ratio quare hæc satisfactio non sit de rigore iustitiæ, quia erat elicita ex gratia creditoris, scilicet ex auxilio & dono, quæ licèt non impediant quominùs sit ad æqualitatem, tollunt tamen esse rigorosam.

Respond. Suarez & Montecinos quod opera Christi non erant humanitatis, vt cumque, sed humanitatis vnitæ verbo, & ratione vnionis, debito connaturalitatis, erant omnia illa auxilia illi debita, & ita ex proprijs satisfecit, & nō ex gratuitò acceptis. Sed cōtrà quia in radice erat gratia, cum ipsa vnio in qua fundabantur fuerit summa gratia, non secùs ac homini iusto debentur auxilia ad aliquos actus supernaturales, licèt non ad omnes, vt dixi tractatu de gratia, & dicuntur gratia in radice, quia gratia ratione cuius debita sunt, fuit gratis collata.

Dices, licet vnio sit gratia facta humanitati, non tamen facta Christo; nam cùm includat suppositum diuinum, nulla fieri potest illi gratia, & satisfaciens, *vt quod* non erat humanitas, sed Christus; Ergò ex rigore iustitię satisfecit.

Respondeo quod Christus, vt homo satisfecit per opera humanitatis quod sufficit, vt dicatur quod eius satisfactio est ex gratuito acceptis; nam Christus vt homo indiguit gratia ad satisfaciendum, quia vt homo erat creatura, & omnis creatura indiget gratia ad satisfaciendum.

Obijcit Suarez, quando quis soluit debitum ex bonis à creditore acceptis, si creditor illa tribuat debitori, vt satisfaciat & soluat, non soluit ex rigo-

re iustitiæ: si verò illa tribuit sine hac intentione ex rigore iustitiæ debitor soluit cum illis, sed ita data fuit vnio à Deo humanitati, quia non primò prædestinatus fuit Christus ex intentione satisfaciendi pro peccatis, vt dicam c. 4. difficultate prima: & confirmatur primo exemplo adducto à nostro Vega lib. 7. in Trident. cap. 9. De genero qui pecunia accepta in dotem à socero soluit ei debitum ex rigore iustitiæ quod aliàs tenebatur soluere. Sit aliud exemplum; Petrus debet Antonio 50. nummos & postea accepit ab illo 30. quibus lucratur Petrus vsque ad 50. & illis soluit Antonio 50. ex rigore iustitiæ soluit: Sed sic se habuit Christus qui soluit debitum illis bonis quæ lucratus fuit cum vnione, nimirùm tormentis, laboribus, &c. Ergò ex rigore iustitiæ satisfecit. Respond. quod cum in vtroque casu sit gratia creditoris, non est iustitia rigorosa quacumque ratione fiat gratia à creditore; nam gratia dupliciter officit iustitiæ. Primò si pars debiti condonetur à creditore, & sic non est iustitia, sed deficit in ratione essentiali & specifica iustitiæ. Secundò si fiat ex acceptis à creditore; nam quamuis reddatur æquale, & nulla pars condonetur, deficit iustitia in perfectione integrali, & sic non est de rigore iustitiæ, & hunc defectum Christi satisfactio habuit.

Ad primum exemplum: Respondeo cùm Vasquez generum non accipere dotem gratis, sed titulo onerosо scilicet in sustentationem vxoris & propter onus matrimonij, & ita potest soluere ex rigore iustitiæ; at verò Christus omninò gratis accepit vnionem.

Ad secundum exemplum: Respondeo quod debitor in negotiatione lucri est causa principalis; at verò pecunia creditoris est instrumentum, & ita potest debitor soluere ex rigore iustitiæ: Christus verò non est præcipua causa est Deus per gratiam collatam, & ita non potest rigorosè satisfacere; Adde quod fortè neque iste debitor soluit rigorosè, quia nititur solutio gratia creditoris.

Secundò obijcies, gratia & iustitia sunt opposita, sed in gratia non est distinctio inter gratiam & rigorem gratiæ, ergò neque inter iustitiam propriam ex rigore iustitiæ; Sed in Christi satisfactione interuenit propria & specialis iustitia, ergò & rigorosa. Et confirmatur, quia iustitia formalis solùm opponitur cùm gratia formali non cum gratia radicali, sicut albedo formalis cũ nigredine formali, non cum nigredine radicali, ergò in satisfactione Christi in qua reperitur iustitia formalis, etiam si reperiatur gratia radicalis, non obstabit ad rigorosam iniustitiam.

Respondeo quòd etiam datur rigorosa gratia, & est quando ex parte recipientis illam nullum præcessit opus, & etiam datur gratia propriè & specificè, & est quando aliquod opus præcessit, siue sit dispositio, siue non: Ad confirmationem dico quòd iustitia formalis, ita opponitur cum gratia formali, vt posita gratia tali non sit iustitia propria & specificè, at verò licet sit iustitia formalis propriè & specificè cùm gratia radicali, non tamen erit gratia integraliter perfecta & rigorosa, sicut homo sine brachio non est integraliter perfectus.

Ex dictis soluta manet difficultas quam recentiores tractant in præsenti; Vtrùm scilicet satisfactio nostra vt coniuncta satisfactioni Christi, & vt facta à membro Christi sit de rigore iustitiæ: Et respond. negatiuè, ita plures Lorca disputatione nona,

qui

qui diuersos modos dicendi reijcit. Ratio est, quia si satisfactio Christi non est de rigore iustitiæ, ergò neque nostra, vt illi coniuncta.

CAPVT QVARTVM.

De fine & motiuo præcipuo Incarnationis.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrùm Adamo non peccante verbum fuisset incarnatum ex vi præsentis decreti.

CApite primo, difficult. 7. dixi conueniens fuisse Verbum incarnari ob multos fines, in præsenti difficultate inquiritur quinam fuerit finis ex vi præsentis decreti, ob quem Deus elegit hoc medium scilicet incarnationem verbi, an fuerit redemptio generis humani, vel alius; neque existimamus aliquid creatum posse esse finem & motiuum Dei; nam hoc solùm est ipse Deus, sed tantùm loquimur de fine qui consequendus est per Incarnationem tanquam per medium: Neque difficultas est de prædestinatione Christi, vt redemptoris, & in carne passibili; nam, vt certum suppono, finem & motiuum fuisse redemptionem generis humani, & ita si Adam non peccasset neque Christus venisset, vt redemptor, & in carne passibili. Difficultas solùm est quisnam fuerit finis ob quem verbum vniretur humanitati ex vi præsentis decreti, & quem finem Deus habuit de facto: Nam quod Deus faceret de possibili non possumus, nisi diuinando definire, quia pendet ex Dei voluntate, & nihil circa hoc reuelauit.

Prima sententia est Scoti in 3. dist. 7. quæst. 3. §. *sed hic sunt duo dubia*, & distinct. 19. §. *in ista quæst.* Cùm eo omnes Scotistæ, Bassalis. Pitigianus cum Scoto, Rada 3. parte contro uers. 5. art. 3. Faber disp. 20. Smising de Deo vno tract. 5. disp. 6. qu. 12. nu. 753. Alensis, Albertus, Gabriel, Pigio, Galatinus, Viguerius, dicentes Quod si Adamus non peccasset adhuc Christus veniret; nam decretum incarnationis non dependebat tanquàm à fine à redemptione generis humani, sed à bonitate diuina. Vt Scotus suam sententiam ostendat dist. 19. qu. 1. §. *Ad* 1. Dico, distinguit in diuina præscientia, & in voluntate Dei quinque signa rationis. In primo: *Deus intellexit se sub ratione summi boni*, & ita se amauit: in secundo, *intellexit omnes creaturas*: in tertio: *Prædestinauit hos ad gloriam & gratiam*, & inter hos primo loco Christum tanquam caput omnium, *circa reprobos habuit actum negatiuum, non prædestinando*: In quarto, *Prauidit illos casuros in Adam*, excipe virginem: In quinto, *præordinauit sine prouidit de remedio quomodò redimerentur per passionem Filij*, qui iam erat in tertiò signo prædestinatus, quoad substantiam.

Pro intelligentia huius notandũ est quod prioritas & posterioritas horum signorum solùm est, secundùm ordinem intentionis, & quod aliqua signa possunt subdiuidi in alia; inter quæ & reperitur ordo intentionis & executionis: Pro quo noto ex tractatu de voluntate Dei, quòd decreta per obiecta distinguntur, & ita ordo decretorum ex ordine obiectorum desumendus est, ad quod intelligendum omissis aliquibus opinionibus, de quo ibi, duplex regula seruanda est.

Prima quod habet rationem finis est prius volitum in intentione: Itaque in intentione priùs est finis, & statim medium proximius fini, & po-

steà suo ordine reliqua media vsque ad remotius: In executione verò priùs sunt media & postea finis, & inter media priùs est remotius medium, & postea reliqua suo ordine vsque ad proximius.

Secunda regula est, quòd inter obiecta quæ non habent ex natura sua ordinem finis & medij, neque etiam illum habent ex voluntate Dei, vt habent gratia & Sacramenta, neque habent ordinem intentionis & executionis, sed solùm habent ordinem in executione, in qua priùs est volitum, quòd est causa efficiens, formalis, vel materialis, quàm effectus.

Sed petes quando Deus decreuit formam alicui subiecto (verbi gratia) gloriam, vel gratiam Petro ordine intentionis quæ decernit priùs Deus? subiectum (verbi gratia) Petrum, vel formam, scilicet gloriam? Quidam ex nostris dicit priùs Deum velle formam quàm subiectum, sed dicit contra Scotum in 1. dist. 41. § *contra istam*, dicentem priùs supponi volitum subiectum, scilicet Petrum, quam velit illi gloriam, & est conforme Scoto in 1. dist. 1. qu. 5. §. *Ex his* in fine, vbi ait, amorem amicitiæ terminatum ad subiectum esse priorem amore concupiscentiæ terminato ad res concupitas, scilicet formas, & vt probatur ex ad Rom. 8. *Quos præsciuit & prædestinauit*; vbi ad prædestinationem supponit præscientiam subiectorum. Ita Smising de Deo vno tractatu 3. disp. 6. quæst. 12. num. 749. Neque obstat Scotus in 3. dist. 32. §. 3. *patet litera*, *G* Nam ibi solùm dicit mundum sensibilem esse propter prædestinatos, vt ita homo sit finis omnium sensibilium, non tamen dicit esse naturale prædestinati, esse propter gloriam eius, decreto tamen in quo ipso Petrú gloriosum Deus prædestinaret.

Ex his sic explico ordinem decretorum postquàm Deus in primo signo se cognouit, vel amauit, & in secundo omnes creaturas intellexit, in tertio ordine intentionis Christum efficaciter prædestinauit quoad substantiam, tanquam maximum bonum pòst Deú, & in hoc decreto sic quasi totali multa intelliguntur partialia; inter quæ est ordo intentionis & executionis. Primò enim ordine intentionis decernitur summa gloria: Secundò summa gratia: Tertiò vnio hypostatica, & in quocunque decreto includitur humanitas, vt subiectum horum accidentium, & hìc finitur ordo intentionis & incipit ordine verso, ordo executionis.

Primò vult Deus vnionem hypostaticam, secundo gratiam: Tertiò gloriam. Ita intelligitur Scotus in 3. dist. 7. qu. 3. Pòst prædictam Christi prædestinationem cognoscēs Deus scientia simplicis intelligentiæ Christum, vt finem & exemplar, & caput possibile omnium creaturarum, voluit efficaciter ordine intentionis quod ipse Christus esset caput, & exemplar earum, & ad hunc finem propter merita Christi secundùm substantiam, quæ præuidebantur futura in executione, quæ merita consistebant in dilectione Dei, & fortè etiam in dilectione creaturarum possibilium cognitarum in verbo quoad existentiam, gratiam & gloriam desiderabat. Elegit tàmen ex Angelis, quàm hominibus quosdam ad tantam, vel tantam gloriam simul cùm existentia naturali, alijs verò tantùm voluit existentiam, & circa gloriam merè negatiuè se habuit quoad actum efficacem; nam inefficaciter etiam voluit eis gloriam, posteà electis efficaciter ad gloriam, præparauit gratiam, & aliadona conducentia ad talem.

gloriam; & talem gratiam voluit inefficaciter non electis, & tandem propter electos decreuit producere vniuersum cum omnibus, quæ ad habitationem, & sustentationem spectant, & hic finitus est ordo intentionis circa creaturas, & incipit ordo executionis; nam primò decreuit vniuersum creare, Angelos, & Adam & Euam, ex quibus cæteri homines procederent, & creare omnia quæ eis erant necessaria: In secundò signo decreuit Angelis & primis parentibus dare gratiã, & dona ex meritis Christi iã præuisis in executione, & hãc gratiam quàm decreuit dare Adamo, non fuit absolutè, sed sub conditione, quòd si non comederet de ligno vetito, illam transfunderet in posteros, si verò comederet illam, sibi & posteris amitteret, excepta virgine quæ iã erat electa in Christi matrem. Cognoscens autẽ Deus sciẽtia cõditionata nõ quæ sit media (nam hãc non admitto) quod si permitteret Adamũ comedere quod erat comesturus) permisit Adamum comedere & peccare? vidẽs iam Deus scientia visionis peccatum Adæ & posterorum futurum, præuidit de remedio, & in hoc decreto sicut in prædestinatione Christi, & in prædestinatione cæterorum, est etiam ordo intentionis & executionis.

Primo ordine intentionis intendit gloriam quæ illi aduenire poterat, & Christo ex munere redemptoris: Secundò intendit præseruationem virginis à peccato, & reparationem generis humani, ad quos fines elegit passionem Christi: Et tunc in tertiò signo voluit permittere peccata crucifigentium, & finitus est ordo intentionis decretorum spectantium ad reparationem hominum, & incipit ordo executionis.

Primò decreuit quæ erant necessaria ad mortem Christi: Secundò redemptionem per mortem Christi, vt nobis mereretur gratiam, auxilia, &c. & virgini præseruationem, &c. Ex quo tertiò decreuit sibi quiri magnam gloriam; & hæc est series decretorum Dei ad extra quàm latè proposui, quia ad omnia concernentia prædestinationem Christi & nostram, & ad ea quæ Christus meruit valdè necessaria est.

Secunda sententia est Sancti Tho. 3. part. quæst. 1. artic. 3. & 4 & Thomist. communiter Vasq. 3. part. disp. 12. cap. 4. & aliorum dicentium quòd decretum quo de facto prædestinata est incarnatio factum est dependenter à redemptione peccati originalis tanquàm propter finem: Ita quod si Adamus non peccaret, Christus non veniret. Sed non eodem modo explicant Auctores hanc sententiam. Omnes conueniunt Christum fuisse primũ prædestinatum, ac per consequens causam finalem, & exemplarem nostræ prædestinationis: Sed quomodo hoc sit post peccatum variè explicant.

Caietanus distinguit tres ordines; primus est naturæ, in quo continetur peccatum ad quod patiandum sufficiunt vires naturæ: Secundus est gratiæ: Tertius est vnionis hypostaticæ, & ita ad vnionem hypostaticam præsupponitur præuisum peccatũ. Quòd ordo naturæ sit prior, quàm ordo gratiæ probat, quia gratia recipitur in subiecto & subiectum ordine causalitatis præsupponitur ad formam. Sed reijcitur primò, si Caietanus velit quòd subiectum gratificandum præsupponatur ad gratiam, vt dixi cùm Scoto in hac difficultate §. *Pro intelligentia*, verum dicit: Sed Caietanus non loquitur, nisi de omnibus rebus naturalibus, quod falsum est; nam multa sunt ordinis naturæ quæ

non habent ordinem, neque connexionem cum gratia; nam ad hoc vt Paulus iustificetur, impertinens est quod Petrus sit albus. Secundò mors prædestinatorum pertinet ad ordinem naturæ, & est posterior electione ad gloriam quæ est in ordine gratiæ; nam est effectus prædestinationis iuxta illud Sapient. 4. *Raptus est nè malitia, &c.*

Tertiò peccatum crucifigentium non fuit præuisum ante Christi prædestinationem, aliàs Iudæi non haberen- gratiam per Christum ad euitandum tale peccatum.

Quartò, pactum factum cum Adamo de transfundenda iustitia in posteros pertinet ad ordinem gratiæ, & fuit antè præuisionem peccati, & ordinem naturæ. Vltimò quia Caietanus sibi contradicit; nam ex vna parte ait ordinem gratiæ esse priorem vnione hypostatica, & ex alia in solutione ad vndecimum argumentum docet prædestinationem Christi esse causam nostræ prædestinationis; ergò prædestinatio Christi prior fuit quam nostra gratia & gloria, quæ sunt effectu nostræ prædestinationis. Pluribus alijs reijciunt Caïetanum, Suarez disput. 5. sect. 1. Vasquez disputat. 11. cap. 1.

Ipse Vasquez disputat. 10. & 12. Lessius opusculo de prædestinatione Christi: Ragusa disput. 28. Becanus cap. 1. quæst. 8. dicunt quod non solùm prædestinatio Christi facta est pòst præuisionē peccati, sed etiam nostra prædestinatio, vt ita deffendant Christum esse primum prædestinatum & causam finalem nostræ prædestinationis.

Sed reijcitur hic modus dicendi; nam gratia collata Adamo antè peccatum fuit effectus prædestinationis Adami; ergò prædestinatus est ante præuisionem peccati.

Respond. Vasq. disp. 10. cap. 11. negando antecedens; nam solùm fuit effectus volūtatis antecedentis & inefficacis qua vult omnes homines saluos fieri. Sed contrà, quia illa gratia fuit causa meritorum quæ in statu innocentiæ habuit Adam, & propter quæ aliquam gloriam consecutus est: Sed omnis gratia qua vitam æternam consequimur est effectus prædestinationis; ergò non est effectus voluntatis inefficacis.

Respond. disp. 12. cap 5. illam gratiam non esse effectum prædestinationis, vt primò collatam, sed, vt per pœnitentiam reparatam. Sed contrà quia Adamo non est tantùm data gloria iuxta mensuram contritionis, per quam resurrexit à peccato; sed etiam iuxta totam latitudinem præcedentium meritorum & gratiæ; ergò his vt primò collatis respondet gloria, ac per consequens sunt effectus prædestinationis. Secundò merita per pœnitentiam tantùm reuiuiscunt tanquàm per conditionem sine qua non, non tamen tanquam per rationem formalem, ex qua valor sumatur; ergò gloria non solùm correspondet pœnitentiæ sed valori gratiæ quam in prima collatione recepit Adam.

Hurtado difficultat. 27. Respondet quod gratia data Adamo in statu innocentiæ adhuc, vt primò collata sit effectus prædestinationis Adami & quamuis præsupponatur Christus primò definitus, vt primus prædestinatus, non tamen fuit ex meritis Christi, quia nihil confertur Christo etiam præuiso, nisi titulo redemptionis, & in illo statu Adami nulla fuit redemptio. Addit ex Lessio prædestinationem Christi, non fuisse priorem prædestinatione partiali Adami quoad alia dona distincta à fide & ab alijs ab ea

fide deriuatis; nam solùm ista dona supponunt Christum prædefinitum.

Sed contrà primò redeunt eadem argumenta; secundò voluntariè dicitur supposito quod Christus præuidetur, & tunc non vt redemptor, quod omnia illi dantur titulo redemptoris: Sed vel non præuideatur, vel si præuidetur, detur illi prædestinatio Adæ, & gratia illius in statu innocentiæ. Additio Lessij etiam est falsa & voluntaria; nam si non reputat inconueniens, quòd aliqua pars prædestinationis Christi sit antè peccatum, quare quod tota sit cum hoc spectet ad excellentiam Christi?

Propter hæc, & alia Suarez disput. 5 sect. 2. & 3. &c. Lorca disput. 10. membro 2. aliam sententiam mediam excogitauit, quàm ex parte tenet Valentia 3. parte disp. 1. quæst. 1. puncto 7. dicunt Christum fuisse prædestinatum ante præuisionem peccati Adami, & quod nihilominùs Adamo non peccante, Christus non veniret ex vi præsentis decreti, & vt ista inter se cōcilient notant ex Caietano 3. p. quæst. 1. art. 3. ad 3. *dubium* quòd sicut duplex est prioritas respectu alteriùs; ita duplex est simultas illi opposita. Prima prioritas est causalitatis scilicet quando vnum influit in aliud. Secunda est prioritas in subsistendi consequentia, scilicet quando vnum potest subsistere sine alio, (verbi gratia:) Animal est priùs homine, quia potest esse sine illo, & cum equo, & non valet, est animal, ergò est homo: per oppositum illa dantur simul in subsistendi consequentia; quando vnum est causa alteriùs, non potest esse si ne illo (verbi gratia) sol est causa illuminationis, & tamen nequit esse sine illuminatione; Sic se explicant hi auctores, licet prædestinatio Christi sit independens à peccato Adami, vt motiuo, tamen simul fuit in subsistendi consequentia cum Adami peccati permissione, & redemptione ab illo à qua dependebat, vt à medio necessario, vt executioni mandaretur. Sicut medicus prius intendit sanitatem infirmi quàm velit media scilicet sanguinis emissionem, non tamen erit sanitas sine tali medio: Secundum exemplum, Deus priùs vult terram fructificare quàm seminari, non tamen erunt fructus sine semine. Tertiò priùs est in Deo voluntas efficax dandi gloriam prædestinatis, quam voluntas dandi gratiam & merita, non tamen erit à parte rei gloria sine gratia & meritis.

Hanc sententiam reijciunt Vasq. disput. 11. cap. 2. 3. & 4. Smising de Deo vno disput. 6. num. 764. quando intensio efficax alicuius finis potest executioni mandari pluribus medijs quorum quodlibet est sufficiens à nullo necessario dependet; sed incarnationis intentio potest exequi alijs medijs, ergò non dependet necessariò à redemptione vt medio.

Respondent Suarez sect. 4. Valentia in solutione ad primum, & Mōtecinos quod Christus fuit prædestinatus in illo primo signo cum circunstantia redemptoris, & venturi in carne passibili, & cùm hac intentione: ita circunstantionata habet necessariam conexionem permissio peccati.

Sed contrà primò, Nam contrà hoc stant auctoritates sacræ Scripturæ, quibus Thomistæ probant Christum venisse in remedium peccati tanquam finem, quæ euidenter probant de Christo in carne passibili: Matth. 18. & Lucæ 19. &c. Si ergò redemptio est medium, neutiquam erit finis: Secundò reijcitur, quia indecens est Deo ita prædefinire incarnationem,

vt necessitetur ex vi illius ad permissionem peccati.

Respondet Montecinos hominem redemptum esse finem; *cuius gratia* respectu Christi redemptoris, qui vt glorificandus & exaltandus per redemptionem est *finis cui*, cui homo redemptus ordinatur tanquam in finem excellentiorem; Neque est inconueniens quod isti duo fines cum sint diuersi ordinis ad inuicem ordinētur. Sed contrà quia licet homo vt redemptus ordinetur in gloriam Christi non tamē vt redemptoris sed Christi, secundùm substantiam; nam Christus vt redemptor est medium respectu hominis redempti, & medium nunquam potest esse finis respectu sui ipsius.

Tertiò reijcitur, circunstantia redemptoris non est per se appetibilis, sed propter aliud scilicet in remedium peccati; ergò hoc fuit priùs præuisum quam Christus redemptor:

Respondet Montecinos talem circunstantiam fuisse volitam propter gloriam Christi & Dei. Sed contrà quia licet hoc verum sit non tamen propter hoc solum est volita; sed etiā propter remedium peccati: nam redemptor dicit relationem ad redemptum; vt finem, vt ipse fatetur.

Quartò reijcitur, Christus vt redemptor est medicus & medicina peccati, sed medicina à nullo prudenter est volita nisi propter morbum saltem futurum; ergò præuisum fuit peccatū:

Respondet negando minorem; nam princeps mittit medicos & medicinam ad curationem militum si fortè vulnerentur in bello; Sed contra quia talis diligentia in principe non est absoluta sed conditionata, & sic sufficit cognitio coniecturalis morbi sed in nostro casu medicina est actualis; Ergò debet præsupponi actualis præuisio morbi: Addo quod sicut verum est quod princeps mittit medicum etiamsi non fuerit morbus: Ita certum est quod Christus est venturus etiamsi non esset peccatum.

Quintò reijcitur, nullus vult punire nisi visa culpa, sed passio Christi habet rationem pœnæ pro nostris peccatis; ergò Deus non vult Christum mori, & esse redeptorem nisi præuiso peccato.

Alij & similiter Suarez aliter deffendunt hanc sententiam mediam, dicunt Christum ante peccatum fuisse prædestinatum, non tamen vt redemptorem sed perfectiori modo ad manifestanda sua attributa, & dicūt quod modus perfectior in re fuit incarnari vt redemptorem: Sed contra primò, quia sicut contra Montecinos probaui redemptionem esse finem, ita probatur contra hos auctores quod ostendere sua attribvta erit finis, & non medium. Secundò supponit intentionem incarnationis fuisse determinatam ad optimum modū; quòd est incertum, quia non semper Deus facit quod est optimum: Rursus etiam incertum est redemptionem à peccatis esse optimum modum, imò ponit diuinæ sapientiæ limitationem, cùm illi sint alij infiniti modi possibiles fortè vtiliores ad manifestanda sua attributa. Tertiò, quia ponit in Deo imperfectionem si tantùm modum in communi, & non in particulari decreuit; nam in Deo non sunt istæ confusæ, & in vniuersali voluntates, vt ipse Suarez disput. 41. sect. 4. docet sibi contrarius, vt optimè notauit Smising, num. 765. Si verò decreuit modum redemptionis, ergò est finis, & non medium, & incidunt hi auctores in modum dicendi, iam refutatum: aliâ plura obijcit Vasq. disput. cap. 4.

His reiectis secundùm mentē Sco-

ti dico primò, prædestinatio Christi, quoad substantiam fuit antè præuisionem peccati: Itaque non habuit pro fine redemptionem peccati; Ita Scotus & auctores citati pro prima sententia. Tenent etiam Suarez, Lorca & Montecinos, citant S. Thomā 3. part. quæst. 14. art. 3. & in additionibus ad 3. part. qu. 91. art. 2. &c.

Probatur primò Christus prædestinatus est antè decretum producendi vniuersum, sed peccatū fuit præuisum pòst decretum vniuersi, quia fuit præuisum pòst decretum producēdi Adamum; ergò Christus fuit prædestinatus ante præuisionem peccati. Maior probatur, Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*; vbi septuaginta legunt: *Dominus creauit me initium viarum suarum*, quem locum de sapientia incarnata illegunt, Concil. Hispalense 2. cap. 13. Basil. Athanas. Hilarius, Nazianz & Rupertus lib. 3. in Matth. *De gloria & honore filij hominis*, & lib. *de gloria Trinitatis & Spiritus sancti*, cap. 19. 20. & 21. qui ex hoc loco probat Christū fuisse prædestinatum ante vniuersum; sic *religiosè dicendum est, & reuerenter audiendum quod propter hunc hominem*, scilicet Christum, *Gloria & honore coronandū, Deus creauerit omnia, & propter quendam hominem Angelos fuisse creatos.*

Dices primò quod meliùs vertit Hyeronimus ex Hebræo, *Dominus possedit*, & ita intelligitur de verbo, non de sapientia incarnata; sed contrà quia idem est possidere & creare quātum ad hoc; nam quod creat Deus, possidet: Deindè quod hæc verba de Christo homine non de verbo intelligantur, notauit Ambrosius; nam dicitur, *Dominus*, quòd si verbum loqueretur non diceret, *Dominus*; Sed vel *Deus*, vel *Pater*: Nam nomen *Dominus* est respectu serui qui erat Christus titulo creationis, non verbum.

Dices secundò, quòd Christus dicitur, *initium viarum* quia erat inter prædestinatos primus, non quia prædestinaretur ante vniuersum; Sed cōtrà quia magis ad literam intelligitur quòd erat primus inter omnes creaturas; nā ait *ab initio ordinata sum, &c.* Secundò, reijcitur Ecclesiastici 24. *Ego ex ore altißimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*, quod intelligit de Christo Concil. Sardinense in Epistola ad omnes Episcopos. Rursus ad Coloss. 1. dicitur, *Christus imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ*, & statim additur, *ipsum dedit caput Ecclesiæ*, quod Christo conuenit. Accedit celeberrimus locus Ioan. 17. *Ego te clarificaui super terram clarifica me tu Pater apud temeipsum, claritate quam habui priusquàm mundus fuisset apud te*, Vbi Chrisost. homil. 7. in Ioannem de Christo intelligens ait, *quod omnia ad filij gloriam operatus est. Deus omnia quæ fecit filius*, sed filius omnia fecit, Ioannis primò, *omnia per ipsum facta sunt*, ergò Christus finis omnium est, & primus omnium prædestinatus.

Secundò probatur; finis semper est priùs in intentione; sed incarnatio Christi & gloria ipsius est finis redemptionis nostræ, ergo fuit priùs. Probatur minor ex Trid. sess. 6. cap. 7. vbi dicitur, *huius iustificationis causa finalis gloria Dei & Christi*, id est, nostræ redemptionis à peccato.

Respondet Vasquez disp. 11. cap. 6. Concil. non dixisse Christum sed gloriam Christi: Sed contrà eodem modo gloria Dei & gloria Christi dicitur esse finis; sed gloria Dei & Deus est finis, ergò & gloria Christi & Christus; Secundò, si gloria Christi est priùs intenta quam redemptio, ergò

& Christus quia subiectum priùs est quàm forma, vel saltèm simul. Secundò respondet gloriam Dei esse finem primarium, gloriam Christi secundarium & impulsiuum: Sed contrà, primò Concilium loquitur de causis per se ergo non loquitur de fine impulsiuo qui est causa per accidēs. Secundò, quia eodem modo loquitur de gloria Dei & de gloria Christi; sed gloria Dei non est finis impulsiuus, ergò neque gloria Christi: Tertiò, finis impulsiuus etiam præcedit in intentione, ergò licèt gloria Christi sit finis impulsiuus, præcedit: Quartò, quia secundum Vasq. incarnatio fit propter redemptionem; Itaque incarnatio est medium & redemptio finis: Ergò nequit incarnatio esse finis impulsiuus, ac per consequens non loquitur consequenter: Tertiò, Respondet quod finis fit in executione per medium, & incarnatio non fit per redemptionem, & ita incarnatio non est finis: Sed contrà, quia etiam Deus est finis redemptionis & creaturarum, & tamen non fit per creaturas; & ratio est quia Deus, incarnatio, seu Christus est finis, cui & solùm finis cuius gratia est qui per medium consequitur & ponitur in executione, scilicet gloria Dei & Christi.

Probatur, tertiò, quod est exemplar alteriùs præfertur ad alterùm; sed Christus fuit exemplar ad creationem Adami, ergò saltem in intentione fuit priusquàm Adam & peccatum eius. Minor probatur ex Tertulliano lib. *de resurrectionem carnis*, in principio explicante illud Genesis 1. *Faciamus hominem*, &c. *Limus ille tunc imaginem induens Christi futuri in carne non tantum Dei opus erat: sed & pignus*: Idem habet Ni-enus & Athanas.

Quartò, Probatur ex illo Symboli. *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de Cælis*: Vnde etiam si non descenderet propter nostram salutem descenderet propter nos, vt nostram naturam nobilitaret.

Nostra conclusio ratione Scoti probatur ordinatè volens priùs vult finem, & posteà quæ proximiora sunt fini, & tandem remotiora, sed Deus est ordinatissimè volens; ergo priùs vult seipsum, qui est vltimus finis, & posteà prædestinatos qui magis conducebant ad suam gloriam, & inter illos propter hanc rationem primo loco Christum; ergò ante omnem creaturam voluit Christum. Sed pro hac ratione est notandum quod efficax est, supposito quod Christus sit primus prædestinatus, & sit causa finalis gratiæ & gloriæ omnium, etiam Adami in statu Innocentiæ, vt probatum manet; si verò hoc non supponitur, solùm est cōgruentia: Nam optimè potest Deus priùs eligere medium imperfectius, & posteà perfectius sicut de facto ordinauit passionem Christi quæ perfectissima est in redemptionem hominum, quæ non est ita perfecta; etiam est efficax argumentum Scoti de medijs, quæ habent rationem causalitatis, (verbi gratia,) vocatio, iustificatio, perseuerantia sunt media ad gloriam quæ est finis, & inordinatè quis intenderet, si ad consecutionem gloriæ priùs intendat vocationem quàm perseuerantiā; nam esset intendere priùs medium quàm finem, quòd est inordinatio, cùm medium proximius habeat rationem finis respectu medij remoti.

Secundò probatur, peccatum originale fuit causa, vel occasio reprobationis quæ facta fuit statim ac visum fuit peccatum: Sed antè reprobationem positiuam est prædestinatio electorum, & antè prædestinationem electorum prædestinatio Christi; ergò de

de primo ad vltimum prædestinatio Christi & antè visionem peccati originalis.

Respondet Vasquez, quod peccatum originale potest dupliciter considerari: Primò, vt fuit in Adam tanquam in radice: Secundò, prout est in vno-quoque nostrum proprium quando quis concipitur: primò modo, ait, non est causa reprobationis; sed secundo modo, imò, vt sic solùm est causa reprobationis respectu illorum, quibus non est applicatus baptismus; Vnde licet Christus fuerit prædestinatus antè visionem peccati prout in pueris, non tamen antè visionem prout in Adam. Sed contrà, quidquid sit de hoc, saltem peccatum prout in Adam fuit occasio, & vnde incœpit reprobatio tanquam ex occasione, vt ait Augustinus in Enchiridio cap. 118. scilicet quia peccauimus in Adam non debetur nobis auxilium, & ex iustitia non datur auxilium efficax reprobis, & datur prædestinatis ex misericordia.

Vltimò ab inconuenientibus probatur; Primò quia si Christus factus est propter nos, & nos non propter Christum, sequitur quod Christus debeat nobis gratias agere; non è contrà, quòd est argumentum Athanasij lib. 3. contra Arrianos dicentes, quòd Deus filium suum creauit propter nos: Secundò, sequitur quòd non debet Christus hæres appellari, & nos serui: Sed è contra quod arguit Cyrillus lib. Thesauri cap. 8. contra eosdem Arrianos: Tertiò sequitur quod esset necessarium peccatum, vt esset Christus, quod negat August. lib. 14. de ciuit. Dei cap. 23. Quartò sequeretur quod tantùm lætaretur Christus de hominum perditione, quantùm gauderet de Incarnatione. Omitto alia.

Secundò, dico; si Adam non peccaret adhuc Christus veniret & fieret incarnatio quoad substantiam, non tamen veniret passibilis & redemptor, quia ad hoc debet supponi captiuitas per peccatum: Prima pars patet ex conclusione prima; nam si fuit prædestinatus ante peccatum, ergò veniret nullo existente peccato: Secunda pars ex solutione argumentorum patebit; nam argumenta aduersariorum tantùm hoc probant. Solùm est notandum quod quando dicitur quod ante peccatum non veniret Christus passibilis, non debet intelligi quod veniret incorruptibilis & immortalis; nã corruptibilitas est passio animalis; sed debet intelligi quod non fuerat corruptibilis morte violenta, vt mortuus fuerit de facto propter redemptionem peccati.

Auctores secundæ sententiæ objiciunt, 1. Matth. 18. *Venit filius hominis saluum facere quod perierat & alia huiusmodi*: Secundò objiciunt Patres Augustinum sermone 9. *Nulla causa fuit Christo veniendi nisi peccatores saluos facere.* Idem habet Cyrillus lib. 8. Thesauri cap. 3.

Respondeo ex Scoto ad has auctoritates, & alias eiusdem farinæ, quod Christus passibilis, & vt redemptor venit tantùm propter peccatum, & nulla est alia causa: At verò Christus prædestinatus quoad substantiam non venit nisi propter Dei & Christi gloriam, vt probaui. Videantur Suarez disput. 5. sect. 4. & 5. Lorca disput. 12. memb. 4. num. 55.

Objicies quod olim in quodam hymno dicebatur de virgine; *Peccatores non abhorres sine quibus nunquam fores tanto digna filio*; sed si Christus veniret impassibilis eandem dignitatem haberet, ergò Ecclesia existimat quod si non esset peccatum, non veniret

Christus. Respondeo quòd tunc Christus careret dignitatibus quas acquisiuit & habuit dependenter à peccato scilicet esse redemptorem mediatorem, &c.

Obijcit Vasq. quòd secundùm responsionem Scoti ad auctoritates sacræ Scripturæ & Patrum, sequitur solùm hanc propositionem esse veram; *Christus vt passibilis venit propter redemptionem hominum*, & hanc falsam; *Christus venit propter redemptionem hominum*, quam absolutè docent Scriptura sacra & Patres.

Probatur nam causa solius circunstantiæ (verbi gratia) quòd Petrus veniat nudus, vel pauper non est sufficiens, vt absolutè dicatur esse causa veniendi.

Respondeo vtramque propositionem esse veram; nam licet incarnatio quoad substantiã fuerit efficaciter intẽta prima intentione independenter à peccato, tamen prævisо peccato, non solùm fuit intenta circunstantia passibilitatis propter remedium peccati: Sed etiam ipsa substantia incarnationis fuit amata eodem amore quo fuit intenta passibilitas.

Dices idem effectus nequit dependere à duplici causa totali; Vt dixi cũ Scoto 2. Physicor. Ergò neque substantia incarnationis à duplici fine totali, scilicet in remedium peccati, & in gloriam Dei, seu in nobilitatem naturæ humanæ.

Respondet Suarez disput. 5. sect. 5. negando quod idem effectus non possit dependere à duplici causa totali: Sed meritò eum reijcit Vasq. disput. 10. cap. 8. Propter hoc respond. quod in nostro casu non est idem effectus; nam incarnatio quæ eadem est, non est effectus; sed effectus est decretum incarnationis, & in præsenti est duplex decretum, scilicet decretum de incarnatione præcisè quod dependet à gloria Dei & Christi; & nobilitate naturæ humanæ vt fine, aliud decretum est de Christo passibili, quòd dependet à redemptione peccati.

Tertio obijcit Vasq. & Montec. si ex vi præsentis decreti Christus veniret Adamo non peccante, vel veniret passibilis, vel impassibilis: non primũ quia si non peccaret neque Adã neque posteri eius essent passibiles, & multominùs Christus; non impassibilis, quia hoc decretum præsens fuit executum, & tamen Christus non venit impassibilis, ergò nullo modo veniret. Respondeo quod ex vi primi decreti tantùm fuit prædestinata incarnatio, & ita ex vi illius neque veniret passibilis, neque impassibilis; nam istæ circunstantiæ per aliud decretum fuerunt detractæ; nam præuiso peccato decreuit Deus passibilitatem mortis violentæ: Si non esset peccatũ, si Deus decreuisset secundùm naturas rerum, haberet Christus dotem impassibilitatis, sicut habent beati: Et si dicas cum Montecinos quòd prædestinatio non tantùm est de re quantum ad substantiam: sed de modo naturali rei quæ prædestinatur; cùm ergo passibilitas aut impassibilitas sit modus naturalis humanitatis, sequitur quod si in primo signo fuit humanitas prædestinata, quod etiam fuit cum aliquo modo intenta.

Respondeo quod in primo signo decretum fuit quòd illa humanitas esset composita ex quatuor qualitatibus elementorum, quod est intrinsecum naturæ humanæ, quod etiam habent Beati, vt docet Scotus in 4. dist. 49. quæst. 13. & est obnoxietas ad corruptionem, non tamen fuit pro illo signo alia voluntas Dei, quæ voluit non coagere cum causa secunda corruptiua circa corpus Christi, in quo con-

sistit dos impassibilitatis secundùm Scotum citatum, litera, G, de quo dixi tractatu de beatitudine corporis: nam hæc voluntas non coagendi ad aliud signum spectat, sicut voluntas passionis violentæ.

Quartò objicies merita Christi fuerunt opera redemptoris, & consequenter præsupponebant captiuitatem; Sed si Adam non peccaret, non esset talis captiuitas, sed esset natura integra, ergò essent alia opera Christi ac per-consequens non veniret ex vi præsentis decreti, sed ex vi alterius.

Respondeo quod licet verum sit quod Christus per omnia opera nos redemerit; tamen habuit opera, vt sunt actus dilectionis qui essent in Christo, si non esset peccatum, qui solùm à substantia incarnationis dependebant.

Tertia sententia objicit, in Deo est voluntas efficax dandi gloriam tanquam coronam prædestinatis ante præuisionem meritorum, & tamen non dabitur sine meritis; Ergò similiter est in Deo voluntas Christi venturi ante præuisionem peccati, non tamen veniet nisi ad redimendum peccatum.

Respondeo concedendo potuisse ita contingere; nego tamen ita de facto contingere: Primò, quia motiuum scilicet gloria Dei & Christi, & nobilitare naturam humanam non indigebat hoc medio: Secundò, quia sunt plura alia præter remedium peccati, & non est limitanda diuina sapientia & potentia, ad vnum tantùm medium, vt colligimus ex sacra Scriptura & Patribus.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Vtrùm ex vi præsentis decreti, Christus vt redemptor venerit non existente peccato originali, licet essent actualia, vel non existentibus actualibus, si esset originale.

SVppono Christum vt redemptorem prædestinatum esse in remedium peccati, quia non solùm redemit nos ab originali, sed etiam ab actualibus, tàm mortalibus, quàm venialibus; Constat ex Ioannis 1. *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato*; difficultas est, quænam ex his peccatis ex vi præsentis decreti fuit motiuum veniendi Christũ, vt redemptorem: Ita vt illo posito veniret, & illo ablato non veniret? Communiter supponunt auctores quod si esset originale, & non essent actualia, Christus veniret; quòd si tantum essent peccata venialia, dicunt quòd non venisset; difficultas est si essent mortalia actualia; & non esset originale, vtrùm Christus veniret.

Quidam dicunt quòd si actualia essent in omnibus, vel in pluribus hominibus veniret Christus, secùs si essent in paucis: Alij dicunt quod si vnum solum mortale esset in aliquo ex prædestinatis, pro solo illo veniret, si tamen essent aliqua in reprobis, non veniret. Sed omnes isti casus sunt de possibili, de quibus solum diuinando possumus loqui, & difficultas est ex vi præsentis decreti.

Dico cum Suarez sect. 6. Vasquez disput. 13. cap. 2. Lorca disput. 10. membro 4. Quod existente peccato Adami, quod omnes infecit, etiam si non essent actualia, ex vi præsentis decreti, Christus veniret vt redemptor; non tamen veniret deficiente origina-

li, etiam si essent actualia, & hoc ex vi præsentis decreti.

Probatur, nam motiuum & finis veniendi Christum redemptorem fuit solum originale; nam peccata actualia tantùm fuerunt finis impulsiuus. ergo posito originali, & ablatis actualibus veniret Christus, & positis his si non daretur originale non veniret; nam ablato motiuo non veniret.

Probatur antecedens, & primò quod originale sit motiuum, probatur ex præcedenti difficultate auctoritatibus, quibus probatur Christum venisse redemptorem propter originale. Quòd actualia non sint motiua, sed solum finis impulsiuus: probatur, Christus prædestinatus est vt redemptor antequàm permitteret actualia. Patet; nam per gratiam Christi redemptoris possumus vitare quoduis peccatum actuale; ergò antè talem permissionem, & antè peccatum actuale, erat iàm Christus prędestinatus; redemptor ergò tantùm fuit finis impulsiuus, & non motiuus peccatum actuale.

Secundò probatur quod actualia sint finis impulsiuus, nam videns [illegible]s peccatum Adæ esse capitis, vidit deriuandum esse in posteros, etiam secundùm dignitatem carendi auxilijs gratiæ: Vnde certissimus erat lapsus hominum in multa actualia: hæc enim videbat in Adæ peccato, ergo propter hæc actualia peccata, in illa veluti causa ita visa determinando quod Christus veniret Redemptor pro Adæ peccato, decreuit quod simul impelleretur ad hoc per peccata actualia præuisa, non in se veluti in causa, quomodo optimè explicantur sacra Scriptura, & Patres dicentes Christum venisse in remedium omnium peccatorum.

Dices Christus prædestinatus est, vt redemptor per mortem violentam; sed nequit hoc fieri quin videantur peccata crucifigentiū, qua simul fuerint subsistendi cōsequentia cum originali, & ita si ista peccata essent quāuis non esset originale, veniret.

Respondeo negando minorem; nam Christus vt redemptor est prædestinatus priusquàm decerneretur genus mortis; nam potuit Deus decernere Christum crucifigi sine peccato crucifigentium, vt fuit sacrificium Abrahæ.

Dices secundò Christus, vt redemptor fuit præuisus post reprobationem sacrificiorum legalium, ex Psal. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi, tunc dixi ecce venio*, sed talia sacrificia fiebant pro peccatis, ergo talia actualia peccata præuisa fuerunt antè Christum redemptorem, ergò peccata actualia etiam fuerunt motiua redemptionis.

Respondeo negando antecedens, nam talia sacrificia fuerunt instituta ex meritis Christi præuisis, & ita sensus illorum verborum secundum S. Thom. est, quod Christus in primo instanti Incarnationis ingrediens mundum, sciens sacrificia vetera per se ipsa Deo non placuisse, sed ratione sacrificij cruenti Crucis quod figurabant, & cognoscens corpus suum esse aptum ad patiendum dixit; *Ecce venio*, acceptans passionem & mortem.

Sed est dubium an redemptio ab originali sit motiuum Christi redemptoris, vt transfuso & contracto in posteris Adæ, vel solùm vt transfundendo & contrahendo? Quidam dicunt, & satis probabiliter, quod solum vt contrahendo, quia aliàs vel dicēdum est quòd Virgo non fuit pręseruata à peccato originali, vel quod

si fuit præseruata, non fuit ex meritis Christi redemptoris, contra Ecclesiam dicentem, *sicut ex morte filij sui præuisa, eam ab omni labe præseruasti.*

Probatur, & inquiro, quando Deus permisit originale transfundi in posteros, vel exclusit Virginem, vel non; si non exclusit, ergo contraxit originale, si exclusit, ergo non ex morte filij quæ nondum erat præuisa, neque filius redemptor; ergo dicendum est quod solum originale, vt contrahendum fuit motiuum: sed hoc argumentum non conuincit, quia ad hoc vt verè dicatur præseruata ex morte Christi non est necessarium quod Christus meruerit talem intentionem sua morte, sufficit quod meruerit executionem talis præseruationis. Hoc patet exēplis; nam nos absolutè dicimur mereri nostram gloriã, & tamen non meremur intentionem illius, sed executionem. Secundò, Christus dicitur glorificator, & meruisse nostram gloriam, & per passionem non meruit intentionē; sed solum executionem. Tertiò, Christus vt redemptor dicitur reparasse Adamum lapsum, & tamen vt redemptor non meruit intentionem reparationis, sed executionem tantum. Videatur ordo decretorum positus præcedenti difficultate, §. Ex his.

Propter hæc magis conformius est sacræ Scripturæ & Patribus dicere, quod motiuum Christi redemptoris, fuit originale iam transfusum & contractum in posteris Adæ; nam ita verè dicitur quod venerit ad reparandam totam naturam iam lapsam, vt loquuntur sacra Scriptura, & Patres.

CAPVT QVINTVM.

De vnione hypostatica secundum se considerata.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrùm terminus adæquatus vnionis fuerit vnica natura?

VNitio idem est quod actio incarnatiua: distinguitur ab vnione; nam vnio est terminus, vnitio est actio. Et suppono quòd in eodem instanti temporis in quo facta est incarnatio fuerunt tres actiones; Prima creatio animæ Christi; Secunda generatio humanitatis Christi ex purissimis sanguinibus virginis; Tertia est vnitio humanitatis cum verbo: Difficultas est verùm terminus totalis huius vnitionis seu actionis incarnatiuæ sit vnica natura.

Quidam hæretici Monophysitæ vocati, id est, vnius naturæ assertores dicebant in Christo vnam tantùm esse naturam: Primus auctor fuit Apollinaris Laodiceæ natus, quem errorem postea propagauit Eutiches Abbas cuiusdam monasterij Constantinopolitani, temporibus Leonis I. & Theodosij Iunioris Imperator. circa 441. annum, propter quod vocatur hæresis Eutichiana; & huic adiunctus fuit Dioscorus Episcopus Alexandrinus, & similiter alij hæretici dicti Acephali, id est, sine capite, quia in suis Ecclesijs non habebant Caput, id est, Episcopos. Etiam secuti sunt Eutichetem Iacobitæ, à quodam Iacobo Syro, & alij hæretici recentiores. Hæc hæresis variè explicatur à Scolasticis; Suarez disput. 7. sect. 2. Dicit quòd Eutiches ponebat vnam naturam in

Christo per conuersionem humanitatis in diuinitatem: Lorca disput. 12. dicit quod Euiches asserebat quod erat vna natura per conuersionem diuinitatis in carnem: Vasq. disput. 14. ait quòd Euthiches dicebat esse in Christo vnam naturam compositam ex humana & diuina, tanquam ex partibus; Alij dicunt hæreticum fuisse varium, modò vnum, modò alterum dicebat.

Veritas de fide est in Christo Domino esse duas naturas, diuinam scilicet & humanam, inconfusas, & impermixtas, & Christum esse vnum subsistens in duabus, & ex duabus naturis; Ita definitum est contrà Eutichetem & Dioscorum in Chalcedonensi 4. Synodo generali, & in Ephesino, Hispalensi, &c. Contrà hos hæreticos: Leo primus, Damascenus & Gelas. scripserunt, de quo recentiores citati.

Probatur hæc veritas ex sacra Scriptura qua primo cap. difficult. 5. probaui Messiam esse verùm Deū & hominem; & probatur: Nam si naturæ essent permixtæ, non esset verus Deus & homo: Ratione probatur, nam quouis modo sit repugnat; Primò quod natura diuina transmutetur in humanam; nam diuina non potest non esse neque mutari; Secundò, neque humana posset per transsubstantiationem mutari in diuinam, quia nihil humanitatis maneret in Christo, sicut nihil panis manet in Eucharistia, quod non fatentur hæretici; nam dicunt Christum esse hominem; neque 3. potest ex vtraq; resultare altera sicut mixtum ex elementis resultat; nam deberet vtraque natura corrumpi, quod respectu diuinæ est impossibile; quod si non corrumperentur sed componerent tertium, sicut componunt materia & forma, etiam hoc est impossibile; nam diuina nequit esse sicut materia, nam perficeretur quod est imperfectio, neque vt forma aliàs intrinsecè mutaretur de non informāte ad informantem, & de potentia ad informandum, ad actum informandi. Rursùs faceret cum humanitate compositionem quod totum est impossibile.

Primò obijcies, fundamentum hæreticorum, persona non distinguitur realiter à natura, sed in Christo est vna natura, ergo & vna persona.

Respondeo negando maiorem de qua postea; Secundò obijciunt illud Athanasij, *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus*, sed ex anima & carne resultat vna natura, ergo similiter ex Deo & homine.

Respond. hoc exemplū solum fuisse adductum ab Athanasio ad ostendendum quod sicut anima rationalis, & caro sunt in vnitate personæ humanæ; ita natura humana & diuina in vnitate personæ diuinæ. Tertiò obijcies Cyrillum lib. 1. de recta fide ad reginas, *non duas naturas, vnam quæ adoratur, & vnam quæ non adoratur, sed vnam naturam Dei verbi incarnatam & adorabilem cum carne sua vna adoratione*, & hoc desumpsit Cyrillus ex Concil. Lateranensi sub Martino I. Consultatione 5. Canone 5. *Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur vnam naturam verbi incarnatā, Anathema sit.*

Respondeo verum sensum Cyrilli & Concilij esse, vt pro natura humana intelligatur subsistentia; ita Cyrillum intellexit Constantinus Imperator in Confessione fidei: Et patet hoc, quia Concilium Canone 6. *Definit Christum vnum subsistentem esse in duabus & ex duabus naturis*; Legito Lorcam citatum.

Quartò obijcies, illud Ioannis 1.

Verbum caro factum est, vbi significatur verbum mutatum fuisse in carnem, sicut Ioan. 2. dicitur *aquam vinum factam*, id est, aquam mutatam esse in vinum.

Respondeo cum Lorca quod aliquid fieri non semper significat mutationem; sed aliquando significat acquisitionem, vel assumptionem alicuius de nouo. Sicut dicitur quod aqua fit calida, & quod homo fit rex, & hoc modo dicitur, *Verbum caro factum est*; Vnde Gregorius lib. 4. Epist. 61. ait: *Verbum carnem factum esse dicimus, non immutando quod erat, sed assumendo quod non erat.*

Petes sicut conceditur hæc propositio, natura verbi est incarnata, ita concedatur hæc, natura diuina est incarnata?

Respondet Vasq. cap. 4. negatiuè; nam eam negat Damasc. lib. 3. de fide cap. 11. Nam in Græco, *incarnari* idem est ac carne indui, quod verbi personæ conuenit, non naturæ diuinæ; tamen concedenda est, vt concessit Lateranense, Consultatione 5. Can. 3. Bernardus, Sanctus Thomas, & Gelasius Papa; Nam sicut conceditur, *Deus factus est homo*, quia verbum factum est homo, ita in nostro casu; nam iam in communi vsu sumitur pro hoc, quod est esse vnitum carni, & ita possumus illa locutione vti, vt etiā fatetur Vasquez. Nec ea colligitur quod quæuis persona diuina fuerit incarnata, nam est propositio quasi indefinita.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Vtrùm terminus totalis ad quem vnitionis fuerit vnica persona.

NEstorius Patriarcha Constantinopolitanus Eutichete paulò antiquior tempore Innocentij primi, secundùm alios Celestini Papæ primi errauit dicens in Christo esse duas personas, vnam humanam, & alteram diuinam, accidentaliter vnitas quadrupliciter. Primò, quia verbum habitauit in Christo tanquam in templo, specialiori modo quam in aliis iustis vel beatis; Secundò, quia mutuo amore erant coniunctæ; Tertiò, quia verbum vtebatur hoc homine ad patranda miracula; Quartò, quia verbū tribuit Christo, vt adoraretur tanquam Deus, propter verbum coniunctum, eo modo quo adorantur imagines, quem errorem postea alij secuti sunt, vt diuus Theodoretus, sed posteà resipuit, & errorem retractauit in Concilio Calcedonensi actione 8. Felix Vrgelitanus, & Elipandus Toletanus, & quamuis hunc errorem anteà tenuerint Carpocrates, Cerinthius, & Edion, contra quos scripsit Ioannes suum Euangelium, tamen nomen accepit à Nestorio, quia ab eo fuit maximè diuulgatus: ex quo errore colligebat Christum non Deum sed Deiferum; non filium naturalem, sed adoptiuum esse appellandum, ac per consequēs virginem non genuisse Deum, sed purum hominem; & ita non genitricem neque Deiparam esse nominandam.

De fide est in Christo esse vnicam personam, nimirum diuini verbi, & ita terminum *ad quem* totalem vnitionis esse personam verbi quæ vnita fuit hypostaticè naturæ humanæ: Ita definitum fuit in Concilio Ephesino quod fuit tertium generale, in quo damnatus fuit Nestorius, & in Constantinopolitano primo & secundo, vt in Chalcedonensi, &c. Contra Nestorium scripserunt ex patribus Cyrillus, Alexand. & Cassianus.

Probatur hæc veritas Ioan. 6. Vbi

loquens Christus cùm Iudæis ait: *Ego sum principium qui & loquor vobis.* Et Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret ego sum vbi ly ego* significat vnam personam, & dicit Christus quòd est homo, & similiter quod est existens ab æterno, ergo Deus & homo est in vna persona.

Ratione diui Thomæ probatur, quotiescunque duarum naturarum concreta prædicantur ad inuicem, necesse est illas duas naturas esse vnitas in eodem subiecto si sint accidentales, vel in eodem supposito, si sint substantiales (verbi gratia) album est dulce, quia albedo & dulcedo sunt in eodem subiecto, scilicet lacte, sed concreta naturæ humanæ & diuinæ ad inuicem prædicantur (verbi gratia) Deus est homo, & homo est Deus; ergo natura diuina & humana sunt in eodem supposito.

Obijcies primo Ioan. primo, *& habitauit in nobis*, id est, *in Christo*, intelligunt Hylarius, Chrysost, & Cyrillus, & alij, & Ioan. 2. *soluite templum hoc*, ergo diuinitas est in Christo vt in templo.

Respond. quod ly *habitauit in nobis*, plures alij Patres intelligunt non de Christo sed de nobis, vel si de Christo vt Hylarius, &c. Intelligitur de humanitate, in qua habitat verbum vnitum non accidentaliter sed substantialiter; Ad Ioan. 2 dico quòd Christus corpus suum appellauit templum in quo fuit anima Christi; nam de hoc templo loquebatur Christus tunc, nam Iudæi non poterant soluere vnionem inter corpus & diuinitatem, benè tamen vnionem inter corpus & animam, illum interficiendo.

Secundò, obijcies ad Philip. 2. *In ipso enim habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, vbi ly *in ipso*, nequit intelligi de humanitate sed de Christo.

Respondeo ex doctrina patrum qui contra Nestorium scripserunt, quod ly *habitat* non est construendum, cum ly *ipso*, sed cum *corporaliter*, vt faciat hunc sensum, *in ipso*, id est, *in Christo*; hoc contingit vt diuinitas habitaret corporaliter, id est, in eius corpore.

Tertiò obijcies, ad Philip. 2. *In similitudinem hominum factus, &c. Et habitu inuentus vt homo*; vbi primò notatur quod dicitur non habuisse proprietatem hominis sed similitudinem, secundò quod est indutus humanitate, & coniunctio hominis cum veste est accidentalis.

Respond. cum Ambrosio & Chrysost. quod dicitur *in similitudinem*, quia Christus cum sit Deus apparebit quasi esset purus homo.

Ad secundùm, Respondeo primò cum Augustino nomen *habitus* esse metaphoricum, & metaphora non debet tenere in omnibus, sed solùm in aliquo; nam sicut veste tegitur homo, ita humanitate diuinitas..

Secundò, respondeo cum Chrysost. quod nomine *habitus* non intelligitur indumentum, sed figura, vel forma hominis.

Quartò obijcies quòd Patres vocent Christum Hominem Deiferum, quod nequit esse nisi à Deo distinguatur supposito.

Respondeo quod in diuo Basilio qui pro hoc citatur, non inuenitur hoc nomen, tantùm in Psal. 59. ait, quòd caro Christi est deifera, quod longè diuersum est, imò hæc propositio absolutè non est concedenda sed explicanda, scilicet est deifera per vnionem substantialem, non accidentalem: Alteram propositionem scilicet, Christum esse hominem Anathematisauit Concilium Ephesinum in 5. Synodo.

Quintò sacra Scriptura iustos vocat

Deos,

Deos; & hoc est solùm per participationem; ergò similiter Christus etiã si vocetur Deus, erit per participationẽ.

Respondeo negando consequentiam; nam de Christo dicuntur quæ sunt propria Dei, scilicet imago inuisibilis Dei, & splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, &c. Non tamen de iustis.

Sextò obijcies Leonem epistola 10. ad Flauianum, vbi de Christo ait: *Aliud coruscat miraculis, aliud succumbit iniurijs*; sed vbi est aliud & aliud, sunt duo supposita, ergò in Christo.

Respondeo quod *alius* masculinè significat suppositum, *aliud* neutraliter significat naturam, vt Chalcedonense decreuit, & ita tantùm colligitur esse in Christo duas naturas.

Septimò in Christo est persona diuina; & est persona humana; ergo duæ personæ:

Respondet S. Thom. 4. *contra gentes*, quòd eadem persona Christi, quatenùs personat naturam diuinam, dicitur diuina, quatenus personat naturam humanã dicitur humana; Sed ab hoc modo loquendi est abstinendum, quia redolet hæresim Nestorianam, & solùm fatenda est in Christo vna persona diuina.

Denique petes, est vera hæc propositio? *vnus de Trinitate crucifixus est:*

Respondeo cum Bassolis disput. 15. cap. 3. esse veram; nam habetur in 5. Synodo generali collatione 8. can. 4. & 10. Nam sicut dicitur quòd vna persona ex Trinitate est incarnata, similiter dicitur quòd est crucifixa; nam ly *vnus* masculinè, & sine substantiuo stat pro supposito.

Dices primò quod Papa Hormiga requisitus à Monachis Schipiæ, vt illam definiret, & adderet definitioni Concilij Chalcedonensis, noluit eam definire.

Respondeo quod noluit Papa eam definire; Primò, propter scandala quę tunc orta erant circa illam propositionem; Secundò, quia quòd in Christo essent duæ naturæ, & vna persona, satis definitum erat in Chalcedonẽsi, neque indigebat per istam propositionem explicari; & non est consuetudo in Ecclesia aliquid addere definitioni alicuius Concilij, nisi quandò ortus est nouus error qui tunc non erat.

Dices secundò quod in tali propositione significatur quod filius Dei qui fuit crucifixus pendebat à tota Trinitate, quod est falsum, cùm solum ex Patre procedebat.

Respondeo negando hoc significari in tali propositione, sed quod vnus ex tribus cruxifixus est, de hoc Vasq lato calamo 1. 3. citatus.

Hæc propositio *natura diuina assumpsit humanam*, absolutè non est concedenda; nam non reperitur in Concilijs, neque in Patribus, & assumere significat propriè ad seipsum, & in seipso assumere, & humanitas non est assumpta ad esse Patris, & Spiritus sancti; neque ad esse in natura diuina, sed ad esse in supposito verbi: lato modo concedi potest, si explicetur sumendo naturam diuinam pro diuino supposito: Itaque in hoc mysterio sic debemus loqui, vnio Incarnationis facta fuit non in natura diuina, sed in diuino supposito; nam id in quo facta est vnio, est quod immediatè, & proximè est humanæ naturę vnitum, quod est suppositum verbi; nam licet natura diuina vnita fuerit humanitati, non tamen proximè & directè, sed mediante suppositalitate verbi. Hæc est vera propositio, Virgo Maria est θεοτόκος, id est, Mater Dei, seu Dei genitrix; nam est definitum in Ephesino, can. 1. & 2. Ratio est quia Virgo verè genuit

hũc Hominem Christũ, qui est Deus: ergò genuit Deum, & est Mater Dei per communicationem idiomatum.

Obijcies primò, hæc propositio non est in Euangelio, ergò non est de fide: Respondeo plura esse quæ non sunt in Euangelio, quæ sunt definita in Concilijs, vel habentur per traditionem: Deindè Matth. 1. dicitur Mariam concepisse, & peperisse Christum Iesum, & ex toto Euangelio constat Christum esse Deum; ergò & constat Virginem esse matrem Dei.

Secundò obijcies quia sequeretur Virginem esse Matrem totius Trinitatis, si-quidem Trinitas est Deus:

Respondeo negando sequelam, quia sicut solus Filius est incarnatus; ita Virgo est Mater solius filij Dei, non Patris neque Spiritus sancti; & quia filius est Deus, ita est Mater Dei, sicut generatione æterna filius Dei genitus est à Patre, & dicitur Deus genitus non tamen tota Trinitas ideò est genita.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Vtrùm Christus sit persona verè & propriè composita.

PErsonam Christi qui est terminus totalis Incarnationis, esse compositam definitum est in 5. Synodo generali actione 8. cap. 4. & 7. Difficultas tantùm est inter Theologos an sit propriè, & strictè composita?

Prima sententia est Suar. disput. 6. sect. 4. cap. 2. Hurtado disput. 2. & recentiorum, communiter dicentium esse propriè & strictè compositam. Secunda sententia docet non esse propriè, & strictè compositam. Est sententia communis Antiquorum: Scot. in 3. dist. 6. quæst. vlt. Ibi Pitig. & Cauellus, Rada 3. parte, contro. 3. articul. 3. Faber in 3. disp. 16. cap. 2. Bonauentura, Durant. Richard. Almainus, probabilẽ reputat Lorca disp. 13. sicut & primam sententiam quam sequitur quidam ex nostris; sed antequàm illam probem: Nota quòd duplex compositio considerari potest in hoc mysterio, prima est ex humanitate, & personalitate Verbi: Altera est quæ resultat ex ista, scilicet ex humanitate, & diuinitate, licet sit re-ipsa vna totalis, ex vnione duarum naturarũ in personalitate Verbi. Quidam ex nostris vocat strictam compositionem primam; Secundam verò minimè, ego verò nullam existimo strictè, & rigorosè compositionem.

Probatur 1. ex Scoto quia stricta & rigorosa compositio est vnio plurium, quorum vnum se habet vt actus, & alterum vt potentia, aut vtrumque est in potentia, respectu tertij; vt in compositione quæ fit ex partibus integrãtibus, vbi quamuis vna pars, non se habeat vt actus respectu alterius, tamen vtraque est potentialis, vt alteri vniatur & respectu tertij, aut resultat vnum per se sicut totum ex materia & forma; sed vnio duarum naturarũ, & vnio personalitatis & humanitatis, se non habẽt huiusmodi; ergò persona Christi, non est verè & rigorosè composita.

Probatur minor, nam diuina natura, neque personalitas verbi se habent vt potentia; nam est imperfectio: neque se habent vt actus actuans, quia hoc est proprium formæ creatæ: neque ex duabus naturis resultat altera tertia, vt est definitum contra Euticheten: Ergò istæ compositiones non sunt propriè & rigorosè tales.

Respondebis quòd natura humana se habet vt potentia, & personalitas verbi vt actus terminans, & perficiẽs, & complens humanitatem, & ex personalitate, & humanitate resultat

vnum per se substantiale, id est, hic Homo Christus.

Sed contra, quia quod resultat, non est vnum realiter distinctum à partibus, cùm hoc causetur ab illis, supposita vnione inter vtrumque informationis & receptionis, & hoc non inuenitur inter humanitatem & personalitatem Verbi, & ita quod resultat, nimirùm Christus, est quod vnitum, hoc est partes cum vnione.

Obijcit prima sententia, primò, nã in Lateranensi Consultatione 5. Can. 17. definitur quòd omnia definita in generalibus Concilijs in proprio sensu sunt intelligenda: Sed definitur in in Ephesino quinto generali, Christum esse personam compositam; ergò propriè est compositus.

Respondeo quod Concilia tantùm intendunt excludere errores Eutichetis, & Nestorij, qui optimè reijciuntur dicendo Christum esse personam compositam, siue sit in rigore metaphysico, siue non; nam de hoc non agunt Concilia, sed relinquunt Scholasticis disputandum: Addo quod illa particula, *in proprio sensu*, refertur ad vnionem, de qua erat controuersia cum Hæreticis, non ad cõpositionem, de qua nulla fuit controuersia.

Secundò obijcies, ex natura & personalitate in creatis, fit propria, & stricta compositio, ergò in Christo ex humanitate & personalitate Verbi.

Respondet Cauellus, negando antecedens: Secundò, Respondent Thomistæ quod personalitas in creatis habet modum informationis, non verò personalitas diuina, quia esset imperfectio.

Quæres primò, vtrùm per communicationem idiomatum potest concedi hæc propositio, *Deus est compositus*, sicut dicitur, *Deus est mortuus*?

Respondeo in rigore sermonis benè posse concedi, sed absolutè non est cõcedenda, ne intelligatur quod Deus sit secundùm se compositus.

Petes secundò, vtrùm hæ sint veræ, *Christus est duplex natura*, *natura humana & diuina sunt vnus Christus*? & inquiro de sensu idemtico; nam in formali est falsa, sicut in naturalibus, *Totum est sua partes*, est falsa: Aliqui dicunt has propositiones damnatas esse in Constantiensi, Sess. 13. Inter errores Ioannis Hus: Sed vt optimè notant Vasq. & Lorca, non fuerunt damnatæ in sensu Scholasticorum, sed in sensu Hus, qui dissoluebat vnionem, dicens, Christum esse naturam humanam, & diuinam diuisè, non collectiuè; nam ita latenter introducere conabatur errorem Nestorij. Dico has propositiones esse falsas; Ita Suares, disput. 35. Sect. 2. Vasquez disp. 13. num. 19. & disput. 16. cap. 15. Ratio est quia Christus est aliud præter naturas diuinam & humanam, scilicet est suppositum, & ita non sunt veræ idemticæ.

Obijcies quia istæ propositiones inueniuntur in Damas. 3. fidei, cap. 19. August. Bernardo, & quod magis est, habētur in edicto fidei Cõstantini:

Respond. quòd ibi sumitur pars pro toto per Synecdochen, scilicet naturam pro Deo & Homine, in quo includitur suppositum, propter quod explicanda est si inueniatur in Patribus.

Ex dictis non est audiendus, Durandus dicens; non esse vocandam hanc compositionem *huius ex his*: Sed *huius ad hoc*, nam contra est quia à Patribus & Concilijs vocatur, *huius ex his*, id est ex naturis, & *huius ad hoc*, non significatur compositio ex naturis, sed solùm assumptio humanitatis ad suppositum, in qua locutione non significatur compositio.

DIFFICVLTAS IIII.

Quis sit terminus formalis ad, & à quo *Incarnationis.*

CVm hæc difficultas magis subtilitatis metaphysicæ habeat, quàm vtilitatis, variæ sunt circa illam sententiæ: Prima est terminum formalem *ad quem* Incarnationis (de quo priùs agemus) esse personalitatem Verbi: Ita Aluarez disp. 13. conclusione 3. Hurtado disp. 2. difficult. 9. Tribuitur sancto Thomæ 3. p. quæst. 2. art. 8. Et Caietano, tribuitur etiam nostro Scoto in 3. distinct. 5. quæst. 1. Sed falso, nam Scotus non loquitur de termino incarnationis; sed de termino dependentiæ quam habet natura humana ad subsistendum.

Secunda sententia, ait terminum formalem *ad quem*, esse vnionem; ita defendit Suarez, vt probabiliorem, disput 8. sect. 2. tenet Durandus, Ragusa disput. 40. Rada 3. part. controuers. 3. art. 4. disp. 2.

Tertia sententia dicit esse humanitatem, vt vnitam Verbo: Ita vt vnio sit conditio: Sic Vasquez disp. 19. cap. 2. Cabrera cum sancto Thoma quæst. 2. art. 7. dis. 2. Montecinos.

Quarta sententia, docet quòd si incarnatio consideretur, vt est communicatio subsistentiæ diuinæ, terminus est personalitas Verbi: Si secundò consideretur, vt est Incarnatio, seu humanatio, terminus est humanitas: Si tertiò cogitetur vt vnitio, terminus est vnio; Ita Suarez & Lorca disp. 19. & quidam ex nostris, quæ sententia placet; nam licet Incarnatio sit vna actio ire, tamen secundum has diuersas considerationes, habet diuersos terminos.

Probatur, nam terminus formalis *ad quem* communicationis est quod communicatur; sed quod communicatur naturæ humanæ, & ad quod assumitur, est ad esse suppositi diuini; ergò in hac consideratione suppositum Verbi est terminus formalis: Neque ex eo quòd verbum diuinum sit præcipuum quod inuenitur in Incarnatione, est terminus formalis, vt intendunt Auctores secundæ sententiæ: Nam ex calefactione resultat calidum in quo inuenitur substantia, & calor, & tamen substantia quæ est præcipua, non est terminus formalis *ad quem*, sed calor qui est imperfectior.

Deindè quòd vnio sit terminus formalis productionis; nam terminus formalis actionis productiuæ, vt talis, est quod producitur, sed per Incarnationem tantùm vnio producitur; ergò illa est terminus formalis.

Dices quòd in generatione Verbi terminus formalis est essentia diuina, quæ non producitur, sed communicatur; ergò terminus formalis non semper producitur.

Respondeo verùm esse quod sæpe terminus formalis non producitur, vt patet in exemplo adducto; quia non consideratur actio formaliter vt productiua est; nam vt sic necesse est quod aliquis terminus productus, sit terminus formalis.

Quòd terminus formalis, vt est Incarnatio, & humanatio, formaliter sit humanitas, probatur; Nam terminus formalis secundùm Scotum in 1. dist. 3. quæst. 5. *contrà istam*, & secundùm communem sententiam est, qui in termino totali, habet rationem formæ; Sed forma à qua Christus dicitur homo est humanitas, ergò illa est terminus formalis.

Obijc. Hurtado quia in hoc Mysterio personalitas Verbi est quasi for-

ma; nam est actus terminans & perficiens humanitatem, quæ est quasi materia terminata, & perfecta per personalitatem Verbi, ergò terminus formalis est personalitas.

Respondeo verum esse quatenus Incarnatio est communicatio, seu assumptio; non tamen vt est Incarnatio, & humanatio.

Dices secundò, quòd terminus formalis in composito quod fit ex humanitate Petri, & eius personalitate, est personalitas, quia est actuans humanitatem, quod est proprium termini formalis; ergò similiter in Incarnatione, qua humanitas vnitur personalitati Verbi, loco proprię personalitatis, terminus formalis est personalitas Verbi.

Respondeo quòd prout Incarnatio tendit ad esse personę, formaliter; possumus dicere quòd personalitas est terminus formalis, quia illa est quę dat esse personæ; at verò absolutè, & vt tendit, vt Deus sit homo, personalitas non est terminus formalis: Primò quia actionis creatæ, & mutationis, nequit Verbum esse terminus: Secundò; nam sequeretur quòd si Verbum assumeret naturam angelicam quòd talis actio esset eiusdem speciei cum Incarnatione, quippè haberet eũdem terminum formalem, scilicet personalitatem Verbi.

Tandem nota quod si ex his tribus opinionibus aliqua esset eligenda, esset illa quæ docet terminum formalem esse humanitatem; nam est conformius Scoto, in 3. dist. 7. quæst. 2. litera, D. vbi ait, quòd in hoc mysterio magis immediata propositio est illa, *Deus factus est homo*, quàm hæc, *homo factus est Deus*.

Circa terminum *à quo*, Caiet. art. 8. Cabrera disp. 2. dicunt terminum *à quo* esse humanitatem, quia supponitur ad Incarnationem, quod est proprium termini *à quo*; sed hæc sententia communiter reijcitur, quia terminus *à quo*, est incompossibilis cùm termino *ad quem*; Sed humanitas inuenitur simul cùm termino *ad quem*, quicumque ille sit, ergò, &c.

Alij dicunt terminum *à quo*, esse personalitatem propriam, quam haberet humanitas, si Verbo non vniretur, quòd probabile reputat Suarez, disput. 8. sect. 2. Probat, quia terminus *à quo* est quod expellitur, aut impeditur per terminum *ad quem*, sed personalitas propria impeditur; ergò est terminus *à quo*. Sed reijcitur, quia terminus *à quo* actionis realis actu debet existere, sicut ipsa actio existit, sed propria personalitas nunquam extitit; ergò non est terminus *à quo*.

Dices si Deus crearet aquam calidam, diceretur factam esse calidam ex frigida, quia frigiditas illi est debita, ergò similiter in nostro casu.

Respondeo quòd in tali casu non ita diceretur, sed quod fieret calida ex non calida, & ita terminus *à quo* esset carentia caloris.

Hurtado disput. 2. difficult. 10. dicit nullum esse terminum *à quo*, neque priuatiuum, neque positiuum; Ratio est, quia terminus *à quo* debet præcedere, vel tempore, vel instanti, terminum *ad quem*, & humanitas neque in instanti temporis præcessit priuata, vel negata personalitate Verbi. Sed licèt hoc fundamentum verum sit, quippè Scoti in 3. dist. 5. quæst. 1. §. *Si autem teneatur*, & disp. 7. q. 2. §. *Ad argumenta*, & aliorum, & ad hoc ratio Scoti est, quia terminus *à quo*, nõ conuenit propriè nisi actioni, quæ est mutatio, & mutationi conuenit, quòd sit transitus ab vno termino ad alterum, ad quem tempus requiritur.

Sed obijcit contra hoc Suarez ci-

tatus, existimans sufficere quod terminus *à quo* præcedat prioritate naturæ: Ita, si Verbum incarnaretur ab æterno, haberet terminum *à quo* qui non præcederet tempore, & si crearet hominem ab æterno, diceretur factum fuisse ex nihilo, quamuis nihil præcessisset; ergò non est necessarium quòd terminus *à quo*, tempore præcedat.

Respondeo quod in his casibus nullus esset terminus *à quo*, cùm non esset transitus, tamen diceretur hominem fieri ex nihilo, non tanquam ex termino *à quo*; sed negatur materia ex qua sit formatus. Tamen sententia est falsa, sufficit quòd terminus *à quo* præcedat extra subiectum duratione, vt præcedit, in nostro casu, carentia termini *ad quem*, sicut etiam præcedit quando Deus de nouo aliquid creat.

Quidam ex nostris dicit terminum *à quo* esse carentiam, non tamen priuationem neque, negationem. Sed reijcitur, nam sicut non datur animal vt sic; sed contractum ad aliquam speciem, etiam non datur carentia, vt sic; sed contracta, vel ad priuationem, vel ad negationem.

Communiter Auctores dicunt terminum *à quo*, esse priuationem, vel negationem secundùm sententiam quā defendunt de termino *ad quem*, & hæc est nostra sententia. Itaque secundùm diuersas considerationes Incarnationis, est diuersus terminus *à quo*; Nam si consideretur, vt est Incarnatio, vel humanatio, terminus *à quo*, est negatio humanitatis; Si vt est productio, terminus *à quo* est negatio vnionis; si vt est communicatio, terminus *à quo* est negatio personalitatis verbi.

Probatur, Incarnatio est actio, non inter extrema positiua, quorum vnum alterum excludat, vt probaui contra primum, & secundum modum dicendi; ergò est inter extrema contradictoriè opposita, non verò inter priuationem, & positiuum, ergo inter negationem, & positiuum.

Probatur, nam priuatio est in subiecto apto nato ad habendam formam; negatio, vel non dicit subiectum, vt creatio, vel dicit illud ineptum ad formam: Sed carentia terminorum *ad quem* Incarnationis, secundùm diuersas considerationes prædictas, vel non dicit subiectum, vt est carētia vnionis, vel personalitas Verbi in humanitate (quæ humanitas non existebat ante hanc vnionem) vel si dicit subiectum, verbi gratia Verbū, carentiam humanitatis assumptæ, non est aptum natum habere pro forma talem humanitatem, ergò concluditur quòd sit negatio.

Dices negatio extra subiectum tantùm est terminus *à quo* creationis, Incarnatio non est actio creatiua, ergò non habet talem terminum *à quo*.

Respondeo negando antecedens, nam si terminus *ad quem* per quem excluditur negatio, producatur in aliquo subiecto, vt contingit in Incarnatione, in qua vnio producitur in humanitate, & personalitas humanitati vnitur; tunc non erit creatio, sed alia actio, & terminus *à quo* erit negatio.

Addo & fortè meliùs, quod si dicamus productionem vnionis esse creationem, nihil dissonum dicemus.

DIFFICVLTAS QVINTA.

Vtrùm per Incarnationem producatur vnio, & quid sit.

CVm vnio nihil aliud sit quàm vinculum duarum rerum, & vinculum sit duplex, ita vnio; Nam aliud est vinculum in quo duo extrema co-

pulantur (verbi gratia) si extrema se habent vt actus & potentia, vinculum *in quo*, erit compositum; vel si non se habent vt actus & potentia, vt duæ qualitates, vinculum *in quo* erit subiectum: Alterum est vinculum *quo* aliqua extrema copulantur, & est forma *à qua* extrema sunt & denominantur formaliter vnita; nam licèt in vinculo in quo vniuntur, hoc tantùm est realiter & fundamentaliter, sicut duo parietes, ab vnitate alicuius qualitatis sunt similes fũdamẽtaliter, & realiter, à relatione tamẽ similitudinis formaliter denominantur similes. In præsenti ergò non est difficultas de vinculo, & vnione *in quo*; nam si sermo sit de vnione quæ facta est inter naturam diuinam & humanam, vinculum *in quo* est personalitas Verbi; si verò sermo sit de humanitate & personalitate, vinculum *in quo* est Christus seu persona Verbi composita, quæ est terminus totalis Incarnationis: Sed tantùm est difficultas de vinculo *quo*.

Prima sententia est Ariminensis, Caiet. quæst. 2. art. 7. & 10. Valent. quæst. 2. punct. 5. Aluarez disput. 15. dicentium ipsas naturas seipsis vniri, sine aliquo de nouo producto, & probabile reputat Lorca disput. 15. Differũt tamen hi Auctores; Nam Caietanus, Valentia, Aluarez dicunt quod ad hanc vnionem sequitur relatio vnionis, quæ in humanitate est realis, in Verbo solùm rationis; at verò Greg. Negat quamcumque relationem.

Nobis dicendum est, quòd per Incarnationem aliquid producitur de nouo, quo humanitas & Verbum vniantur. Ita communiter Scholastici. Probatur nam Incarnatio est noua actio; ergò debet habere terminum nouum productum: sed hic terminus non est Verbum, vt probatur Ioan. 1. Neque humanitas, quæ producta, est priùs naturâ, per generationem ex visceribus Virginis, ergò est vnio qua ista duo vniuntur.

Dices, quòd tantùm est denominatio extrinseca in ipsa humanitate. Sed contrà; ergo aliquid intrinsecum est in Verbo, quod est falsum; nam extrinseca denominatio non prouenit nisi à forma intrinseca in altero existente, vt patet in dexteritate columnæ.

Secundò probatur conclusio, nam duo contradictoria non possunt verificari de eodem, nisi posita aliqua mutatione per aliquam nouam formam; sed sicut ante Incarnationem existebat Verbum, existeret etiam humanitas, & posteà vnirentur, tunc denominarentur vnitæ, anteà verò non vnitæ; ergò aliquid reale de nouo habent, quod anteà non habebant, & idem est si modo separentur, nam anteà denominabantur vnitæ istæ naturæ, & modò separatæ, ergò per aliquid quo vniebantur.

Respond. Greg. quòd quando vniuntur, producitur de nouo compositum scilicet Christus. Sed contrà, quia actio productiua non terminatur ad totum compositum de nouo, nisi per illam producatur aliquis terminus formalis; ergò si per Incarnationem fit totum compositum, fit etiam priùs terminus formalis. Deindè non potest fieri de nouo compositum per Incarnationem, nisi producatur aliquid in altero extremo; nam si eodem modo se habent extrema quomodo nunc sunt vnita, & non anteà, ergo vt sunt vnita, aliquid de nouo debet fieri; non in diuinitate vt patet, ergò in humanitate, & hoc antè compositum, cùm ex hac vnione resultet cõpositum. Ex quo reijciuntur, Caiet. Valent. & Aluarez qui ponunt relationem secutam ad vnionem: Secundò reijciuntur hi

Auctores; nam ista relatio non potest esse terminus actionis incarnatiuæ; nam ad relationem intrinsecus aduenientem, non datur motus, & ipsi non cognoscunt alias relationes; ergò debent assignare terminum talis actionis, qui erit fundamentum talis relationis.

Prima sententia Obijc. 1. quia inter humanitatem, & propriam personalitatem, non datur vnio, ergò neque inter humanitatem, & personalitatem Verbi.

Respond. cùm aliquibus quod etiã datur vnio: Secundo, Respond. & meliùs, quòd nõ datur talis vnio, quia ad productionem naturæ resultat personalitas creata; cùm verò humanitati adueniat personalitas Verbi, requiritur vnio vt coniungantur.

Secundò obijc. Partes continui vniuntur in diuisibilibus, sine vnione media; ergò humanitas, & personalitas etiam vniuntur, sine vnione.

Respond. quod quando partes de nouo aliquibus indiuisibilibus vniuntur ab efficiente, fit media vnione, non tamen quãdo indiuisibilia vniunt partes continui.

Tertiò obijc. Lorca, in humanitate est potentia obedientialis, vt vniatur; In Verbo est virtus, vt illam reddat subsistentem; ergò sufficit quòd hæc virtus applicetur, & non requiritur, vnio, aliàs non immediatè vniuntur, siquidem fit media vnione.

Respond. cùm talis applicatio fiat per actionem Trinitatis, talis actio non datur sine termino nouo, ac per cõsequens sine vnione, quæ vnio non impedit immediationem.

Dices quod in transsubstantiatione datur actio noua conuersiua panis in corpus Christi, & tamen non datur terminus nouus.

Respond. primò, datur de nouo præsentia. Secundò, Respond. datur de nouo quod corpus Christi fiat ex pane.

Quartò obijc. Nam si daretur talis vnio, esset ex parte humanitatis extensa & corporea, & esset ex parte Verbi spiritualis, & in extẽsa, quod in vna re est impossibile; ergò vel neganda est talis vnio, vel plures vniones sunt ponendæ.

Respo. quòd cùm hæc vnio sit relatio, vt postea dicam, tantùm ratione fundamenti dicitur extensa; nam diuersa vnione partiali vnitur caput, ac vniuntur pedes: dicitur hæc vnio spiritualis ratione termini, scilicet Verbi.

Circa secundùm scilicet quod sit vnio; Gabriel in 3. distinct. 1. quæst. 1. dicit esse qualitatem supernaturalem humanitati superadditam, quam vocat gratiam vnionis. Hanc sententiam aliquis cẽsura inurit, quia accedit ad errorem Nestorij: nam in prima Synodo generali, Collatione 8. cap. 4. damnantur dicentes hanc vnionem factam esse secundùm gratiam. Sed immeritò; Nam quòd ibi damnatur est, hanc vnionem factam fuisse secundùm affectum, & non secundùm subsistentiam, vt dicebat Nestorius; & longè abest ab hoc Gabriel, nam ait factam esse vnionem secundùm subsistentiam, sed media vnione reali, quæ est quædam qualitas. Sed hæc sententia reijcitur, nam vnio dicit ordinem duorum, ergò vel est relatio, vel illam intrinsecè includit; sed illa qualitas neque est relatio, neque illam includit, ergò non est vnio.

Suares disput. 8. sect. 2. Vasq. disp. 18. cap. 3. Lorca disp. 13. Ragusa disp. 39 & communiter Thomistæ dicunt esse modum quendam substantialem; solùm differunt quòd Suarez docet

docet talem modum esse fundamentum relationis realiter distinctæ à tali modo. Vasquez & alij dicunt talem modũ dicere relationẽ *secundum dici*, quę pertinet ad prædicamentũ substãtiæ, & identificatur cum tali modo.

Sed reijcitur primò, quia vel talis modus ponitur vt vniat, vel vt sit fundamentum relationis vnionis; si vt vniat, vt ait Vasquez & alij, ergo etiam talis modus reperitur inter materiam & formam, quod falsum est; nam Aristoteles non cognouit talem modum, sed tantùm materiam, formam & compositum: quod si talis modus esset, illum cognosceret & nominaret, sicut cognouit indiuisibilia quibus partes continui copulantur. Rursus quia hæc indiuisibilia ideò cognouit, quia cum partium continui vna non se habeat vt actus, & altera vt potentia; necessarius est modus qui sit velut actus & copula: Sed inter materiam & formam, humanitatem & personalitatem Verbi, forma est actus materiæ, Verbum est veluti actus humanitatis, ergo talis modus non est, necessarius. Addo quod totum esse modi est ad aliud; ergo est relatio secundùm esse, & non secundum dici tantùm.

Contra Suarez sic arguo; Nam secundùm ipsum talis modus non vnit, nam ad hoc ponit distinctam relationem ab vnione, ergò frustra ponitur modus. Dices, poni pro fundamento relationis. Contra humanitas sufficiens fundamentũ est, ergo nõ est necessarius talis modus. Deindè si talis modus non vnit, & est in humanitate, ergo est Verbo vnitus, quod videtur absurdum fateri aliquid præter humanitatem esse Verbo vnitum. Alia plura obijcit Scotus in 3. d. 1. q. 1. §. *ad oppositum* littera I.

Nobis dicendum est, quod hæc vnio est relatio extrinsecus adueniens. Ita Scotus citatus art. 5. §. *ad illud* & dist. 7. quæst. 2. & in 4. dist. 11. quæst. 2. & quodlibet. 19. omnes Scotistæ Rada 3. parte controuer. 3. art. 4. Faber disp. 3. cap. 3. Pytag. dist. 1. quæst. 1. art. 14. Bassolis, Maior, & sanctus Thomas. 3. parte quæst. 2. art. 7. fatetur esse relationem. Idem Ocham, Aureolus, Argentina.

Probatur ex dictis, per Incarnationem aliquid producitur non absolutum, ergo relatio, non intrinsecùs adueniens, quia hæc non producitur sed resultat, ergo extrinsecus adueniens. Et confirmatur, quia solum quod de nouo est, est dependentia naturæ humanæ ad Verbum; dependentia ergo, & relatio Synonima sunt; Ergo relatio est quæ producitur, quæ omnia ex argumentorum solutione magis patefient.

Obijcitur primò ex Aristotele 5. Physic. cap. 1. & 2. ad relationem non datur per se motus; ergo per Incarnationem non producitur mera relatio. Respondeo cum Scoto, quod Aristoteles loquitur de relationibus intrinsecùs aduenientibus, de quo latè dixi in Logica, non de extrinsecùs aduenientibus.

Secundò ob. si vnio est relatio, ergo Incarnatio est actio accidentalis, saltem vt productio est, vt dixi difficultate præcedenti. Rursus vnio humanitatis cum Verbo erit accidentalis; quod sapit hæresim Nestorij; Probatur, nam vniuntur relationę, relatio est accidens, ergo vniuntur accidentaliter. Respond. negãdo primam sequelam, nam denominatio actionis non sumitur nisi à termino totali, qui in præsenti est Christus, vel a formis quibus terminus totalis constituitur, quæ in præsenti sunt diuinitas & hu-

K.

manitas, quæ ſunt ſubſtantiæ non tamen à conditione, vt eſt vnio media, qua humanitas tribuit Deo quod ſit homo.

Nego etiam ſecundam ſequelam, nam quod aliqua ſubſtantialiter, vel accidentaliter vniantur, non eſt ſumendum ex vinculo *quo*, ſed ex vinculo *in quo*, quod in noſtro caſu eſt perſona compoſita, quæ eſt ſubſtantia, & ita extrema dicuntur vnita ſubſtantialiter: Quod colligo primò, quia Patres & Concilium vt reijcerent Neſtorium, ſolum recurrerunt ad perſonæ vnitatem, quod erat vinculum *in quo*, & non meminerunt vinculi *quo*. Secundò quia Petrus & Paulus ſunt idem ſubſtantialiter, quia vniuntur in ſubſtantia, etiam ſi vinculum quo dicuntur vnita, ſit relatio identitatis, quæ eſt accidens. Nec ex eo quod relatio accidens ſit colligitur quod accidẽtaliter vniantur extrema, ſed tantùm quod accidente vniantur. Dices vnio eſt accidentalis, ergo extrema accidentaliter vniuntur. Reſpondeo, vnio accidentaliter conuenit humanitati; nam poterat humanitas non vniri, non tamen accidentaliter vnitur, & in affectu, vt dicebat Neſtorius.

Petes ad quod prædicamentum ſpectet hæc relatio? Quidam ex noſtris cum Maïrone in 3. diſt. 1. dicit pertinere ad predicamentum *habitus*, & addit quod ſatis probabile eſt, adhuc in ſententia Scoti, quod ſit ſubſtantialis relatio, ſicut dantur in Diuinis & in Creatis relationes Creaturæ ad Creatorem. Sed licet in hoc doctè diſcurrat, non placet quia neque verum neque Scoticum: primò quia relatio *habitus*, vt patet ex logica non inuenitur in lorica vel veſte, ſed in loricato & veſtito, ſed qui in Incarnatione fuit humanitate indutus, fuit Verbum, ergo ſi hæc metaphora eſt ſequenda, vnio non eſt ponenda in humanitate, ſed in Verbo, quod eſt pluſquam falſum; neque dicitur quod humanitas induitur Verbo, benè tamen è contra. Secundò eſt contra Scotum, nam in 3. diſt. 7. quæſt. 2. litera b. ait, *Reſpondeo quod hîc fuit vna factio realis actiua totius Trinitatis, cui correſpondebat factio paßiua realis, qua ſcilicet homo factus eſt Deus, quæ fuit vnio paßiua naturæ humanæ ad Verbum, & hæc paßio fuit in natura humana, & terminus eius erat Verbum.*

Dices quod dicitur natura humana paſſa ſeu tranſmutata non tranſmutatione formali & per vnionem formaliter; ſed paſſione qua quodlibet ſubiectum tranſmutatur per formam de nouo aduenientem. Sed contra, quia Scotus expreſsè aſſerit, quod hæc paſſio eſt vnio, quæ eſt in natura humana, & quod terminus eius eſt Verbum, in quo ſignificat quod eſt relatio; deinde ſubdit quod in Verbo eſt alia relatio *ſecundum dici*, id eſt rationis, cuius terminus eſt humanitas, ergo loquitur Scotus de paſſione formali reali in humanitate, & in Verbo rationis. Idem habet Scotus in 4. diſt. 11. quæſt. 2. literis b. & c.

Deindè quod vnio ſit relatio ſubſtantialis reijcitur primò, quia vel eſt relatio formaliter, vel identicè; non identicè, ſicut homo qui eſt creatura, identicè dicit relationem ad Deum, ſed formaliter eſt quid abſolutum, quia vnio nihil habet niſi vnire, quod eſt quid relatiuum; neque eſt formaliter relatio, primò quia omne illud creatum quod eſt formaliter ad aliud, prius ſupponit eſſe in alio, ac per conſequens eſſe accidens, ſi velimus ſtare diuiſioni Entis ſecundum Philoſophos & Theologos, & nolimus ex proprio cerebro componere diuiſio-

nem aliam, ita enim omnes diuidunt Ens an substantiam & accidens, deinde substantiam in creatam & increatem, deindè creatam in corporalem & spiritualem, &c. increatam in absolutam vt Deum, & in relatiuam vt paternitatem, accidens in absolutum & relatiuum, &c.

Secundò reijcitur; Nam Scotus in 4. dist. 11. quæst. 1. §. ad quæstionem litera N. ait, *omnis autem vnio absoluti ad absolutum est respectus extrinsecus adueniens, omnis autem talis respectus est illi cui inest accidens per accidens*; ergo in sententia Scoti, vnio accidens est non substantia.

Respond. quod Scotus loquitur de vnione absoluti ad absolutum, & hæc vnio est absoluti ad personalitatem, quæ est relatio. Sed contra, primò quia ratio qua probat Scotus esse talem relationem, valet; etiam si sit relatio absoluti ad relatiuum nempè quia possunt fundamentum & terminus dari separata. Secundo, quia saltem vnio qua humanitas Diuinitati vnitur, erit accidens, siquidem vtrũque est absolutum.

Tertiò, respondent quod Scotus loquitur de vnione qua accidens absolutum vnitur substantiæ, sicut de inhærentia actuali, & hæc vnio est accidens, non verò loquitur de vnione hypostatica quæ singularissima est, & ita debet excipi. Sed contra primò quia etsi in alijs rebus sit singularissima & ineffabilis, tamen si potest in aliquo seruare leges aliarum vnionum, debet ita de illa Philosophari, vt ita faciliùs pateat aditus ad hoc mysterium credendum. Secundò, quia vt Scotus probet vnionem accidentis ad subiectum esse relationem extrinsecùs aduenientem, assumpsit propositionem, & medium vniuersale conueniens omibus talibus relationibus, sub quibus sæpè probauerat vnionem hystostaticam contineri, scilicet, *omnis autem talis respectus est illi cui inest accidens per accidens*, & ad hoc etiam adducit aliud mysterium nostræ fidei, scilicet instantia de caractere qui imprimitur in Baptismo.

Propter hæc magis placet quod talis vnio sit accidens pertinens ad prædicamentum passionis. Ita Pytigianus. Probatur, nam tota Trinitas per actionem incarnatiuam transmutat humanitatem, producendo vnionem per quam Verbi personalitate terminatur; ergo est in humanitate relatio transmutati ad transmutans, quæ relatio est prædicamenti Passionis.

Obijcies primò vnio est terminus Incarnationis, quæ est actio, sed Passio non est terminus actionis, ergo vnio non est Passio. Confirmatur, nam terminus actionis prædicamentalis, est subiectum transmutatum, Passio non est subiectum quod transmutatur, ergo vnio non est Passio. Patet quia vnio est terminus vnitionis. Respondeo quod vnio seu relatio Passionis, est terminus actionis producentis ad productum, non tamen est terminus actionis transmutantis ad transmutatum; nam terminus eius actionis est humanitas, vt dicitur in confirmatione, per quod patet ad illam. Quod ita explicatur, in calido producto ab igne, est duplex relatio inter alias; vna est ignis producentis ad calidum productum, & est intrinsecus adueniens, posterior natura ipso calido, nam resultat ex termino & fundamento: Altera est transmutati scilicet subiecti (verbi gratiâ) ligni, ad ignem tansmutantem vt efficientem; vel ad calorem vt causam formalem, & hæc relatio est Passio, & extrinsecus adueniens, & prior na-

tura ipso calido, & dicitur vinculum quo formaliter subiectum vnitur caloti: Ita in persona composita Christi, in duabus, & ex duabus naturis, est duplex relatio, vna producti ad producens, quam dicit Christus, vel vnio ad totam Trinitatem, & hæc est intrinsecus aduemens, posterior natura vnione, & Christo; Altera est transmutati ad transmutans per quam humanitas quæ est veluti subiectum refertur ad Trinitatem, vt causam efficientem transmutationis, & ad Verbum vt ad terminum extremum, quæ relatio est extrinsecùs adueniens, & prior Christo persona composita, & est relatio prædicamenti Passionis, & est vinculum quo humanitas denominatur Verbo vnita.

Aduertunt tamen quidam ex nostris omnia ista esse vera, si sermo sit de vnione humanitatis ad Verbi personalitatem, nam si sermo sit de vnione humanitatis cum Diuinitate non est relatio extrinsecùs adueniens, sed intrinsecùs, quæ fundatur in vnitate suppositi, & resultat ex vnione humanitatis cùm personalitate, sicut relatio simultatis, quæ esset inter duo corpora penettata, si darentur quæ fundaretur in vnitate loci.

Sed non placet, primò quia ista relatio non vnionis, sed identitatis vocanda esset; secundò talis relatio est extrinsecùs adueniens, cum detur humanitas & diuinitas quæ sunt fundamentum & terminus, & non resultet talis relatio; Propter quod existimo, quòd non est relatio distincta à relatione qua humanitas vnitur personalitati Verbi, cum habeat idem fundamentum scilicet humanitatem, & terminum eundem realiter, scilicet Diuinitatem & personalitatem, & ad pluríficationem relationum, vel terminus, vel fundamentum debet plurificari: Et ita dico, quod eadem vnione humanitas vnitur personalitati immediatè, Diuinitati mediate, exemplum non est ad rem; Nam ibi sunt duæ continentiæ actiuæ, quæ sunt duæ relationes extrinsecùs aduenientes vt dixi cap. de relatione, & 4. Phys. & non vna relatio intrinsecùs adueniens, cum possint esse talia corpora, quæ sunt fundamentum & terminus, siue tali relatione simultatis.

Aduertite quod vnio hæc est realiter inhærens naturæ humanæ, & in Verbo correspondet relatio rationis; non quia verbum sola ratione vniatur humanitati, verè enim & realiter vnitur, sicut verè & realiter est homo; Sed tantum significatur hac vnione, Verbum non fuisse mutatum in seipso realiter, neque aliquid reale acquisiuisse quod optimè stat cum sola mutatione humanitatis quemadmodùm licet verum sit parietem quando videtur realiter videri, nihil tamen reale acquirit eoquod videatur.

Ex dictis duo colligo, primum quod hæc Vnio vocanda est substantialis quia facta est in hypostasi (quę idem Græcè est quod substantia) & si verum sit quòd possit abesse & adesse cùm contingenter fiat à Deo non tamen vocanda est accidentalis, vt dixi, & vt euitetur omnis suppicio erroris.

Secundò colligo cum Lorca disputat. 19. contr. Vasq. & disp. 17. cap. 3. hanc vnionem non esse appellandam essentialem vel naturalem, quia in rigore sermonis significat factam fuisse in essentia seu in natura, quod est falsum, cùm facta fuerit in hypostasi. Patres vero aliqui vocarunt illam naturalem, id est veram & realem, secundùm naturas diuinam &

humanem; Nam loquebantur contra Manicheos qui dicebant esse phantasticam: Vocant etiam essentialem, quia pro eodem vsurpant essentiam & hypostasim: vel quia humanitas & diuinitas verè & realiter secundùm suas essentias sunt vnitæ, & sæpè Patres non loquuntur in rigore sermonis; nam dicunt Verbum assumere hominem, quæ non est vera in rigore sermonis, quidquid dicat Ludouicus Viues.

DIFFICVLTAS SEXTA.

Vtrum hæc vnio sit omnium maxima.

SVb hoc titulo duplex examinandum est dubium: Primùm est, an hæc vnio in ratione vnionis, sit omnium maxima. Prima sententia est Durandi in 3. dist. 5. quæst. 3. Vasq. disp. 20. cap. 2. & 3. dicentium maiorem vnionem esse vnionem materiæ & formæ. Secunda sententia est Caietani, Medinæ, & Suarez disp. 9. sect. 2. Becani cap. 2. quæst. 4. Hurtado disput. 2. difficult. 11. dicentium hanc vnionem esse maximam.

Pro resolutione, noto quòd duplex vnio consideranda est in hoc mysterio, licet realiter eadem sit; Vna qua humanitas Verbo vnitur, altera qua humanitas & Diuinitas vniuntur in personalitate Verbi: Si sermo sit de vnione qua humanitas personalitati vnitur, ex qua vnione resultat persona composita, maior est vnio materiæ & formæ. Ita Scotus in 3. dist. 6. quæst. 1. §. *ad argumenta* litera F. Durandus & Vasq. citati. Probatur à Scoto, nam ex vnione materiæ & formæ resultat non tantum vnum in persona sed vnum in natura, in hac vnione hypostatica solum resultat vnum in persona, & duplex in natura, ergo est minor vnio: Et confirmatur quia quæ sunt actus & potentia, magis vniuntur inter se, vt est materia & forma, quàm humanitas & Verbum, quæ propriè non sunt actus & potentia; ergo, &c.

Obijcies Bernardum libro 5. de Consideratione ad Eugenium cap. 8. *Inter omnia quæ vnum rectè dicuntur arcem tenet vnio Trinitatis, secundo loco illa præcedit qua è conuerso tres substantiæ vna persona in Christo sunt:* Respond. Scotus citatus Bernardum loqui non in ratione indistinctionis & vnionis, sed in perfectione extremorum: & hoc de facto, nam de possibili, poterat Verbum naturæ angelicæ vniri, quæ perfectior est humanitate.

Secundò obijcies quod per hanc vnionem vniuntur maximè distantia, ergo est maxima vnio. Respond. quòd hoc non arguit maiorem vnionem, sed majorem potentiam in efficiente. Obijcies 3. per mortem dissoluta fuit in Christo vnio materiæ & formæ, non tamen vnio hypostatica, ergo est maior. Respond. tantùm probatur quod mors opponitur vnioni materiæ & formæ, non verò vnioni hypostaticæ.

Dico 2. vnio humanitatis & diuinitatis in personalitate Verbi, est maxima ex parte illius in quo fuit, nempè Verbi, quia nihil magis vnum aut simplicius excogitari potest, & quod magis indissolubiliter vniat: Si verò sumatur in ratione vnionis & distinctionis; dicendum est sicut dixi de vnione humanitatis ad Verbum, Ratio est quia est eadem, imò illa si esset diuersa esset immediatior: Si verò sumatur in ratione extremorum, & de facto, hæc est maxima. Ita Sco-

tus litera F. citata. Rada 3. part. controu. 3. art. 5. conclusione 3. Faber disp. 8. cap. 2. quia Diuinitas est vnum extremum, alterum est humanitas perfectissima, quæ per communicationem idiomatum est accidentaliter perfectior.

Secundùm dubium est an hæc vnio sit omnium maxima in ratione doni, & difficultas procedit de vnione secundùm effectum formalem quem præstat, scilicet Deum esse hominem.

Prima sententia dicit gratiam habitualem & gloriam esse maius donum. Ita Marsill. in 3. quæst. 3. art. 2. Durand. dist. 2. quæst. 1. Scotus noster in 3. dist. 2. quæst. 1. §. *ad argumenta*, litera G, ait quòd inter has vniones propriè loquendo non est comparatio; nam sunt diuersæ rationis, & vna alteram excedit, & ab illa exceditur; Sed tamen ante ipsam literam G, & in 4. dist. 49. quæst. 2 §. *ad istam secundam quæstionem*, litera E, docet vnionem hypostaticam esse maius donum quàm beatitudinem; est communis sententia, Suar. disp. 9. sect. 2. Vasq. disp. 20. cap. 4. Lorca disp. 17. Memb. 2. Becan. cap. 2. quæst. 4. Rad. conclusione 4. & 5. Fab. cap. 3. Probatur ex Augustino de prædestinatione Sanctorum cap. 15. *Hanc vnionem esse excellentissimam, tantoque naturæ nostræ subiectionem euectam per ipsam, vt quo altius apponeretur, non haberet*: Et ratione probatur per hanc vnionem Deus substantialiter communicatur, & constituitur vnum per se substantiale, & denominatur homo Deus, cui adoratio latriæ debetur; per visionem & fruitionem tantùm accidentaliter vnitur Deus, & per modum obiecti, ergo maior gratia est vnio hypostatica.

Obijcit prima sententia Augustinum tractatu 10. in Ioan. dicentem, melius est concipere Deum mente quàm ventre, ergò maius est vniri Deo mente per gratiam quàm Deo hypostaticè. Respondeo, quod August. tantùm voluit plus esse in Virgine Deum mente concipere quàm ventre; non tamen maius fuisse esse beatum, quàm esse Deum per communicationem idiomatum licet vtilius esset.

Secundò obijcies, vnio hypostatica potest naturæ irrationali communicari, beatitudo minimè; ergò maius est donum beatitudo. Respond. concesso antecedenti, negando consequentiam; Nam substantia perfectior est operationibus liberis quæ sunt accidentia, & substantia communicatur brutis, non tamen illæ operationes. Addo quod talis vnio in natura irrationali, non esset donum & beneficium, quia est subiectum incapax.

Tertiò obijcies, beatitudo est magis eligenda quàm vnio hypostatica, ergo beatitudo est perfectior, nam beatitudo est summum bonum. Respond. 1. Montecinos negando antecedens. Secundò, Respond. quod est magis eligenda, non quia maius bonum, sed quia vtilius, sicut si tempore famis proponatur gemma & panis, eligendus est panis etiam si gemma sit pretiosior: Dicitur beatitudo summum bonum, vel quia coniungit hominem summo bono, quod etiam facit vnio hypostatica, vel dicitur summum bonum, quia satiat appetitum creatum, quem non satiant aliæ res creatæ.

Obijcies 4. beatitudo est finis vnionis; ergo excellentior illa; Probatur, nam finis est excellentior medijs. Respond. quod non semper hoc est verum, quia Incarnatio est medium ad redemptionem peccati, & est

perfectior. 2. Respond. quando amatur aliqua causa propter effectum in illa contentum virtualiter, causa quæ est medium perfectior est fine, siquidem in illa continetur virtualiter.

Quintò obijc. beatitudo & gratia nequeunt esse cum peccato, vnio autem hypostatica potest, gratia sanctificat, vnio non, ergo gratia est perfectior. Respond. quod de facto neque gratia, neque vnio est cum peccato, de potentia Dei absoluta peccatum potest esse cum gratia & cum vnione, & forte cum actu beatifico; de quo dixi tractatu de beatitudine: Et licet verum sit quod vnio non sanctificet sicut gratia, tamen vnioni debetur ipsa gratia & beatitudo & omnes gratiæ, saltem de congruo; gratiæ verò & beatitudini non debentur omnes gratiæ, nam saltem ipsa vnio non debetur, & licet per gratiam homo vocetur filius Dei per adoptionem; per vnionem verò homo est Deus, & humanitas realiter Deo vnita est, & non per affectum, vt homo est Deo vnitus per gratiam.

CAPVT SEXTVM.

De vnione ex parte personæ terminantis.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum verbum terminauerit humanitatem ratione alicuius absoluti, vel respectiui.

De fide est, solum Verbum fuisse incarnatum, ita in Lateranensi sub Martino primò, constit. 5. Can. 4. & 10. est traditio Ecclesiæ ex sacra Scriptura deducta, in qua solus Filius dicitur incarnatus, non Pater vel Spiritus sanctus. Ioan. 1. *Verbum caro factum est*. Quod si alia persona fuisset Incarnata, Scriptura sacra deficeret in necessarijs hoc tacendo, quod nefas est dicere. Ratio præcipua est diuina voluntas, tamen sunt aliquæ cōgruentiæ: Prima, quia sicut per Verbum omnia facta sunt, congruum erat vt per illud fieret reparatio. Secunda est, quia sicut Adæ peccatum fuit appetitus scientiæ & similitudinis Dei, *Eritis sicut dij scientes bonum*, *Gen. 3.* Ita etiam decuit vt Filius qui est sapientia genita & imago Patris, illud repararet.

Obijcies, ideò Filius Incarnatus est, quia eius personalitas reipsa terminauit humanitatem, sed essentia diuina idemtificatur cum personalitate, ergò etiam essentia reipsa terminauit humanitatem, ergò omnes tres personæ sunt Incarnatæ, nam essentia tribus personis conuenit. Respond. quòd sufficit distinctio formalis inter essentiam & personalitatem ad hoc quòd personalitas terminet & non essentia, ac per consequens neque aliæ personæ: fuerunt tamen istæ personæ propter concomitantiam speciali modo in Christo, quia essentia diuina speciali modo fuit in Christi humanitate, ergò & personæ quæ cum illa idemtificatur, & non possunt separari. Ita sentiunt August. serm. 3. de tempore, Suarez disp. 12. sect. 1. Vasq. disp. 28. cap. 2. Rag. disp. 52. quod explicari solet exemplo catenę, nam qui vnum annulum appręhendit, ad se trahit totam catenam. Hugo & Aluarez disp. 20. Rada 3. parte contr. 2. art. 6. dicunt personas non esse in Christo per concomitantiam: & contra nos obijciunt primò, quia non scitur quis sit iste modus specialis. Respond. esse ibi concomitanter, quod est esse ibi per connexionem quam habent personæ cum Filio qui

fuit vnitus, ita quod si per impossibile non essent personæ per immensitatem in omnibus, essent in humanitate.

Obijciunt secundò, ergo etiam personæ fuerunt in vtero Virginis, ac per consequens dicentur Pater & Spiritus sanctus concepti. Respond. quod in vtero fuerunt per concomitantiam, non tamen dicuntur nati nec concepti, quia hoc tantum dicitur de illo qui per se primò & immediatè terminat naturam, vt fuit Verbum.

Tertiò obijcit Rada Scotum in 3. dist. 2. quæst. 2. litera A, sed ibi nihil habet Scotus: Forte est quæst. 1. §. *contra istam opinionem*, in fine, vbi hoc insinuat arguens contrà Henricum dicens, ex vi vnionis solùm Verbum est præsens animæ assumptæ, & hoc secundum esse personale. Respond. quod Scotus loquitur secundum esse personale; nam solum Verbum personat, & ad hoc tendunt omnia argumenta Radæ, & ita manent soluta.

Hoc supposito, quod quæritur in præsenti est, ratione cuius Verbum terminauerit humanitatem. Durand. in 3. dist. 1. quæst. 2. Capreol. art. 1. & Aluarez dicunt Filium terminasse humanitatem ratione subsistentiæ absolutæ, seu existentiæ, & etiam personalitatis; Sed in modo explicandi dissentiunt: Nam Durandus dicit humanitatem primò terminari subsistentia absoluta, & secundariò personalitate. Capreolus & Aluarez, aiunt primariò personalitate, & secundariò subsistentia absoluta, nam dicunt subsistentiam hanc esse suplementum suppositi.

Secunda sententia est Soti & Victoris dicentium, Filium terminare humanitatem ratione subsistentię absolutæ modificatæ per personalitatem, ad modùm quo dicitur essentiam diuinam modificatam paternitate, esse potentiam generatiuam, nam hi Auctores tantum subsistentiam absolutam admittunt in diuinis. Ocham & Gabriel cum dicant personas diuinas seipsis constitui & distingui, & non proprietatibus, asserunt Filium secundùm se terminasse humanitatem, & non ratione essentiæ neque proprietatis; Nam aiunt quod ista inter se nec ratione distinguntur.

Sed omnes istæ sententiæ vnico reijciuntur argumento, nam ex illis sequitur, quod omnes tres personæ terminarent naturam humanam. Patet, nam Verbum terminat, secundùm has sententias, per aliquid quòd commune est tribus personis, licèt adiungatur aliquid speciale; quo argumento vsus fuit Sotus ad probandam suam sententiam, & illud desumpsit ex Anselmo lib. de Incarnatione cap. 4. Propter quòd dico cum Scoto in 3. dist. 1. quæst. 5. §. *in ista quæst.* & in solutione ad secundum, & dist. 5. 5. quæst. 1. Suarez disp. 12. sect. Vasq. disp. 26. cap. 5. Regusa disp. 49. & est communis sententia, rationem terminandi esse proprietatem relatiuam Verbi & non absolutum commune Trinitati. Probatur ex Concilio Toletano 6. & 11. vbi in principio ait, *solus Filius suscepit humanitatem; in eo quod est proprium Filio non in eo quod commune est Trinitati*, idem habetur in 6. Synodo actione 8.

Obijcies 1. humanitas Christi est personata personalitate Verbi: ergò Christus non est vniuocè homo cum alijs hominibus, cum aliæ personalitates sint absolutæ & creatæ, & ista sit increata & relatiua; Nam inter creatum & increatum non datur

communc

commune vniuocum. Respond. negando hoc vltimum, primò, quia creato & increato datur commune vniuocum in sent. Scoti, secundò vniuocatio in præsenti sumitur, à per se significato quod est humanitas, nam personalitas est quid connotatum. Deinde si ex personalitate sumeretur vniuocatio, Petrus & Paulus non essent vniuocè homines, nam personalitates eorum sunt primò diuersæ.

2. Obiicitur, si ratio terminandi est personalitas scilicet filiatio, ergo humanitas denominatur Filia Patris, quod est falsum. Resp. quod personalitas non est forma accidentalis, sed substantia per se subsistens, & ita non denominat humanitatem sed compositum, quod ex illa & personalitate fit, vnde Christus verè dicitur Filius Dei naturalis absolutè loquendo.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Vtrum subsistentia Dei absoluta, & communis possit de potentia Dei terminare humanitatem.

Difficvltas est supposito quod datur subsistentia absoluta in Deo cõmunis tribus personis, vt dixi tractatu de Trinitate, in qua difficultate est prima sententia negatiua, Ita Diuus Bon. in 3. dist. 1. art. 1. quæst. 3. Vasq. disp. 77. c. 2. Lorca disp. 24. n. 21. Becanus c. 4. quæst. 2. Hurtado. disp. 3. difficult. 4.

Nostra sententia est affirmatiua, Ita Scotus in 3. dist. 1. quæst. 2. §. *ad quæstionem igitur*, omnes Scotistæ, Rada 3. parte contro. 2. art 3. Faber disp. 4. c. vltimo, Suarez disp. 13. sectione 1, Valentia disp. 1. quæst. 3. pũcto 5. Ragusa disp. 50. & supposito quod detur talis subsistentia absoluta tenet Montessinos, Hurtado, &c. est sententia S. Thomæ 3. parte quæst. 3. art. 3. ad secundum dicentis, abstracta per intellectum personalitate posse naturam diuinam concipi assumentem ad se.

Probatur primò, quia in hoc nulla est repugnantia, ergo est possibile.

Secundò probatur, nam personalitas duo tribuit naturæ; primum vltimam actualitatem & independentiam ab alio tanquã à sustentãte; secundum incommunicabilitatem, *vt quo & vt quod*, ita vt non communicetur, neque vt forma materiæ, neque vt superius inferioribus: sed subsistentia communis & absoluta Dei potest primum tribuere humanitati, ergo poterit illam terminare.

Tertiò probatur à Theologis, quia tota ratio quare persona diuina potest terminare humanitatem, est quia infinita, sed etiam subsistentia absoluta est infinita, ergo poterit illam terminare.

Prima sententia obiicit primò, quia hæc vnio non fit in natura, aliàs assumeretur humanitas ad vnitatem naturæ diuinæ, quod est falsum; nec in persona, vt supponitur; ergo in nullo alio potest fieri, nam Concilia & Patres tantùm ista duo cognouerunt, nam ex eo quod vnio Incarnationis non fuit facta in natura, colligunt contra Nestorium, factam fuisse in persona. Respond. Scotus in 3. dist. 1. quæst. 2. §. *sed contra* litera, g, quod hæc vnio esset quasi personalis, non in vnitate naturæ, sed in vnitate vnionis naturæ ad naturam, ita quod non fiat compositio ex vtraque natura: Neque hoc est contra Concilia, nam tantùm voluerunt excludere vnionem per affectum, ista verò vnio facta est in subsistentia absoluta, quæ formaliter distinguitur à natura diuina. Sed instat Scotus, quando persona est primus terminus vnionis, natura assumpta vnitur

in vnitate personæ; ergo quando natura est primus terminus vnionis, natura assumpta vnitur in vnitate naturæ. Respondet ibi Scotus optimè, Sed faciliùs respondetur quod humanitas non vnitur ad esse naturæ, sed ad esse subsistentiæ absolutæ, & ita vnitur in vnitate talis subsistentiæ.

Secundò obiicitur, humanitas non est capax subsistentiæ communis, nam solum petit personalitatem, ergo non est illi concedenda subsistentia communis. Respond. quod vtriusque est capax, vt patet ex probatione nostræ conclusionis.

Obiicies tertiò, illa subsistentia non impedit propriam personalitatem, cum non sit personalitas, ergo potest humanitas personata assumi, ac per cōsequens esset in se, & esset in alio, in se per propriam personalitatem, in alio per illam subsistentiam communem, quod videtur inconueniens. Respond. quod subsistentia communis impediret propriam personalitatem; nam cum personalitas propria per eandem entitatem, tribuat humanitati illa duo supradicta, eo ipso quod à subsistentia Dei absoluta tribuitur vnum, impeditur propria personalitas à suo effectu. Vel secundò dici potest quod propria personalitas tribuit incommunicabilitatem, & impeditur alter effectus, quod non est inconueniens, nam in tali casu natura à propria personalitate haberet incommunicabilitatem, à subsistentia Dei haberet independentiam à sustentante.

Quartò, si in Deo esset tantum vna persona, non posset subsistentia absoluta terminare humanitatem, quin etiam immediatè terminaretur personalitate, quia essent omninò idem personalitas & subsistentia communis, sed non minus identificatur talis subsistentia modo cum personaliitatibus quam tunc identificaretur cum personalitate sola; ergo in nostro casu immediatè tribus personalitatibus terminaretur. quod est impossibile, vt dicam difficultate sequenti. Respond. quod in illo casu, subsistentia absoluta & personalis neque formaliter distinguerētur, sed essent omnino idem, & ita personalis immediatè terminaret.

Dices, ergo, in illo casu esset maior identitas in diuinis, ac per consequens modo personalitates non sunt summè eædem cum essentia. Respond. negando, nam maior identitas tantum sumitur prout opponitur compositioni, non tamen quia inter res identificatas sit distinctio formalis vel no, de quo dixi tractatu de Trinitate.

Quintò, nam subsistentia hæc non dat esse personæ, ergo daretur à parte rei homo subsistens qui non esset persona, siquidem propria personalitas impeditur vt dixi. Respond. negando cōsequentiam, nam essent tres personæ diuinæ mediante subsistentia absoluta.

Dices, ergo tres personæ possunt terminare eandem numero naturam, quod est contra Scotum ex dicendis difficultate sequenti. Respond. inconueniens est, quod tres personæ immediatè terminent, non verò mediatè, sicut inconueniens est, quod idem effectus dependeat à duplici causa totali immediatè, non tamen si mediatè dependeat, sicut creaturæ omnes dependent à tribus personis, & quia est mediante vnico principio producendi non est inconueniens. Sed instabis quia tres personæ quando creant, nihil tribuunt creaturæ nisi illud quod tribueret Deus, si per impossibile non esset trinus in personis sed vnus, sed in nostro casu, personæ diuinæ humanitati tribuunt, quod sint tres personæ, ergo sicut est inconueniens, quod tres personæ diuinæ immediatè terminent

eandem numero naturam, ita est inconueniens, quod mediate terminent. Respondeo quod eo ipso, quod terminatio est mediata, nullum est inconueniens, sicut dixi de creaturâ dependente mediatè à tribus diuinis personalitatibus.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Vtrum plures Diuinæ personæ possint assumere eandem numero naturam?

DIFFICVLTAS procedit de assumptione simultanea, nam de successiua non est dubium, circa quam prima sententia est affirmatiua, ita sanctus Thom. 3. parte, quæ. 1. art. 6. Caiet. & Thomistæ ibidem. Ocham, Gabriel, Almainus, Valentia, Suarez disp. 13. sectione 1. Vasq. disp. 29. Lorca disp. 25.

Secunda sententia negat, ita Scotus in 3. dist. 1. quęst. 2. ibi Scotistæ Pytigianus art. 1. Rada contro. 1. art. 4. Faber disp. 4. c. 2. Alens. Ricardus, & probabilem reputāt D. Bon. Lorca & alij.

Probatur ex Anselmo de Incarnatione c. 4, *Impossibile est Deum incarnatum secundum vnamquamlibet personam, secundum aliam quoque incarnari*, & lib. 2. *cur Deus homo* cap. 9. *Plures enim personæ nequeunt vnum & eundem hominem assumere in vnitate personæ, quare in vna tantùm persona hoc fieri necesse est.* Propter hoc Lorca n. 4. affirmat esse sententiam expressam Anselmi, sed tamen respondet sanctus Thom. citatus quod Anselmus loquitur de homine inconcreto, quod cum includat personalitatem, est inassumptibile. Sed contra, quia vt sic neque ab vna persona potest assumi, & quod natura sumatur ab vna persona, Anselmus & omnes fatentur.

Respondent 2. Suarez & Vasq. cum Bonauentura & Durando, quod si tres personæ assumerent eandem numero naturam, non fieret vnio in vnitate personæ, sed in tribus personis, & hoc velle Anselmum. Sed contra primò, quia hęc explicatio non habet locum in verbis Anselmi 2. quia Anselmus diceret quid superuacaneum, quod non est de Anselmo sentiendum.

Ratione Scoti probatur, in omni dependentia essentiali, illud quod dependet non potest dependere totaliter, nisi ab vno, aliàs dependeret totaliter & non dependeret totaliter respectu eiusdem, quod est impossibile. Probatur in nostro casu, nam humanitas dependeret totaliter (verbi gratia) à patre vt supponitur & fatentur Thomistæ, & non dependeret totaliter à Patre, nam dependeret etiam à Filio, & de ratione causæ totalis est, vt totum effectum totaliter producat, & excludat consortium alterius causæ, nam eo ipso quod altera causa etiam simul producit effectum, vel partialiter producit, & ita neutra est totalis, sed vtraque partialis; vel totaliter producit, & ita altera, nec erit causa partialis, nec totalis: cum ergo vna persona diuina totaliter terminet humanitatem, altera persona neque partialiter, neque totaliter poterit terminare. Et confirmatur, quia duæ causæ efficientes nequeunt producere eundem numero effectum, propter eandem rationem, ergo multominus duæ causæ formales etiam si sint extrinsecæ, vt sunt personalitates respectu naturæ quæ sunt minus extrinsecæ, quàm causæ efficientes.

Respondent Caiet. & Vasq. quod humanitas à qualibet persona diuina totaliter terminatur intensiuè, non verò extensiuè, idest per quamlibet personalitatem est adæquatè & sufficienter subsistens, non tamen quod contradictionem inuoluat quod per aliam terminetur.

Hæc solutio non placet Lorcę n. 12. dicenti solum esse verba excogitata ad fugiendum argumentum.

2. Obiicitur ex Scoto contra Caiet, &c. non minus perfectè terminat persona diuina naturam humanam ac propria personalitas terminat, sed natura personata propria personalitate, non est terminabilis ab alia neque extensiuè, neque intensiuè, ergò neque terminata personalitate diuina poterit aliis personalitatibus terminari adhuc extensiuè. Respondet Suarez & Vasq. quod est dispar ratio. 1. Nam propria personalitas est terminus intrinsecus naturæ, & ita si natura personata propria personalitate ab alia terminaretur, non solum natura, sed propria personalitas, terminaretur, quod est impossibile, quod nō sequeretur si omnes personalitates essent extrinsecæ. 2. sequeretur, quod eadem natura esset in se, & esset in alio, in se per propriam personalitatem, in alio per alienam personalitatem, quod est etiam impossibile: quod si natura esset in tribus personis diuinis, semper esset in alio.

Sed contra, quia quod personalitas sit extrinseca vel intrinseca, nihil ad rem, nam præcipua ratio est, quia adæquatè natura dependet à propria personalitate; quod si inadæquatè dependeret posset ab alia terminari, etiam si propria personalitas sit intrinseca, nam magis intrinseca est personalitas Patris in Diuinis, & non terminatur personalitate Verbi, neque Spiritus sancti terminantium essentiam diuinam; ergo etiam si natura esset personata propria personalitate, & iterùm personaretur à Verbo; propria personalitas non terminaretur à Verbo: neque esset inconueniens quod eadem natura inadæquatè esset in se, & esset in alio, in se intensiuè, in alio extensiuè, nam cum non sit eiusdem de eodem, in se intensiuè, & in alio extensiuè, non sunt contradictorię; & cum hoc tantum sit inadequatè, erunt sicut contraria in gradibus remissis quę possunt esse simul.

2. Respondet Caietanus, quod illa maior argumenti Scoti est vera cum duplici limitatione, prima est, quod sit vera & propria dependentia effectus à causa, & humanitas non dependet sic à personalitate Verbi. 2. quod sit dependentia à duobus eiusdem rationis & speciei infimę, quod in tribus personis non contingit, nam specie distinguuntur.

Sed contra primò, quia maior dependentia est quam habet natura à personalitate, cum sit quasi formalis & intrinseca, quam illa, quam habet effectus ab efficienti, cùm sit simpliciter extrinseca, ergo si hoc nequit esse secundum Caietanum, ergo neque in nostro casu. Secūdum voluntariè dicitur, nam sufficit quod sit dependentia eiusdem rationis genericæ, & si hoc implicat, & implicabit ratione dependentiæ à duobus eiusdem vel diuersæ speciei; Nam cum ratio specifica & generica sit eadem realiter, si terminat secundum rationem specificam, à fortiori debet terminare secundum rationem genericam; ergo si implicat dependentia à duobus secundum rationem genericam, etiam implicabit secundum rationem specificam; Nam cui implicat genus etiam implicat species talis generis: ergo si implicat naturam à duobus dependere, etiam implicabit dependere à duabus personis specie distinctis.

Tertiò respondent Valentia & Suarez, idem effectus potest optimè depēdere à pluribus causis totalibus: Nam si duo luminaria æqualia, æque eidem spatio applicarentur, licet quodlibet.

sit causa totalis, producerent eundem numero effectum; Quod si de facto non producunt, est quia naturaliter non æqualiter applicantur.

Sed contra primò, quia hoc eodem argumēto Scoti reiicitur. 2. fundamentum depēdentiæ essentialis, est exigentia quam habet effectus à sua causa; sed hæc exigentia iam est ablata per vnam causam; ergo non habet effectus dependentiam ab alia causa, nam destructo fundamēto relationis depēdentiæ, destruitur dependentia. Exemplum non valet, nam tunc non essent causæ totales, sed partiales: Patet, nam effectus esset intensior quam si vna causa solum illuminaret. Quod si diaphanum tantum esset capax duorum graduum luminis, & quod luminosum posset producere alios duos gradus, tūc nullum ageret secundum vltimum suæ potentiæ, sed quodlibet ageret partialiter, quantum sufficiens esset ad producendum duos gradus simul cum alia causa, in quo casu licet sint causæ naturales, limitantur à limitatione effectus.

Quartò respondet Lorca, quod tres personæ diuinæ, vnica vnione vnirentur humanitati, in quo casu idem effectus non dependeret à triplici causa totali, nam respectu illius vnionis, quælibet persona se haberet vt causa partialis, sicut eadem relatio dependet à pluribus terminis numero diuersis. Sed contra primò, effectus qui prouenit à personalitate, non est vnio, sed subsistere incommunicabiliter, & quod iste effectus proueniat à pluribus causis totalibus simul, tanquam impossibile, argumento Scoti nunquam soluto probatum est. Secundò ad multiplicationem terminorum multiplicantur relationes, vt dixi cum Scoto in Logica, aliàs si eadem relatione Pater referretur ad Petrum & Franciscum filios, mortuo Francisco adhuc denominaretur Pater Francisci; Patet, nam maneret forma, scilicet paternitas qua antea denominabatur Pater Francisci: ergo si personæ plures terminant, plures erunt vniones, quæ relationes sunt.

Quintò respondet Vasq. n. 27. & Hurtado, quod licet verum sit, quod idem effectus non possit dependere à pluribus causis totalibus, tamen poterit eadem natura à pluribus personis personari; & ratio est, quia effectus verè dependet à causa, cum ab illa accipiat esse, & ita illa indiget, & sic si effectus sufficienter procedit ab vna causa, nequit ab alia procedere, quia indigentia effectus extinguitur; Natura verò ad sui esse & productionem non indiget personalitate, sed potius è contra personalitas indiget natura, quæ natura à personalitate terminatur, sicut linea puncto: vnde fit quod cum vnio non fiat ob indigentiam, ideò absque tali indigentia potest à pluribus simul terminari. Sed contra primò quia materia priā in suo esse & ad sui productionem non indiget forma, & tamen nequit simul informari à duplici forma secundùm authores. Secundò licet natura in suo esse non dependeat, neque indigeat personalitate, tamen dependet quantum ad personari, & ita si hæc indigentia extincta est per vnam personalitatem, impossibilis est alia.

Pro prima sententia obiicitur prima, idem corpus de potentia Dei potest esse in duobus locis circumscriptiuè, vt dixi 4. Physic. ergò eadem natura terminari à pluribus personalitatibus. Respond. quod ex hoc nihil probatur, nam tantùm colligitur quod in eodem corpore essent duo vbi, quorum quodlibet dependet totaliter à suo loco, & ita non est ad rem. Sed contra, quia idem corpus in hoc quod est esse in loco dependeret totaliter à

duobus locis & vbi, quod est inconueniens Scoti. Respond. quod Scotus loquitur de dependentia essentiali, nam plura accidentia numero posse esse in eodem subiecto docet Scotus in 3. dist. 8. quæst. 1. §. *hic dicitur* ex quo nullum sequitur inconueniens.

Plus nos vrgebit si obiicias quod duo corpora de potentia Dei possunt esse in eodem loco, in quo casu idem locus totaliter & adæquatè à quolibet corpore repleretur. Sed omissa solutione nostrorum Scotistarum recentiorum, nimirum quod vnum corpus esset in loco circumscriptiuè, alterum definitiuè, nam est contra Scotum in 4. quæst. 2. & quodlibet ij littera. m. asserentem vtrumque corpus esse definitiuè in loco, vt dixi. 4. Physic. Respondeo quod in tali casu esset duplex vbi, passiuum, & duplex continentia, nam non repugnat quod idem fundamentum habeat duas relationes ad duos terminos totales.

Dices, ergo non repugnabit quod natura humana fundet plures vniones quæ sunt relationes ad diuersas personas, ac per consequens quod plures personæ terminent eandem numero naturam. Respondeo cum Scoto in 3. dist. 1. quæst. 2. §. *ad quæst.* ante literam. b. quod hoc repugnat respectu relationum dependentiæ essentialis. Secundò obiicies, duæ causæ instrumentales præcipuè morales possunt producere eundem numero effectum, vt contingit quando duo sacerdotes consecrant eandem numero hostiam; ergo similiter in nostro casu. Respondeo negando antecedens si instrumēta sint Physica, si vero sint moralia vt in adducto exemplo, nam non producunt effectum immediatè, sed mediate mouendo & trahendo causam Physicam, & principalem vt effectum producat.

Tertiò obiic. Vasq. & Hurtado personalitates diuinæ in natura diuina non se excludunt, ergo neque in natura creata. Respondeo discrimen esse primò, quia natura diuina est infinita, & ita omnes exigit. Secundò personalitates diuinæ non tribuunt naturæ diuinæ subsistere, quia illa à se subsistit, sed tantum personis quæ inter se sunt realiter distinctæ; at vero naturæ creatæ personalitates, tribuūt subsistere, & idem nequit à pluribus totalibus dari. Quartò obiicies natura creata est æque terminabilis à patre ac à filio, si ergò simul agant, vtraque terminabit, nam non est maior ratio vnius quàm alterius. Respondeo quod casus iste impossibilis est, & ita non potest à Deo intendi.

DIFFICVLTAS QVARTA.

Vtrum vna persona diuina possit assumere plures naturas.

CONCORS sententia Theologorum est cum sancto Thoma 3. parte, quæst. 6. art. 7. Scoto in 3. dist. 1. quæst. 3. posse vnam diuinam personam assumere plures naturas siue sint numero, siue specie distinctæ; tum quia ad plures actiones assumendi, in Deo est sufficiens virtus, tum etiam quia virtus ad suppositandum naturam creatam non extinguitur terminatione vnius aut alterius naturæ; neque ex parte naturæ assumptibilis repugnat, ergo. Dices quod possunt esse naturæ contrariæ quæ nequeunt esse simul. Respondeo verum esse non posse esse in eadem materia, secus verò in eodem supposito.

Petes primò, si assumeret Verbum (verbi gratia) naturas Angelicam & humanam, esset communicatio idiomatum inter has naturas, ita quod homo dicatur Angelus, & è contra An-

gelus homo, & natura Angelica incarnata & humana Angelizata? Caiet. & Medina negant, quia licet istæ naturæ essent Verbo vnitę, non tamen inter se. Sed contra, quia etiam albedo & dulcedo non sunt inter se vnitæ sed in lacte, & tamen dicitur album est dulce. Propter quod magis placet oppositum cum sancto Thoma in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 3. Et cum Suarez ad artic. 7. Ratio est quia vtraque natura esset sibi inuicem hypostaticè vnita in eadem persona, ergo sicut dicitur in mysterio Incarnationis homo est Deus & Deus est homo, ratione vnionis, ita diceretur in isto casu, homo est Angelus.

Probatur Syllogismo expositorio, Verbũ est hic homo, Verbũ est hic Angelus, ergo hic Angelus est hic homo.

Obiic. Medina ex hoc sequi duo contradictoria simul vera, nam si homo moreretur, Angelus diceretur viuus & mortuus. Respondeo non esse contradictoria, nam secundum diuersas naturas verificaretur vtrumque prædicatum contrariè oppositum, non tamen diceretur, Angelus non est mortuus, sicut in triduo Christus qui erat mortuus secundum naturam humanam, & viuus secundum diuinam non verificabatur ista propositio, non est mortuus, nam negatio totum destruit, de quo in fine huius tractatus.

Sed est dubium, an in casu quo Verbum assumeret plures humanitates, an diceretur vnus homo an plures? Prima sententia est Ricardi, Durandi & Caiet. dicentium quod in tali casu non esset dicendus neque vnus homo simpliciter, neque plures homines simpliciter; Ratio est quia concretum significat ex æquo tam suppositum quam formam, & idem dicunt in casu quo tres personæ diuinæ assumerent eandem numero naturam. Sed reiicitur, quia in tali casu illa persona esset simpliciter ens, ergo & simpliciter homo, vel in secundo casu esset simpliciter plures homines. 2. Ergo neque simpliciter est vnus Deus cum sint tres personæ. Respondet Caietanus quod dicitur vnus Deus, quia dicitur vnum subsistens absolutum, & indiuiduum Deitatis. Sed contra, quia hoc est in opinione positum, & quod non sint plures Dij, sed vnus, est de fide.

Secunda sententia dicit quod esset vnus homo propter vnitatem personæ. Ita Gabriel idem tenent Suarez disp. 13. sect. 3. Ragusa disp. 55. Montess. licet diuerso fundamento, nam alij recentiores dicunt, quod si tres personæ diuinæ assumerent eandem numero naturam humanam, etiam diceretur vnus homo, ita Suarez sect. 2. Ragusa disp. 54. Gab. verò vniformiter loquiquitur dicens esse tres homines. Sed reiiciuntur 1. Recentiores quia non loquuntur consequenter, 2. reiicitur Gab. quia sequeretur quod dicamus esse plures Deos propter pluralitatem personarum. 3. Vtraque sententia exploditur, nam non esset concedendum, Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti, seu vnus spirator, nam subsistens, quod connotat hoc nomen *principium* respectu Spiritus sancti, & hoc nomen *Spirator*, sunt duæ personæ, scilicet Pater & Filius, vt dixi tractatu de Trinitate.

Communiter Scolastici conueniunt, quod si nomen concretum sit substantiuum de prædicamento substantiæ (verbi gratia) Deus homo, &c. vnitas illius sumenda est ex forma; si verò sit concretum adiectiuum, siue substantiuum de prædicamento accidentis, vnitas sumenda est ex supposito vel habente formam; vnde si tres Personæ assumerent eandem numero naturam

humanam, dicerentur vnus homo. Ita Scotus in 1. dist. 12 quæst. 1 §. *iuxta quæst. istam*, & in 3. dist. 1. quæst. 3. sanctus Thom. 1. parte, quæst. 59. art. 3. & 3. parte, quæst. 3. art. 6. Ratio differentiæ est, quia substantiua de prædicamento substantiæ significant formam per modum per se stantis, & ita nomen numerale, vt ait Scotus in primo citato, appositum illi, ponit suum signatum iuxta exigentiam formæ, quia se ipsa terminant, & non terminantur ab alio vt adiectiuum: at verò adiectiua & substantiua de prædicamento accidentis, significant formam per modum alteri adiacentis, & sic ponunt significationem iuxta exigentiam suppositi, vel subiecti cui adiacet; & ideò si in vno homine sint plures scientiæ, vel habeat plures filios, dicitur vnus sciens, & vnus Pater: similiter in concretis substantiuis & adiectiuis de prædicamento accidentis, pluralitas sumitur ex suppositis vel subiectis; propter quod dixi tractatu de Trinitate, quod in Diuinis dicuntur tres Creantes, & duo Spirantes, etiam si forma à qua dicuntur Creantes, vel Spirantes, sit vnica & indiuisibilis.

Difficultas est inter auctores, vnde sumatur pluralitas in concretis substantiuis de prædicamento substantiæ? sanctus Thomas 3. parte quæst. 3. art, 7. Caiet. ibi Suarez sect. 2. citata, Ragusa disp. 54. dicunt pluralitatem non solum ex pluralitate formarum, sed etiam suppositorum sumendam esse, vnde si vna persona assumeret plures humanitates, diceretur vnus homo. Idem docet Faber in 1. disp. 41. c. 4. & in 3. in disp. 5. citata. Scotus in 1. dist 12. citata, & in 3. dist 1. quæst. 3. vbi illum citant Rada & Cauellus, & in 3. dist. 6. quæst. 1. *ad primum principale*, & quodliber 11. art. 3. litera H. sed fallitur Faber, nam Scotus in 3. & in quodlibet. loquitur de cōcretis, vt sciens & simile. Fallūtur etiam Cauellus & Rada, nam Scotus in 3. dist. 1. quæst. 3. quamuis non soluat hanc difficultatem, impugnat tamen Diuum Thomam & remittit se ad primam sententiam, dist. 12. vbi Scotus docet, quod Pater & Filius dicendi sunt vnus spirator, respectu Spiritus sancti, & quamuis hæc non sit nostra præsens difficultas, neque eam expresse soluat, tamen ex eius principiis soluitur.

Dico ergo concreta substantiua de prædicamento substantiæ, sicut à forma recipiunt vnitatem, ita & pluralitatem, nam contrariorum eadem est ratio, sed vnitas sumitur à forma, ergo & pluralitas, eodem argumento quo Scotus probat vnitatem, probat etiam pluralitatem. Hanc sententiam tenent Scotistæ recentiores, itaque si tres personæ assumerent vnam humanitatem dicerentur vnus homo tenent Suarez & Ragusa Montes. citati Vasq. 1. p. disp. 155. cap. 5. Becanus cap. 4. quæst. 3. art. 3. art. 3. Hurtado disp. 3. dist. 6. & 7. quantum ad hoc probatur ratione Scoti in 1. dist. 12. quæst. 1. §. *iuxta istam quæst.* omne dependens dependet ad aliquid omninò independens, sed adiectiua dependent ad substantiuum tanquam ad omninò independens, ergo nomina *vnus*, *vna vnum duo*, *tres & tria*, quæ adiectiua sunt, dependent in nostro casu à substantiuo *humanitas*; sed si hæc est vna, ergo vnus tantum erit homo; & si fuerint tres erunt tres homines, de hoc latè dixi tractatu de Trinitate. Et confirmatur, quia duæ naturæ in Christo tribuunt ei, quod denominetur Deus & homo, & si Verbum assumeret naturas Angelicam & humanam, diceretur homo & Angelus; ergo si assumeret plures humanitates diceretur plures homines.

Obiicir

Obiicit Suarez, humanitas assumpta se habet quasi vestis respectu diuinæ personæ, sed qui duabus vestibus induitur non dicitur duo vestiti, sed vnus vestitus, ergo Verbum assumens duas humanitates diceretur vnus homo. Respond. quod nomen *vestitus* est adiectiuum, & non substantiuum, sicut *humanitas*, ac per consequens exemplum non est ad rem.

Obiicit secundò, nam ex nostra sententia sequuntur duo, primum quod Pater in diuinis non diceretur vnum principium ad intra, sed plures, nam producit per diuersas formas, intellectum scilicet & voluntatem; secundum quod Christus non sit vnus, sed plura neutraliter, nam habet duas formas diuinitatem & humanitatem.

Ad primum respondeo primò, quod ad multiplicitatem requiritur distinctio realis, at intellectus & voluntas tantum formaliter distinguntur, & ita sunt vnum tantum principium. Vel 2. dicamus, quod principium genericè est vnũ, & ita dicitur vnum principium.

Ad secundum respondeo negandum sequelam, nam vt diceretur Christus duo, debebant naturæ de Christo prædicari in recto, Christus est diuinitas, Christus est humanitas; cum ergo istæ sint falsæ, falsum etiam est, quod dicatur duo in recto, in obliquo tamen rectè dicitur Christus habet duas naturas, Christus cõstat ex duabus naturis.

Obiicit tertiò Durandus, concretum significat, tàm suppositum, quam naturam, ergo ab vtroque sumitur denominatio. Respondeo quod in recto significat naturam, & pro connotato suppositum, & denominatio sumitur à per se significato, de quo latè dixi tractatu de Trinitate, vbi contra Vasq. & Lorcam notaui non esse idem significationem & suppositionem.

Obiic. 4. Scotum in 3. dist. 7. quæst. 1. §. *videndum*, vbi ait, quod homo prædicatur de Deo sicut accidens, ergo vt adiectiuum, ergo si suppositum sit vnum, etiam si sint plures humanitates, diceretur vnus homo; nam ita prædicantur adiectiua, vt dixi. Et confirmatur, quia cum humanitates sint dependentes ad personam diuinam, habent modum adiectiuorum; & personalitas modum substantiui, vt colligitur ex ratione Scoti, qua probauimus nostram conclusionem. Respondeo quod Scotus tantum vult, quod homo se habeat sicut accidens prædicabile respectu Dei, cum possit Deus esse sine humanitate vnita; non tamen quod habeat modum prædicandi adiectiuorum, cum sit substantia. Ad confirmationem dico, quod humanitas est dependens à personalitate, quantum ad hoc quod est personari, non tamen quantũ ad significationem & denominationẽ nominis numeralis & adiectiui.

DIFFICVLTAS QVINTA.

Vtrum persona vel suppositum addat supra naturam singularem aliquid positiuum.

NOTA primò, quod hæc tria subsistens, suppositum, & persona se habent sicut superius & inferius, nam benè valet, est persona, ergo suppositum; est suppositum, ergo subsistens, non tamen è contra, nam natura diuina est subsistens, nõ tamen est suppositum, neque persona, & equus est suppositum non tamen persona. Subsistens dicimus, quod est independens ab alio tanquam à sustentante, vt diuina essentia: suppositum est natura substantialis incommunicabiliter existens, vt equus, leo, &c. persona addit vltra hoc quod sit natura intellectualis, vt Deus, Angelus, homo, quam personam definit Boetius libro de duabus

naturis sic, *est rationalis naturæ individua substantia*, quam definitionem probant recētiores cumS. Thoma. Scotus vero in primo dist.23.§.*ad quæst.* neque approbat, neq; reprobat, tātum ait corrigendam esse per alteram definitionem à Ricardo 4. de Trinitate parte 22. traditam, scilicet *persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia*, id est *subsistentia*, quam definitionem explicui tractatu de Trinitate, tantummodo explicandum est ly *incommunicabilis*.

Pro quo noto secundò, quod communicabilitas seu dependentia, quod idem est, & opponitur incommunicabilitati seu independentiæ, est duplex; vna est, qua aliquid communicatur, *vt quo*, & est quando communicatur vt forma, vel vt pars; vt anima corpori, & brachium suo toti integrali: incōmunicabile, *vt quo*, est quando neque vt forma neque, vt pars cōmunicatur. Alterum est communicabile, *vt quod*, & est quod communicatur alteri per identitatem, vt quando natura superior, inferiori communicatur, vt animal homini, vel essentia diuina personis; incommunicabile, *vt quod* est, quod ita non communicatur, neque vt superius inferiori, neque vt essentia diuina personis; quæ communicabilitas est triplex, actualis, aptitudinalis, & potentialis; actualis, quæ actualiter communicatur; & aptitudinalis quæ habet aptitudinem; potentialis quæ habet potentiam: incommuuicabilitas verò actualis, aptitudinalis, & potentialis, & è contrario, quæ habet repugnantiam. Prima & secunda incommunicabilitas conueniunt personæ creatæ, tertia verò tantum personæ diuinæ, nam naturæ diuinæ personatæ repugnat, quod ab alia persona aliena terminetur; at verò humanitas personata licet non dicat inclinationem ad alienum suppositum, non tamen dicit repugnantiam, in quo distinguitur incommunicabilitas aptitudinalis à potentiali.

Vltimò noto, quod hîc non est difficultas de formali significato huius concreti *persona seu suppositum*, de quo dixi tractatu de Trinitate, sed de illo materiali quod additur supra naturam singularem, vtrum sit aliquid positiuum, vel duplex illa negatio communicabilitatis.

Prima sententia est Durandi in 1. dist. 34. quæst. 1. dicentis naturam & personalitatem solum per intellectum distingui, ac per consequens, personam, nihil reale addere supra naturam. Ita videtur sentire Aristoteles cap. de substantia & 4. Metaph. sed communiter reiicitur, nam sequeretur Verbum diuinum assumpsisse naturam personatam, ac per consequens, quod in Christo essent duæ personæ, quod est hæreticum, vt vidimus cap. 5. difficult. 2. Ad Aristotelem respondeo 1. quod fortè non cognouit talem distinctionem, & à nobis per fidem fuit cognita; vel respondeo 2. quod tantum ex illo colligitur, quod tales negationes naturaliter sequuntur ad naturam singularem, non tamen quod non distinguantur.

Secunda sententia, quæ communis est inter Thomistas docet personam addere supra naturam singularem aliquid positiuum, differunt in explicando quodnam sit tale positiuum.

Heruæus quodlibet. 3. quæst. 6 & Iauellus 2. Metaph. cap. 17. dicunt esse propria accidētia naturæ quibus indiuiduatur. Sed reiiciuntur, quia in humanitate Christi manserunt omnia accidentia propria naturæ, & tamen non mansit personalitas propria. Paludanus in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 3. & Ægidius, dicunt illud positiuum esse existentiam. Sed reiiciuntur, nam existen-

tia non distinguitur realiter à natura, personalitas fuit separata ab humanitate Christi, ergo non consistit in existentia. Caiet. Medina, Cabrera, Suar. in Metaph. disp. 34. sect. 4. Vasq. disp. 31. cap. 6. Lorca disp. 28. membro 2. Ragusa disp. 57. & communiter, dicunt esse subsistentiam seu entitatem quandam substantialem, additam naturæ: differunt tamen hi auctores, nam Bannes, Cabrera, Aluarez, dicunt esse rem, cæteri verò esse modum: sed siue sit res, siue modus, hoc iudicat Scotus probabile in 3. dist. 1. quæst. 1. §. *ideo propter istum*, quem sequuntur Pytigianus ibi art. 11. & 12. Rada 3. p arte contro. 1. art. 1. & amplectuntur vt veram Liquetus cum Scoto, & in primo, distinct. 28. quæst. 2. Idem Rada prima parte contr. 22.

Hæc sententia probatur primò, nam si personalitas consisteret in negationibus, sequeretur, quod natura personata propria personalitate, posset personari personalitate Verbi, sicut diximus quod aër priuatus luce potest illuminari; Probatur, nam sicut aër tenebrosus, nihil aliud est quam aër cum negatione lucis, ita natura personata nihil aliud est, quàm natura cum negatione dependentiæ ab alio.

Sed quia hanc sententiam tantum vt probabilem deffendo, respondeo disparitatem esse, nam aër tenebrosus sumitur in sensu diuiso, id est potest illuminari depulsis tenebris; at verò natura personata sumitur in sensu composito, scilicet cum negationibus: si verò sumatur in sensu diuiso, id est seclusis negationibus, optimè poterit natura personari ab alieno supposito. At si quæras cur dicitur aër tenebrosus potest illuminari, & non dicitur natura cum negationibus potest dependere? Respondeo, quia tenebræ sunt extrinsecæ aëri, at verò negationes sunt naturæ intrinsecæ.

Secundò probatur, quia si personalitas in negatione consisteret, Patres arguentes contra Nestorium, dicentem Verbum assumpsisse naturam personatam, impugnarent affirmantes personam esse inassumptibilem, ergo sentiebant Patres consistere in positiuo.

Rursus non verificatur quid Patres dicebant contra Nestorium, scilicet Verbum aliquid assumpsisse, nimirum humanitatem, & aliquid non assumpsisse scilicet personalitatem. Respondeo ad primum, quod hoc argumentum etiam habebat vim in quacumque sententia, cum personalitas in quacumque sententia, dicat illas negationes quæ inassumptibiles sunt; sicut etiam inassumptibile est illud positiuum; Respondeo ergo quod Patres hoc non obiiciebant contra Nestorium, quia hic dicebat vnionem tantum esse per affectum & non hypostaticam; & ita argumentum contra ipsum non habebat vim. Ad aliud respondeo quod Patres solum intendebant contra Nestorium vnionem non esse per affectum, & ita dicebant quod Verbum personam non assumpsit, ad quod nihil interest, quod in positiuo vel negatiuo consistat.

Probatur tertiò, negatio non competit alicui immediatè, sed ratione alicuius positiui, ergo ante negationem debet dari aliquid positiuum in quo consistat personalitas. Respondeo distinguendo antecedens, si sit negatio repugnantiæ quam habet persona diuina, vel quam habet indiuiduum ad hoc quod non diuidatur in plura concedo antecedens, cum doctore. S. in 2. dist. 3. quæ 2. si verò sit negatio actualis & aptitudinalis, vt est quæ constituit personam creatam, nego antecedens, nam sufficit propositiuo ipsa natura singularis.

Dices, ergo natura singularis creata nequit assumi à diuino Verbo; Probatur, nam talis natura secluso quocumque positiuo supra addito, apta nata est non communicari alieno supposito. Respondeo negando sequelam, nam solum sequitur quod talis natura singularis à Verbo assumpta adhuc maneat, cum naturali aptitudine & inclinatione, non essendi in Verbo, vel altero alieno supposito, sicut si personalitas consistit in positiuo, natura à Verbo assumpta, dicit inclinationem ad illud positiuum proprium, secundum Auctores huius secundæ sententiæ.

Dices secundò, quod natura humana in Verbo non caret totaliter propria personalitate, siquidem habet negationem aptitudinalem communicationis ad alterum suppositum, vt ait Scotus littera, h. quæ est vna ex negationibus in quibus personalitas consistit. Respondeo negando sequelam, ratio est quia propria personalitas consistit indiuisibiliter in illa duplici negatione, & quacumque ablata, aufertur à natura propria personalitas.

Quartò probatur, persona diuina consistit in positiuo, ergo & creatas patet, cum hæc sit participatio diuinæ. Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam, nam talis participatio solum est per analogiam; & ratio differentiæ est, quia personalitates diuinæ multiplicant personas diuinas, & sunt productiones earum, & ita debent esse entia positiua, quibus sequitur repugnantia communicationis, quod non inuenitur in personalitate creata.

Dices, persona dicitur vniuocè de creata & increata, ergo vtraque in positiuo consistit, nam de negatiuo & positiuo non dicitur aliquid commune vniuocum. Respondeo cum Scoto in 3. dist. 1. quæst. 1. litera, g. concedendo antecedens, loquendo de ratione incommunicabilitatis, quæ est quid negatiuum, quod pro formali dicit personalitas, vt dixi tractatu de Trinitate, non vero de ratione materiali & positiua, quam dicit personalitas diuina scilicet relationem.

Quintò probatur, persona creata est prima substantia, & consequenter vnum per se substantiale, ergo non consistit in negatiuo. Respondeo distinguendo antecedens, quantum ad illud quod est vnum per se substantiale, pro materiali concedo, hoc est pro natura singulari, pro formali nego. Sed contra, ergo persona creata sumpta pro materiali & formali non est vnum per se. Respondeo concedendo, quod in hac sententia non reputatur inconueniens, nam sufficit quod pro materiali, scilicet natura sit vnum per se.

Tertia sententia dicit personalitatem addere supra naturam singularem aliquid negatiuum, quæ diuersimode explicatur. Enricus quodlibeto 5. qu. 8. docet consistere tantum in incommunicabilitate, *vt quod*. Sed contra, quia formæ substantiales & accidentales & materia prima essent supposita, cum habeant talem incommunicabilitatem. Ioannes de Neapoli relatus à Caietano, dicit esse incommunicabilitatē, *vt quod*, & *vt quo* actualem tantum. Sed reiicitur à Scoto, nam sequeretur animam separatam, & accidentia Eucharistiæ esse personas, nam actualiter neque, *vt quo*, neque, *vt quod* communicantur. Quidam ex nostris dicit probabiliter solùm addere vnicam incommunicabilitatem, *vt quo* actualem & aptitudinalem, nam ait quod incommunicabilitas, *vt quod*, oritur à differentia indiuiduali quæ præsupponitur ad personalitatem, nam talem incom-

municabilitatem, *vt quod* habet humanitas Christi in Verbo. Nam est inseparabilis à natura indiuidua, ergò non constituit personam.

Sed contra, nam licet negatio communicationis, *vt quod* permaneat non permanente personalitate propria, & sic non opponatur alienę personalitati, tamen hoc non tollit quominus vtraque negatio per se pertineat ad rationem formalem creatæ personalitatis; Nam sicut negatio communicationis, *vt quod* non constituit personam absque negatione communicationis, *vt quo*, ita neque ista negatio absque illa, vnde vtraque pertinet per se indiuisibiliter ad rationem personæ, quamuis completiuè pertineat negatio communicationis *vt quo*.

Obiic. Recentior, quod Scotus hanc sententiam vocauit probabilem. Respondeo me non inuenisse talem probabilitatem in Scoto, potius in 3. citato §. *per hoc ad argumenta*, ait *incommunicabile quod pertinet ad rationem personæ, excludit duplicem communicabilitatem, videlicet communicabilis, vt quod & vt quo*, vbi vtramque requirit: fateor quod ponere vnam negationem, *vt quo* aptitudinalem & actualem, est satis probabile mihi, & gauderem in Scoto inuenire.

Scotus in tertio citato, & dist. 6. quæst. 1. & quodlibeto 19. art. 3. defendit probabiliter, & ad hoc magis inclinatur, quòd personalitas addat duplicem negationem *vt quo*, *& quod*, actualem & aptitudinalem tenent Tartaretus, Ouandus art. 3. dub. 2. Faber dis. 1. cap. 3. Pitigianus, Maior, Bassolis, Ochã, Rada in 3. Molina prima parte quæst. 29. art. 1. disp. 3. Probatur primò hæc sententia, nam si personalitas est aliquid positiuum, ergo aliquid daretur inassumptibile à Verbo, ac per consequens illud non esset sub obedientia Dei, neque curabile à peccato, nam secundum Damasc. lib. 3. de fide cap. 6. quod non est assumptibile, non est curabile. Respondeo non esse inconueniens quod aliquid non sit in hoc sensu sub obedientia Dei; nam albedo nõ est sub obediẽtia vt fiat nigredo. Damascenus arguebat contra hęreticos dicentes Verbum tantum assumpsisse corpus, non animam, & ait, quod si animam non assumpsit, ergo neque curauit; non verò loquitur de personalitate, quæ neque est capax curationis, nec infirmitatis, nisi ratione naturæ.

Secundò probatur. Entitas positiua nequit de nouo sine actione produci, sed si Verbũ dimitteret humanitatem, maneret persona, ergo sine aliquo positiuo, cum non sit à quo producatur illud positiuum. Respond. quod in tali casu illud positiuum pullularet à natura, sicut dimanat frigiditas in aqua ablato calore, & sicut per diuisionem continui pullulant indiuisibilia.

Tertiò probatur, nam sequeretur Christum non esse perfectum hominem, cum illi deficeret talis entitas positiua; neque Christus esset per omnia similis, absque peccato, aliis hominibus, quod est contra Paulum. Respondeo quod etiamsi personalitas sit aliquid negatiuum, adhuc Christus non esset in hoc nobis similis, quia nõ haberet tales negationes sicut nos, sed ex Verbi personalitate. Rursus perfectio hominis tantum sumitur à materia & forma, quæ in Christo essent sicut in nobis, & ita esset perfectus homo.

Quartò probatur, nam sequeretur posse Deum conseruare humanitatem sine personalitate propria, siue aliena; nam posset non concurrere ad emanationem huius positiui. Respondeo 1. cum Lorca disp. 29. Aluarez quæst. 4. art. 6. Hurtado concedendo sequelam, & ita in hac sententia non sunt

contradictoriè opposita, sed contrariè; *esse per se*, & *esse in alio*, nam inter illa datur medium, scilicet negatio vtriusque extremi. Secundò respondeo cum Suarez disp. 8. sect. 3. Vasquez disp. 34. num. 35. quod sicut Deus non potest impedire resultantiam punctorum terminatiuorum, quando diuiditur continuum; vel resultantiam relationis intrinsecè aduenientis positis extremis; Ita neque emanationem personalitatis positiuæ.

Quæres an hoc positiuum sit accidens, vel substantia, modus vel res? Respondeo esse modum substantialem aduenientem naturæ iam existenti, & realiter distinctum ab ipsa natura; Itaque hic modus non est prior quàm existentia, vt existimant Caiet. Medina, & Aluarez, sed posterior, vt dicitur communiter; Nam existentia non distinguitur realiter à natura, secus hæc subsistentia, vel modus, quæ subsistentia producitur efficienter, & fortè immediatè à causa producente naturam, vt docet Medina, Cabrera, Vasq. cap. 4. contra Suarez citatum dicentem personalitatem efficienter produci à natura, nam ab illa resultat tanquam per emanationem, & non est in rigore efficientia.

DIFFICVLTAS SEXTA.

Vtrum subsistentia sit simplex vel composita.

DIFFICVLTAS est de subsistentia totius quod componitur ex materia & forma, vt homo, equus, &c. & tantum habet locum in opinione asserente subsistentiam esse aliquid positiuum, in qua quæritur, vtrum talis subsistentia componantur ex partialibus subsistentiis materiæ & formæ, sicut componitur ex partialibus essentiis & existentiis materiæ & formæ: Itaque quæritur vtrum dentur partiales subsistentiæ: prima sententia est Suarez disp. 34 Metaph. sect. 5. dicentis subsistentiam totius esse compositam ex partialibus subsistentiis, quas concedit habere partes adhuc in toto, solum addit, quod formæ materiales, & modi substantiales cum non possint existere separati, non debent propriè vocari subsistentes. Hurtado, disputatione quarta difficult. 11. partibus integrantibus concedit partiales subsistentias. Secunda sententia cuiusdam ex nostris docet, quòd licet partes non habeant partiales subsistentias quando sunt in toto, sed subsistant subsistentia totius, tamen quando sunt separatæ, docet habere partiales subsistentias.

Tertia & verior sententia, docet subsistentiam esse simplicem, ac per consequens, non dari partiales subsistentias, sed partes subsistere subsistentia totius. Est Scoti quodlibet quæst. §. *de* 2. littera, a. Trombetæ, Vallonis, in formalitatibus mihi fol. 3. Molinæ 3. part. quæst. 29. art. 2. disp. 3. Vasq. disp. 32. Lorcæ disp. 29. Probatur primò ex Scoto citato, *subsistens est quod est in vltima actualitate, & non ordinatur ad aliquem actum simpliciter vltrà istum quem habet*; sed partes compositi ordinantur ad compositum; ergo per se non habent subsistentiam, sed subsistentia totius subsistunt; Et confirmatur, nam de ratione subsistentiæ est quod sit vltimus actus (adhuc secundum Suarez) & terminus subsistentiæ existentis; Ita vt sit natura per se, & dicat negationem actualem & aptitudinalem, existendi in alio, non tantum tanquam in subiecto inhæsionis (nam hoc habet quælibet substantia) sed tanquam in supposito, seu termino existentiæ; sed hoc non habent partes in toto, nec separatæ, sed potius oppositum, er-

go non ſubſiſtunt.

Secundò probatur, contra Suarez, nam ſi partes habent partiales ſubſiſtentias in toto, & etiam pendentà ſubſiſtentia totius, inquiro, vel per ſubſiſtentiam totius ſunt in alio, vel per ſe: ſi primum, ergò ſunt per ſe per proprias ſubſiſtentias, & ſimul ſunt in alio per ſubſiſtentiam totius, quod eſt impoſſibile: ſi ſecundum, ergo vnus modus per ſe modificatur per alium modum per ſe, & partes eſſent per ſe duplici perſeitate, ac per conſequens eſſent magis ſubſiſtentes quam totum, quod videtur inconueniens.

Tertiò ad hominẽ arguo contra Suarez, nam ſecundum ipſum diſp. 14. ſect. 1. de potentia abſoluta materia & forma poſſunt habere proprias ſubſiſtentias, & ſimul humanitas quæ ex illis reſultat, poterit aſſumi à Verbo, ac per conſequens haberet ſubſiſtentiam Verbi, ergo propria ſubſiſtentia non excludit hoc quod eſt eſſe in ſuppoſito alieno, ac per conſequens materia & forma Chriſti, etamſi ſint in ſuppoſito Verbi, haberent proprias ſubſiſtentias, quod neque Suarez, neque alius concedet.

Quartò probatur, partes componentes aliquod totum, tribuunt illi ſuas denominationes; ergo cum partes ſint communicabiles, ſaltem *vt quo*, totum denominabitur communicabile, ſicut homo vocatur rationalis ab anima rationali; at totum eſt incommunicabile, *vt quo & vt quod*, ergo non habet hoc à partibus, ſed potius partes hoc habent à toto ſecundum capacitatem earum. Et confirmatur, quia non inuenitur quomodo vniantur iſtæ ſubſiſtentiæ partiales inter ſe; non vt actus & potentia, quia ſubſiſtentia eſt vltima actualitas, quæ per aliam actuari non poteſt; neque medio indiuiſibili, vt patet, neque vt res & modus, nam quælibet ſubſiſtentia eſt modus, & vnus modus non modificatur ab alio. Reſpondebis quod vniuntur, ſicut exiſtentiæ partiales materiæ & formæ, quæ faciunt vnam exiſtentiam totalem. Sed contra, quia exiſtentiæ non diſtinguũtur realiter à rebus quarũ ſunt exiſtentiæ, & ita ſi materia eſt potentia, & eius exiſtentia etiam eſt potentia, propter quod vniuntur ſicut materia & forma, à quibus tantum formaliter & non realiter diſtinguntur; at verò ſubſiſtentiæ cum ſint modi, & realiter diſtincti, nullo modo poſſunt vniri inter ſe.

Obiicit prima ſententia, per ſubſiſtentiam totius materialis ſubſiſtunt partes immediatè, ergo talis ſubſiſtentia eſt extenſa, & compoſita, & non ſimplex. Reſpondeo conceſſo antecedente, negando conſequentiam; nam anima rationalis informat corpus extenſum, & tamen in ſe indiuiſibilis eſt, & inextenſa, ſimplex, & non compoſita; per accidens tamen, & extrinſecè dicitur extenſa; ſic ſimiliter ſubſiſtentia totius materialis intrinſecè & in ſe eſt ſimplex, & inextenſa, licet extrinſecè, & ratione partium dicatur extenſa.

Secundò obiicit Verbum aſſumpſit humanitatem mediis partibus, ergo iſtæ partes habebant partiales ſubſtentias. Reſpondeo negando antecedens, potius eſt contra; nam Verbum aſſumpſit partes media humanitate; dicitur aſſumpſiſſe humanitatem mediis partibus, id eſt, non ſine partibus, de quo cap. 8. diſt. 2.

Tertiò obiic. quia ſi diuidatur aqua, duo ſubſiſtentia reſultant ex vno ſubſiſtente, ergo ſubſiſtentia totius erat compoſita ex partialibus ſubſiſtentiis. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, ratio eſt, non quia dentur ſubſiſtentiæ partiales,

sed quia per talem diuisionem partes amittunt esse partis, & fiunt tota, & ita deperditur prior subsistentia, & fiunt duæ, & dum sunt tota absolutè sunt incommunicabilia, nam si reuniantur, amittunt esse totius, & fiunt partes.

Secunda sententia obiicit, anima Christi, & corpus eius quando fuerunt diuisa in triduo, fuerunt Verbo vnita, vt docet fides, ergo ex eo est quod separata habebant proprias subsistentias. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequens, nam sufficit ad hoc, quod Verbum daret illis subsistentiam supplentem subsistentiam totius, quâ debebant subsistere, non tamen supplendo partiales subsistentias, quas negamus. Secundò obiic. anima separata est actualiter independens, *vt quo, & vt quod*, ergo licet aptitudinaliter dependeat à proprio supposito, non tollit vt habeat partialem subsistentiam, præcipuè cum habeat proprias operationes. Respondeo, quod ad rationem subsistentiæ non tantum sufficit actualis independentia, sed requiritur aptitudinalis, & cum istam non habeat anima separata, non subsistit, sed existit per se, quod sufficit ad operationes.

Dices, actiones sunt subsistentium, ergo si anima exercet actiones subsistit. Respondeo actiones esse subsistentium denominatiue, quando naturæ operantes habent subsistentiam, non quod ista sit requisita ad operandum, nam ad hoc sufficit singularis natura, propter quod Aristoteles dixit actiones sunt singularium.

Tertiò obiic. ideò negatur formis materialibus quod existant separatæ, quia non habent proprias subsistentias, ergo si anima existit separata, ex eo est, quod subsistit. Respondeo neg. antecedens; sed ideò illis negatur existere separatas, quia cum materiales sint, corrumpuntur quoties corrumpitur compositum, secus anima rationalis cum sit spiritus.

DIFFICVLTAS SEPTIMA

Vtrum persona creata possit terminare alienam naturam.

DIFFICVLTAS non est de assumptione in genere causæ efficientis de quo cap. 9. difficult. 1. sed determinatione, & quasi in genere causæ formalis. Circa quam est prima sententia negatiua; Ita sanctus Thomas 3 parte quæst. 3. art. 1. Suarez disp. 13. sect. 4. Vasq. disp. 25. Lorca disp. 13. Ragusa disp. 48. Hurtado disp. 3. diff. 8. secuti Durandum, & Paludanum. 2. sententia est affirmatiua tenet Ocham, Maior, Almainus, Bassolis, Becanus cap. 4. quæst. 5. vtramque sententiam noster Scotus in 3. dist. 1. quæst. 4. iudicat probabilem; eum sequitur Faber disp. 6. cap. 1. sed quia mihi mos est à problematibus abstinere, hanc sententiam 2. defendo, quia magis in illam inclinat Scotus, vt notāt Faber, Pytig. Ouādo, &c. quam probat Scotus quia in hoc nulla est repugnantia, quod ex solutione argumentorum probat.

Obiicit prima sententia, & primò Caietanus, quia si persona creata potest terminare alienam naturam, ergo infinitas; sed hoc est impossibile, quia terminare dicit perfectionem, ergo. Respondeo ex Scoto. §. *Respondeo* litera, a. quod neque terminare, neque posse terminare dicit perfectionem, alias Verbum in tempore acquireret aliquam perfectionem; & hoc constat, nam personalitas diuina, ratione sui & non ratione essentiæ, terminat humanitatem, & tamen personalitas non dicit perfectionem, vt dixi tractatu de Trinitate, ac per consequens, si essent

infinitæ

infinitæ naturæ, possent à supposito creato terminari, sicut vna albedo potest terminare infinitas relationes similitudinis.

Secundò obiiciunt Suarez & Hurtado, personalitas est modus naturæ, sed modus non modificat nisi rem cuius est modus, vt patet in sessione, & figura, ergo neque personalitas nisi propriam naturam. Respondeo 1. etiam secundum Suarez, personalitas diuina est modus naturæ diuinæ, licet inadæquatus, & potest terminare naturam alienam. Secund. respond. tantum probatur de modis accidentalibus, non verò de subsistentia quæ est substantialis, & ratio est, quia modi accidentales modificant intrinsecè, & inhærendo, & implicat idem accidens duobus subiectis simul inhærere, nam dependeret simul à duobus totaliter quod implicat, at verò subsistentia non dependet à natura, sed è contra, natura in esse subsistentiæ, dependet à subsistentia. Rursus subsistentia terminat intrinsecè propriam naturam, & extrinsecè alienam, vt patet in Verbo terminante humanitatem Christi, & istæ non repugnant inter se, nam vna terminatio est intrinseca, & altera extrinseca.

Tertiò obiic. Vasq. & Monte, nam si personalitas potest alienam naturam terminare, vel propria virtute vel aliena, non propria, nam deberet dari agens naturale à quo vniretur natura humana personalitati alienæ, quia cuicumque potentiæ naturali passiuæ debet naturalis potentia actiua correspondere, & tale agens non datur, sed potius miraculum est, quod natura terminetur aliena personalitate: neque secundò aliena virtute, quia vel talis virtus esset accidens, aut substantia; non accidens, nam talis vnio esset accidentalis, & non substantialis: non substantia, nam iam non terminaret personalitas, sed illa substantia. Respondeo quod personalitas virtute propria terminaret, neque ad hoc requiritur, quod detur agens naturale quod vniret naturam cum tali personalitate, ita vt suspenderet, ne natura propriâ subsistentiâ terminetur; nam sicut anima separata habet propriam virtutem ad informandum corpus, & tamen non datur agens naturale creatum, à quo fiat talis informatio, ita similiter in nostro casu.

Petes, si dicamus personalitatem consistere in duplici negatione, vt probabiliter deffendimus) difficultate 5. poterit ne defendi hæc sententia? Respondeo affirmatiuè cum Fabro citato Pytigiano q. 4. art. 2. quia in hoc nulla est repugnantia. Sed contra, dependentia quam dicit natura à supposito alieno, est positiua, ergo non adimpletur per negationem, sed debet habere terminum positiuum. Respondeo cum Scoto quodlibeto 19. litera q. quod in natura assumente sunt duo, & est terminare, & est terminare vltimate; primum tribuit natura assumentis, secundum tribuit duplex illa negatio: Addo quod si extrema negationis sint positiua, etiam si rationes formales terminandi sint negatiuæ, non obstat ad hoc quod sint verè & propriè relationes reales, sicut relationes diuersitatis primi generis, quæ fundantur in carentia vnitatis, quę est ratio formalis terminādi, & est quid negatiuum: Ita similiter in nostro casu, extrema sunt positiua, scilicet natura assumentis, & natura assumpta, licet personalitas, quæ est ratio formalis terminandi, sit negatio quâ natura terminans afficitur.

Dices secundò, si vtraque natura vnitur, quare magis impeditur negatio naturæ assumptæ, quàm naturæ assumentis? Respondeo primò quòd

Deus vellet quòd impediretur negatio naturæ assumptæ. Secundò & melius respondeo, quod propter hoc non possunt vniri duæ naturæ eiusdem speciei, sed diuersæ, vt Angeli & homines, & ita impedientur negationes naturæ imperfectioris, nam perfectius non dependet ab imperfectiori, sed è contra.

CAPVT SEPTIMVM.

De vnione ex parte naturæ assumptæ.

DIFFICVLTAS PRIMA.

An Verbum potuerit sibi vnire quamcumque naturam creatam.

SVB hac difficultate plura dubia explicanda sunt. Primum dubium erit de natura Angelica; & primò suppono contra Vuiclefum potuisse Verbum terminare quamcumque humanitatem. Albertus in 3. dist. 2. art. 2. ad tertium, dicit non potuisse Verbum naturam Angelicam terminare, sed contra ipsum stat omnis Schola. Colligitur ex ad Heb. 2. *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, vbi Apostolus supponit naturam Angelicam posse assumi, & ratio est, quia personalitas Angeli distinguitur realiter à natura Angelica, sicut nostra personalitas à nostra natura; ergo potuit Verbum terminare Angelicam, sicut & nostram.

Obiicit Albertus, ex Aristotele 7. Metaph. cap. 7. *in his quæ sunt per se, idem est quod quid est, & id cuius est*, ergo personalitas & natura in Angelis, non distinguuntur; & ita non potest illa natura assumi: Respondeo Aristotelem velle quod in substantiis definitio & definitum sint idem, non verò in accidentibus, cum definiantur per ordinem ad subiectum, quod realiter distinguitur ab accidente.

Secundò obiicit, Angelus est incorruptibilis, sed si Verbum assumeret naturam Angelicam, personalitas illius corrumperetur, quod est inconueniens; Respondeo primò quod si assumeretur in instanti in quo debebat resultare personalitas propria, non corrumperetur, sed non pullularet. Secundò respondeo quòd Angelus est incorruptibilis ab agente creato, non à Deo, vt docui tractatu de Angelis, vbi dixi congruentius fuisse aussmere humanitatem, quam naturam Angelicam, vt ita aliquo modo omnis natura assumeretur, cum homo conueniat cum omnibus. Secundò, vt Dæmon in natura quam vicerat vinceretur, &c.

SECVNDVM DVBIVM, *an potuerit sibi vnire naturam irrationalem.*

PROBABILITER negant Alensis, Diuus Bonauentura, Chartusianus, & Henricus. Nobis dicendum est cum Scoto in 3. dist. 2. quæst. 1. §. *ad secundum argumentum* sancto Thoma 3. parte quæst. 4. art. 1. ad primum, Suarez, Vas. Lorca Ragusa, &c. affirmatiuè. Probatur primò ex Tertulliano *de carne Christi* contra Marcionem cap. 4. *poterat si voluisset assumere corpus de Lupa, aut Vacca*. Idem habent Augustinus *de verà, & falsà religione* cap. 16. Nyssenus, &c. Et probatur; nam talis natura totalis habet propriam subsistentiam, ergo poterat loco illius substitui diuina. Secundò quia de facto in triduo fuit Verbum vnitum corpori, ergo potuit assumere aliam quamcumque naturam irrationalem; Res-

pond. quòd tale corpus ordinatur ad humanitatem, quæ est terminabilis à Verbo; sed contra, quia talis ordinatio nihil ponit in corpore vt terminabile sit, ergo sicut illud est assumptibile, etiam quodcumque aliud.

Obiicit prima sententia secundum Aristotelem quarto Metaph. *esse, propter operari est*, sed natura irrationalis nequit habere operationes diuinas, scilicet visionem & fruitionem; ergo nequit terminari à Verbo: Respondeo quod tantum probatur naturam irrationalem non posse eleuari ad tales operationes, non tamen probatur non posse eleuari ad esse suppositale.

Secundò obiicitur, qui non potest ad minus, non potest ad maius, sed magis est vniri hypostaticè quàm Deum videre; sed natura irrationalis nequit Deum videre, ergò neque hypostaticè vniri: Respondeo quod maior est vera inter ea quæ sunt einsdem ordinis, nō verò inter ea quæ sūt diuersi ordinis, nā licet homo non possit volare, potest tamē ratiocinari, quod est mai⁹.

Tertiò obiicitur, vnio hypostatica est vnio sanctificans, ergo nequit esse in natura incapaci vt est irrationalis: Respondeo quod in sententia Scoti antecedens est falsum, loquendo de sanctitate in ordine ad beatitudinem; benè tamen vnio est sanctitas, in ordine ad cultum, & reuerentiam; & ita talis natura irrationalis, latriâ adoraretur. Thomistæ aliter respondent dicendo, quod sanctitas est effectus secundarius vnionis qui impediri potest nam primarius est vnire: Quartò obiicit, quia hoc erit indecens Deo, scilicet quod vocetur Bos, Canis: Respondeo esse indecentiam negatiuam, scilicet non decentiam, non tamen positiuam, scilicet imperfectionem.

Petes, huic irrationali naturæ ex vi vnionis resultaretne aliquod nouum opus? Respondeo cum Monte. negatiuè, ita quod hoc esset necessarium, nam si aliquod opus nouum debebat esse, maximè miracula patrare, sed hoc non necessario sequitur ex vnione.

DVBIVM TERTIVM, *an potuerit Verbum immediatè terminare accidens.*

NEGANT Suarez disp. 14. sect. vlt. Vasq. disp. 30. cap. 5. Lorca disp. 27. Becanus dip. 5. Ragusa disp. 65. & quidam ex nostris. Sed affirmatiuè Resdondeo cum Almaino, Marsilio, Medina, Valentia quæst. 4. puncto primo, Aluarez quæst. 4. art. 1. Fabro disp. 6. cap. 2. Pytig. quæst. 1. art. 8. fundamentum est, quia ex Scoto in 3. dist. 1. quæst. 1. §. *de secundo dico*, & quodlibet. 19. art. 2. litera N. Accidens ad subiectum dicit duplicem respectum, primus est tanqnam sustentificati ad sustentificans, & hic respectus non dicit imperfectionem in sustentificante; alter est tanquam inhærentis ad id in quo inhæret, & id dicit imperfectionem in subiecto; ergo cum primus respectus non dicat imperfectionem, poterit Verbo conuenire: Secundò probatur, nam accidentia in Eucharistiâ sunt per se & secundum Thomistas, per modum positiuum, secundum Scotum in 4. dist. 12. quæst. 1. §. *ad argumenta*, & quæst. 5. & 6. per negationem inhærentiæ, ergo talem modum potest subsistentia Verbi supplere. Et confirmatur, quia humanitas assumpta à Verbo non informat Verbum, sed tantum extrinsecè terminatur ab illo, ergo accidens non inhærens Verbo poterit terminari extrinsecè à Verbo: Respondet Scotista quod sustentatio illa, & esse subiectum

inhæsionis sunt solùm formaliter distincta, & inseparabilia ; & cum Verbum non possit esse subiectum inhæsionis, ita neque sustentationis. Sed contra, nam isti duo respectus realiter distinguuntur, nam quamuis de facto non detur sustentatio siue inhærentia, tamen benè potest esse de possibili, sicut forma substantialis de facto non terminatur à proprio supposito, nisi informet materiam, tamen in triduo terminata fuit à Verbo, & tunc non informabat materiam.

Obiic. quia nihil est quod possit Verbum tribuere accidenti, ergo non posset illud terminare : Respondeo negando antecedens, nam sicut subiectum sustētificat accidens, licet cum inhæsione, hoc facit Verbum sine inhæsione, cum vnum realiter distinguatur ab alio : In quo casu Verbum denominaretur habens albedinem sicut in triduo habens animam.

DVBIVM QVARTVM; *Vtrum partes substantiales possint à Verbo terminari.*

SVPPONO quod omnes partes essentiales, vt materia, & forma ; & integrales, vt caput, manus Christi, fuerunt de facto immediatè assumptæ à diuino Verbo, & eadem assumptione qua totum fuit assumptum ; & ratio est, quia per subsistentiam totius, subsistunt partes, vt dixi cap. 6. difficult. 6. ergo cum subsistentia Verbi tribuat quidquid propria subsistentia debet tribuere, hinc est quod partes sint immediatè à Verbo assumptæ. Difficultas tantum est de assumptione partium distincta ab assumptione totius ; & potest esse difficultas de partibus extra totum existentibus, vel de partibus vt coniunctis toti ; & loquendo de partibus existentibus extra totum, conueniunt omnes Verbum posse assumere animam rationalem, & corpus, vt assumptæ fuerunt in triduo.

Difficultas est de aliis formis materialibus, & de materia prima Vasq. disput. 30. cap. 5. Lorca disput. 27. n. 15. Hurtado disp. 4. diff. 8. negant posse assumi à Verbo. Nobis dicēdū est posse assumi à diuino Verbo, supposito quod dari possit de potentia Dei materia sine forma, & forma sine materia, vt dixi primo Physic. Ita Suarez disp. 14. sect. 3. Becanus cap. 5. quæst. 4. Ragusa diput. 56. Probatur, nam licet verum sit has partes non habere partiales subsistentias, tamen possunt subsistere subsistentiâ totius, vt subsistunt quando sunt in toto, ergo nulla est implicatio, quod adhuc quando sunt separatæ Verbum tribuat illis suam subsistentiam loco subsistentiæ totius, ad quam partes dicunt inclinationem. Nam licet nulla pars substantialis sit capax subsistentiæ totius, nisi sit toti vnita, tamen capax est, vt terminetur ab alieno supposito, vt patet in corpore & anima Christi, neque fundamentum Vasq. &c. nempè quòd tales partes non habeant partiales subsistentias, aliquid valet; nam neque anima Christi, neque corpus habent proprias subsistentias, & in triduo assumpta fuerunt à Verbo.

Nobis aliud dubium potest esse de partibus prout componentibus totum; & loquendo de partibus tam integralibus, vt sunt caput, manus ; quàm essentialibus, vt sunt materia & forma. Suarez citatus & Aluarez disput. 22. dicunt posse assumi ; Hurtado fatetur de partibus integralibus, & negat de essentialibus. Fundamentum est, quia istæ partes habent partiales subsistentias, sed hoc iam reieci.

Nobis negandum est de vtrisque partibus, Ita Vasq. Lorca, Ragusa citatu & Cabrera disp. 4. Itaque non poterit verbum assumere vnam partem sine alia, neque partem sine toto, & probatur, subsistentia totius cum sit simplex consistit in indiuisibili, ergo nequit dare esse subsistens alicui parti, & non omnibus; ergo, vel dicendum est quod Verbum non potest supplere talem subsistentiam, vel quod eadem pars subsistit duplici subsistentiâ totali, vnâ totius, alterâ Verbi: quod est inconueniens.

2. Contra Suarez probatur, si subsistentia totius est composita, vt ipse fatetur, ergo in isto casu talis subsistentia simul componeretur ex subsistentia creata, & ex subsistentia Verbi, quod imperceptibile est quod materia & forma sint Deo vnitæ, & non humanitas.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Vtrum natura creata cum propria personalitate sit assumptibilis à Verbo.

SVPPONO Primo suppositalitatem non posse assumi à Verbo, quia est modus, & vltimus terminus naturæ creatæ; Suppono 2. naturam creatam personatam posse assumi destructa propria personalitate, sicut assumitur impediendo ne resultet propria personalitas. Difficultas est an natura creata cum propria personalitate possit assumi, ita quòd simul sit personata personalitate propriâ & diuinâ, nō tamen quod propria personalitas assumatur. Suarez disp. 14. sect. 1. refert aliquos affirmantes.

Nos tamen dicimus hoc esse impossibile. Ita Scotus in 3. dist. 1. quæst. 2 & quodlibeto 19. art. 3. ratio est quia in omni dependentia essentiali vnum dependens non potest à duobus dependere, vt dixi cap. 6. difficult. 3. in qua etiam sententia conueniunt Suarez citatus & Vasq. disp. 35. Hurtado disp. 4. difficult. 14. & reddunt rationem. Nam sequeretur eandem naturam esse per se, & non esse per se; esse per se, quia habet propriam personalitatem; non esse per se, quia est in alio: Et confirmatur ex Patribus, quia ex eo probant humanitatem Christi caruisse propria personalitate, quia fuit Verbo vnita, quod argumentum nihil valeret, si natura posset habere propriam & alienam personalitatem.

Sed contra, obiicies primo Concilia Ephesinum, & Toletanum primum sextum, & vndecimum in confessione fidei, & Patres Ambrosium, Augustinum, Damascenum &c. dicentes Verbum assumpsisse hominem, ergo humanitatem subsistentem: Respondeo Concilia & Patres sumere concretum pro abstracto; vel dicitur homo assumptus, non pro extremo assumptionis, sed pro termino; Nam assumptio terminata est ad hoc quod Verbum sit homo.

Dices quòd Lateranense sub Martino primo consultatione prima Can. 16. decernit quòd omnia dicta in quinque Conciliis generalibus, secundum proprietatem sunt intelligenda; sed vnum ex quinque est Ephesinum, & dicit hominem fuisse assumptum, ergo non debet sumi concretum pro abstracto, sed in toto rigore: Respondeo quod hæc proprietas, & iste rigor solùm est intelligendus, quantum ad ea quæ contra hæreticos definiuntur vel tractantur; & ibi non definiebatur an hypostaticè assumpserit abstractum vel concretum. Ex his reiicitur Lud. Viues dicens quod in toto rigore est vera hæc propositio, *Verbum assumpsit hominem*, & reprehendit Theologos,

quia illa non vtuntur, nam magis reprehenditur ipse, qui cum sit merè Grammaticus, falcem in messem alienam mittat. Rursus hanc propositionem reprobauit Felix Papa & Martyr, in decreto quod refertur inChalcedonensi actione 1. & alibi apud Lorcam disp. 30.

Obiicies 2. Si Verbum non assumpsit hominem, sed humanitatem, ergo Beata Virgo Maria non fuit Mater hominis Christi, quia tantùm genuit humanitatem, & non personalitatem Verbi. Rursus, nec fuit Mater Dei, quia non genuit vnionem quâ humanitas fuit Verbo vnita, nam non potest aliter esse Mater Dei, nisi quia sit mater eius qui sit Deus, solus autem homo Christus est Deus, non humanitas Christi. Respondeo ad hoc quod Virgo dicatur Mater Dei, & Christi hominis, sufficit genuisse humanitatem, Nam *esse genitum*, est prædicatum conueniens humanitati, & non excludens vnionem ad personam, & ita ex eo quod humanitas, quæ est tota natura generetur, optimè dicitur de toto concreto Christo quod generatur, non tamen sufficit ad hoc quod dicatur Verbum assumpsisse hominem, quod assumeret humanitatem, Nam *esse assumptum*, est prædicatum conueniens humanitati, excludens assumptionem, quia res quæ assumitur præsupponitur saltem naturâ, ad ipsam assumptionem; & ita licet humanitas assumatur, non debet homini attribui qui includit personalitatem & vnionem.

Obiicies 3. si humanitas non fuit assumpta cum propria personalitate, ergo est in Verbo violenta, siquidem dicit inclinationem ad propriam personalitatem. Quidam ex nostris dicunt cum Suarez & Vasq. quòd hoc argumentum non probat contra asserentes personalitatem consistere in negatiuo, quia inclinatio naturalis non est ad negationem; sed hoc est contra Scotum, qui præsupponens vt probauerat in 3. dist. 1. personalitatem esse quid negatiuum, saltem probabiliter quæst. 4. §. *Respondeo*, dicit humanitatem tantum habere potentiam obedientialem, ad hoc vt vniatur alieno supposito, nam si haberet inclinationem naturalem, esset in proprio supposito violenta, ergo sentit naturaliter inclinari in propriam personalitatem. & quodlibeto 19. vbi assertiuè docet personalitatem esse quid negatiuum art. 3. litera X. asserit humanitatem ad eam inclinari.

Inter Auctores qui dicunt personalitatem esse quid positiuum, ac per consequens naturam dicere inclinationem ad illam, communis solutio est quod humanitas Christi in Verbo nõ est violenta; sed variant in reddenda ratione, Caietanus, Medina & Aluarez disp. 27. dicunt non esse violentam, quia ita satiatus est appetitus innatus humanitatis, vt non habeat inclinationẽ ad propriã personalitatẽ; sed contra, quia inclinatio naturalis ad illam, est propria passio naturæ, ergò ab illa indistincta, ergo semper illam habet, ac per consequens, & appetitum innatum, Nam inclinatio naturalis dicitur metaphoricè appetitus in quantum inclinatio est in bonum quod potest habere, & non habet, sumptâ metaphorâ ex appetitu elicito, qui est circa bonum; Quod si non possessum sit, est appetitus desiderii, nam circa bonum possessum est appetitus complacentiæ.

Dices, appetitus elicitus non fertur in minus bonum relicto maiori, ergo neque innatus humanitatis habentis Verbum tendit in propriam personalitatem? Respondeo disparem esse rationem, nam appetitus elicitus sequitur

cognitionem, & mutata cognitione mutatur; at verò innatus est ipsa natura, & ita manet immutatus, sicut materia prima informata anima rationali appetit formas imperfectiores, sic similiter humanitas Christi terminata Verbo appetit propriam personalitatem.

Suarez disp. 8. section. 3. dicit quod cum personalitas propria non excludatur per oppositum, sed per personalitatem Verbi, hinc est quod non sit violenta humanitas, Nam ad violentiam requiritur quod carentia propriæ perfectionis excludatur per formam oppositam appetitui naturali; Sed cōtra, quia materia prima separata diuinitus ab omni forma est violenta, & tamen non habet formam contrariam.

Vasq. disp. 34. cap. 4. ait quod humanitas ad propriam personalitatem tantum habet inclinationem passiuam, & violentia est contra principium actiuum. Sed contra (quidquid sit an natura passiuè se habeat respectu personalitatis de quo dixi cap. 6. difficult. 6. in fine) ad rationem violenti sufficit quod sit contra principium passiuum, vt dixi cum Scoto 2. Physic. & tenet disp. 3. Propter quod ipse respondet & Montess. quod humanitas Christi non esset violenta in Verbo, quia eius personalitas per aliam perfectiorem, & eminentiorem, vt est personalitas Verbi, suppletur, sicut materia prima, licet dicat inclinationem ad formam Equi, quando est sub forma hominis, non tamen est violenta. Addit Hurtado disp. 4. difficult. 14. quod personalitas Verbi non est violenta humanitati, quia non est opposita propriæ personalitati, sicut est calor frigori, sed hoc vltimum reiicitur sicut Suarez refutaui.

Sed contra hos Auctores Obiicio 1. contra Montess. quia contra se loquitur, dicens manere in Christi humanitate appetitum desiderij ad propriam personalitatem; Nam si satiatur per aliud eminentius: non desiderabit proprium. 2. secundum Scotum in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 2. litera, c. personalitas propria non continetur eminenter in personalitate Verbi, & ratio est, quia ista non dicit perfectionem, vt dixi tractatu de Trinitate; quod si contineret eminenter, satiaret appetitum humanitatis, vt docuit Scotus in 1. dist 1. quæst. 1. litera. h. loquendo ad aliud propositum.

Dicendum nobis est humanitatem Christi in Verbo esse violentam secundum appetitum innatum, non tamen secundum appetitum elicitum, secundum quem vult quod melius est, vt est esse in Verbo, & cum iste appetitus perfectior sit quàm innatus, dicendum est quod simpliciter humanitas non est violenta, licet possit dici esse violentam secundum quid, sicut si homo nolens præcipitaretur, talis motus diceretur simpliciter & absolutè violentus homini, quia esset contra appetitum elicitum hominis, & dicitur secundum quid naturalis, quia est iuxta naturalem eius grauitatem quo modo loquendi vtitur Scotus in 4. dist. 49. quæst. 14. litera k. loquens de grauitate corporis gloriosi, & in 2. dist. 29. littera. c. loquens de effectibus Iustitiæ Originalis.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Quas partes humanitatis assumpserit Verbum immediatè.

Circa Corpvs.

PRimvs error fuit quod Verbum non assumpserit verum corpus, sed phantasticum. Sic Cerdon, Marcion,

Lucanus, & Manichæi. Secundus error ait Verbum assumpsisse verum corpus, sed non humanum, sed celeste. Ita Valentinus, Apollinaris, & Gnostici.

De fide est Verbum verum corpus humanum assumpsisse, probatur ad Rom. 10. *qui factus est ex semine David secundum carnem*; Et Lucæ vltimo, *palpate & videte &c.* & 4. Heb. *debuit per omnia fratribus assimilari*. Definitur in Toletano 1. in confessione fidei, & aliis Conciliis; & ratio est quia si non esset verus homo, inanis esset fides nostra, siquidem non posset esse passus, mortuus, sepultus, resurrectus &c. .

Pro primo errore obiiciunt ad Philip. 2. *In similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo*, ergo non erat propriè homo. Respondeo cum Chrysost. & Ambrosio, quod dicitur per similitudinem, quia non erat peccator, sed apparebat talis, & erat non tantum homo, sed etiam Deus, vel 2. respondeo cum Sancto Thoma, quod Paulus loquitur de vera similitudine, vt dicitur Gen. 5. *Adam genuit filium ad imaginem & similitudinem suam.*

2. Obiic. 2. ad Corinth. 5. *& si cognouimus Christum secundum carnem, sed iam non nouimus*, vbi significat Paulus se in principio existimasse Christum habuisse veram carnem, & posteà mutasse sententiam: Respondeo sensum esse quod Paulus quo tēpore Christū persequebatur, iudicabat carnaliter Christum nullius esse æstimationis; posteà verò mutauit sententiam. Ita exponitur a 5. Synodo actione 6.

Obiic. pro 2. errore 1. ad Corinth. 15. *primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Respondeo omissis aliis solutionibus, quod Christus dicitur homo cœlestis, quia post resurrectionem habuit corpus impassibile, & nos haberemus etiam, sicut modò habemus, per Adam, corpus terrenis affectibus obnoxium.

CIRCA ANIMAM *rationalem.*

DE anima Christi etiā fuit duplex error, primus est Arrij dicentis in Christo non fuisse animam, sed Verbum fuisse loco animæ: secundus error fuit Apollinaris, qui conuictus ex Sacra scriptura in Christo fuisse animam rationalem, dicebat non fuisse in Christo intellectum, sed Verbum esse loco mentis seu intellectus; sed variant Scholastici quid intelligat Apollinaris nomine mentis. Vasq. disp. 58. cap. 2. & Hurtado disp 5. difficul. 5. dicunt intelligere potentiam intellectiuam, Lorca existimat intellexisse substantiam animæ rationalis, Ita Epiphanius hæresi. 77. Augustinus 55. hæresi, & alij Patres quidquid sit de hoc, de fide est in Christo fuisse animam rationalem.

Probatur Ioan. 10. *potestatem habeo ponendi animam meam*; & Math. 26. *tristis est anima mea*, quod anima hæc sit rationalis probatur Lucæ 23. *in manus tuas commendo Spiritum meum*, quod fuerit anima mente prædita probatur Math. 8. vbi Christo tribuitur admiratio; definita est hæc veritas in Chalcedonensi actione 1. & in 5. Synodo actione 8. Can. 4. & 11. Ratione probatur, quia in Christo fuit verum corpus humanum, viuum, quod nequit esse nisi ab anima rationali, quia Verbum non potest esse forma corporis 2. probatur Christus meruit & satisfecit, sed hoc nequit esse sine anima & mente, ergo vtrumque habuit.

Pro 1. errore Obiic. quia sequeretur si Verbum esset perfectus homo, præditus anima rationali quod esset quaternitas in Diuinis, quia præter Patrem

Filium, & Spiritum Sanctum, esset hic perfectus homo: Respōdeo negādo sequelā, nā licet Christus sit homo Deus, est tamen vna persona scilicet Verbi.

2. Obiicies anima rationalis natura sua est peccabilis, ergo si Christus habuit animam esset in Christo peccatū, vel saltem pugna inducens ad peccatum sicut in aliis hominibus: Respondeo quamuis sit peccabilis potuit optimè à peccato & à fomite peccati à supposito Verbi liberari, sed vnde repugnauerit Christo peccatum, dicam posteà.

Magister sententiarum in 3. dist. 6. & 7. refert non tanquam errorem, sed tanquam opinionem aliquorum dicētium Verbum assumpsisse corpus & animam non vnitas, sed separatas, quod reiiciunt Scotus dist. 6. & S. Thomas tanquam errorem, nam eo ipso quod definitur Christum esse verum hominem, definitur Verbum assumpsisse animam & corpus vnita: hoc definitum est expressè contra hunc errorem in Lateran. sub Alex. 3. vt refertur in Capite *cum Christus*. Rursus probatur, nam sequeretur quod Christus non moreretur, nam mors est dissolutio vnionis animæ & corporis; neq; resurgeret, nam hoc est reunire quod anteà fuerat prius vnitum, & fuit dissolutum.

Quæres vtrū concedendū, sit in rigore sermonis in Christo esse tres substantias, *Christum componi seu constare tribus substantiis, anima scilicet & diuinitate?* Circa quas propositiones est dissidium inter Patres, nam Aug. 13 de Trinitate ca. 16. Gelasius Papa, Concil. Toletanum 14. & 15. affirmatiuè respondēt; At verò Damasc. 3. de fide cap. 16. & Benedictus 11. & in libro Sacrosyllabo in Concil Francfordiensi, in epistola ad Episcopos Hispaniæ negatiuè respondent. Suarez disp. 15. sect. 4. Vasq. disp. 37. cum Aug. sentiunt, & dicunt absolutè dicendas esse tales propositiones. Sed amgis placet cum Lorca disp. 33. Montess. & Hurtado disp. 5. difficult. 4. cum Damasc. &c. non esse absolutè concedendas, sed explicandas, scilicet *Christus constat tribus substantiis, diuinitate, anima, & corpore*: ratio est quia in compositione non solēt numerari partes remotæ, & partes partium, sed proximæ, & ita sonat quod in Christo sint tres substantiæ completæ: quod si explicentur optimè possunt concedi tres substantiæ; si verò non explicentur, melius erit dicere, *Christus constat duabus substantiis*.

DE PARTIBVS *integrantibus*.

HVc vsque ęgimus de partibus essentialibus, nunc de integrantibus agendum est, & suppono vt certum Verbum assumpsisse præcipuas partes, vt caput, manus, ossa, cartilagines &c. aliàs Christus non esset integer & perfectus homo. Aliqua difficultas est an assumpserit dētes, vngues & capillos? Vasq. disp. 36. num. 34. Hurtado disp. 5. difficult. 3. de dentibus affirmant, de vnguibus & capillis negant, & hoc vltimum tenet Lorca disp. 33. num. 43.

Nobis dicendum est dentes, vngues, & capillos esse à Verbo assumptos, Colligitur ex Scoto in 3. dist. 16. quæst. 2. §. *Sed contra*, litera. d. tenet Suarez disp. 15. sect 7. Cabrera quæst. 51 art. 2. disp. 1. Ragusa disp. 61. Becanus ca. 5. quæst. 1. Probatur 1. nam probabile est quod istæ partes viuant, vt dixi 2. de anima, & tenent Athanas. & Ambro. lib. de Incarnatione ca. 6. Probatur 2. nam istæ partes nō tantum deseruiunt ad ornamentum, sed ad aliquas actiones, vt dentes ad comedendum, & capilli ad conseruationem capitis, vt folia in arbore ad conseruationem fructus.

Auctores primæ sententiæ obiiciunt

quod capilli sunt excrementa & non viuūt:sed Respōdeo negādo vtrúque.

DE SANGVINE ET ALIIS *humoribus*.

CIRCA sanguinem fuit prima sententia Durādi in 4. dist. 10. quæst. 1. Gabrielis & nostri Ricardi in 3. dist. 2. art 2. quæst. 1. & tribuitur Abulensi in paradoxa. 2. cap 40. & 43 dicentium sanguinem non fuisse vnitum Verbo. 2. sententia duos distinguit in corpore sanguines, vnum nutrimentalem, & hunc negat esse veram corporis partem, ac per consequens non fuisse Verbo vnitum: alterum qui est de veritate naturæ, & vocatur decoctus, & hic fuit Verbo vnitus, & post resurrectionem reunitus, ita Caiet.

Sed contra, quia hæc distinctio sanguinum est contra Medicos & Philosophos, qui neque ex loco, neque ex officio, qualitateue possunt colligere tales distinctiones substantiales; solum distinguitur sanguis nutrimentalis ab alio sanguine in quantitate, quia est maior sanguinis quātitas in animali quàm sufficeret ad constitutionem corporis, scilicet qui digerendus est per nutritionem, talis sanguis vocatur nutrimentalis.

3. Et vera sententia docet sanguinem immediatè fuisse Verbo vnitum; ita S. Thomas 3. parte quæst. 54. art. 2. Suarez disp. 15. Vasq. disp. 56. Lorca disp. 33 num. 22. Ragusa disp. 60. Faber disp. 42 Pytigi. in 3. dist. 9. quæst 1. art. 4. & est communis, probatur 1. ex *extrauaganti vnigenitus*. vbi Clemens 6. dicit, *vnam guttam sanguinis Christi propter vnionem ad Verbum esse sufficientē pro redēptione totius generis humani*. 2. probatur 1. Ioan. 1. *sanguis Christi filij eius emūdat nos ab omni peccato*, & aliis locis in quibus sanguini Christi tribuitur salus nostra. Sed Vasq. cap 6. ait ista loca nihil probare, nam ibi pro sanguine sumitur vel tota humanitas, vel mors, & passio Christi, & ita ait quod non sumitur valor ex re oblata, vt est sanguis, sed ex offerente, vt est Christus, nam si salus nostra tribueretur sudori vel lachrymis Christi, non ex illis, sed ex Christo flente sumeretur valor.

Sed optimè obijcit Lorca, quia sanguis Christi fuit pretium sicut & humanitas, primæ Petri primo, *non auro redempti estis, sed pretioso sanguine agni immaculati*: vnde redemptio nostra non tantum est facta per modum meriti, sed etiam per modum sacrificij, in quo res oblata, & valor illius attenditur, sudori & lachrymis non tribuitur in sacra scriptura redemptio, quia sunt excrementa, & non sunt Verbo vnita.

3. Probatur ex ad hebræos 2. *quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem*; In quibus verbis non tantum significatur sanguinem esse de integritate naturæ humanæ, sicut est caro, sed etiam eadem vnio sanguinis ac carnis; sed de carne nemo dubitat fuisse vnitam, neque de sanguine est dubitandum. Accedunt pro hoc Patres, vt Cyrillus, Nazianzenus, & Cær.

4. Probatur ex Trident. sess. 13. cap. 3. sub speciebus panis continetur sanguis Christi per concomitantiam, sed si sanguis non esset hypostaticè vnitus, non esset talis connexio, sicut non est cum veste quam habuit Christus in cœna, aut cum cibo non digesto, aut aliquo excremento, ergo colligitur clarè sanguinem fuisse Verbo vnitum: & ratio à priori est, quia sanguis est vera pars substantialis corporis humani, sicut cerebrū & medullæ, vt docet Aristoteles 2. de partibus animalium cap. 2. & 3 Seneca lib. 2. quæstionum naturalium, Diuus Damasc. 2. de fide cap.

12. & colligitur ex Math. 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi*; & totum hoc comprobatur, quia absque sanguine nequit consistere humanitas, non tantum quia est alimentum, sed quia eo membra fouentur, imò est instrumentum generale ad operandum, quia suo natiuo calore spiritus vitales & animales elaborantur, quibus potentiæ redduntur habiles: propter quod Theologi affirmant sanguinem futurum esse in corporibus resurgentium, sicut fuit in Christo post resurrectionem, quia est pars corporis humani.

Quod dictum est de sanguine, dico etiã de bili, phlegmate & melancholia cum eisdem auctoribus; Sic Augustinus epistola 146. & Innocentius tertius; nam sunt partes necessariæ ad consistentiam naturæ humanæ, imo nomine sanguinis mixtio omnium humorum intelligenda est, nam humores si sunt in naturali dispositione, cum sanguine mixti sunt, & cum eo in totum corpus diffusi.

Dices quod Aristoteles 4. de partibus animalium vocauit hos humores excrementa. Resp. Verum esse quando sunt à corpore separati. Vel 2. Resp. quod Philosophus vocauit hos humores excrementa, quia ex his humoribus aliqui sunt excrementa, vt pituita quæ est in ventriculo, & bilis quæ est in felle, & atrabilis quæ est in liene. Quod dico de his humoribus, dico de spiritibus animalibus, & vitalibus quia secundum Medicos sunt sanguines purissimi; idem dico cum Vasq. cap. 7. & Montesf. contra Suarez sect. 7. & Lorca num. 41. de rore, glutimine, cambio, nam Medici ab his auctoribus consulti, dicunt generari ex sanguine antequam ossa & carnes.

Dices quod isti humores citò corrũpũtur, & ita destruetur vnio: Respondeo si amittunt substantiales formas fateor. Suder chylus, Saliua cum sint excrementa non vniuntur hypostaticè, neque futura sunt in corpore glorioso.

Pro prima sententia obiicies 1. sanguis non est pars hominis, neque informatur anima vt colligitur ex Scoto in 4. dist. 10. quæst. 4. §. *hic duo* litera, a, & §. *ad argumenta*, litera, l, ergo non vnitur hypostaticè Verbo: Respondeo quod Scotus non negat esse partem hominis, licet non informetur anima, sed negat quod sit pars corporis; quod ponitur ex vi verborum in Sacramento Eucharistiæ in specie panis quod corpus tantum est materia prima cum forma corporeitatis, imò hoc litera, l, non dicit assertiuè, sed etiam docet probabiliter sanguinem esse partem illius corporis, & licet non sit pars corporis prout abstrahit à viuo & mortuo, est tamen pars humanitatis.

2. Obiicies quia si Verbum assumeret sanguinem, diceretur sanguis, quod est contra Patres; & confirmatur, quia sanguis non informatur anima, ergo non est assumptibilis: Respondeo negando sequelam: nam communicatio Idiomatum non fit nisi in naturis completis; propter quod in triduo non dicitur Verbum *anima* neque *corpus*, sed vnitum corpori & animæ. Ad confirmationem Respondeo, sanguinem non animari, vt dixi 2. de anima cum Scoto, sed ad hoc vt assumatur à Verbo, sufficit quod sit de integritate naturæ humanæ vt est sanguis, vt dixi.

3. Obiicies sequeretur Verbũ assumpsisse de facto duas naturas, nimirũ humanitatẽ & sanguinẽ: Respondeo negando assumpsisse duas naturas completas, nam sanguis est quid incompletum & de integritate humanitatis.

4. Obiicies, sequeretur sanguinem in triduo fuisse Verbo vnitum, & quod guttæ sanguinis, quæ modo sunt in ali-

quibus Ecclesiis sint Verbo vnitæ, nā secundum Damas. *quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit.* Hoc argumentū petit vt duo explicemus, primum est an aliquid sanguinis Christi modo sit apud nos, secūdū, quod difficili⁹ est, an sanguis in triduo fuerit Verbo vnitus.

Circa primū S. Thoma 3. parte quæst. 54 art. 2. ad 3. & quodlibet 5. art. 5 dicit nihil sanguinis mā sisse in terris post resurrectionē, sed si aliquis sāguis alicubi veneratur, nō est ver⁹ Christi sāguis, sed qui miraculose ex aliqua imagine fluxerit, quod desūpsit ex D. Athanasio in serm. de passione imaginis Christi, vbi refert Beryti effluxisse copiā sanguis ab imagine Crucifixi quam Iudæi percusserūt, & Episcopus reseruauit in magna veneratione, quod factū approbatur in 6. Synodo generali actione 4. & fundamentū est, quia vel hic sanguis, si modo est, manet Verbo vnitus, vel non; primū non est dicendum, secundū est contra Damasc. dicentē *quod semel assumpsit &c.* Sed ista non conuincunt 1. quia Dam. tantū loquitur de partibus essētialib⁹, scilicet de corpore & anima 2. quia in 6. Synodo tantū approbatur serm. D. Anathasii quantum ad adorationem imaginum, non quia certum sit nihil sanguinis remanere, quia nihil est de hoc definitum.

Caietanus & Syluester dicunt aliquē sāguinem mansisse post resurrectionē, & Caiet. ait quod fuit ex illo sanguine nutrimentali qui secundum ipsum nō fuit Verbo vnitus, sed hoc fundamentū iam reieci. Quod manserit sanguis probatur à Pio II in bulla ad Abbatem S. Mariæ Diœcesis Xantonensis dicentē *veritati fidei nulatenus repugnare dicere Redēptorem nostrum in suæ passionis memoriā aliquam partem effusi sanguinis in terris reliquisse* Et Leo 3. approbauit cultum alterius Imaginis qui Mantuæ asseruatur. Sed omnia ista non probant, sed hoc fecere Pontifices ne populi deuotio extingueretur. 2. probatur; nam Nicephorus l. 1. c. 30 refert B. Virginem, & Euangelistam Ioan. extra Crucem collegisse aliquid sanguinis & seruasse in vasculo, cuius guttā seruari Venetiis in nostro Cōuentu testatur noster Faber; & Syluester se vidisse circa annū 1497. Narbonæ vasculum plenū terra sanguine Christi mixta, quā collegit Magdalena in die Parasceues extra crucē, & singulis annis eodē die ebullit. 3. quia in aliquibus Ecclesiis seruantur spinæ & claui, & sudariū, quæ omnia aspersa sunt sanguine Christi. Sed omnia ista nō cōuincunt, nam credendū est sanguinis illius magnā copiā à Virgine & Euangelista seruatā, fuisse à Christo reassūptā post resurrectionē quia tā preciosa reliquia non lateret in Ecclesia nec constat vnquam alicubi stetisse. Deinde si aliquis sanguis est modo in Eccl. (quòd Montesi. negat manere sub forma sāguinea, quia neq; liquidus, neq; fluid⁹, sed sub alia forma rubra, non est Verbo vnitus, nam Christus modò tantū est in cœlo & in Eucharistia. Rursus quia quando sanguis est separatus, definit esse pars humanitatis, & propter eandē rationē dicendum est quod particula præputii Christi, si manet apud nos (nā probabilius est nō manere) nō manet Verbo vnita, nihilominus talis sanguis adorādus est adoratione latriæ, vel ratione vnionis præteritæ, vel ratione contactus, vel repræsentationis veri sanguinis, si non est verus sanguis. Ex quo constat quod manere modo sanguinem Christi in terris, vel non manere, vtrumque probabile,

Maior difficultas est, an sanguis Christi fuerit Verbo vnitus in triduo: cōmuniter affirmatiuè resp. à Recentioribus Vasq. d. 36. c. 4. dicit oppositum asserērētē dignè mereri temeritatis & erroris notā, quē sequitur Hurtado d. 5. difficul.

Secunda tenet Lorca disp. 33. num. 33. probat Vasq. cap. 6. ex 6. Synodo generali actione 16. vbi damnatur quidam hæreticus Constantinus nomine, quod dixerit sanguinem fuisse dimissum à Verbo in morte Christi: sed resp ond. quod non fuit propter hoc damnatus, sed quia dixit in Christo esse vnam tantum voluntatem, & negabat veram carnem Christi, nam dixit *Verbum cum carne & sanguine exuisse humanitatem, voluntatem.*

Secundò probant ex definitione Clementis 6. missa ad Nicolaum Rocellum Dominicanum in regno Cataloniæ Inquisitore, & habetur in 2. parte Directorij Inquisitorum quæst. 10. num. 1. In qua definitione damnatur opposita sententia & confirmant, nam cum quidam Theologus Barcinonensis prædicasset sanguinem non esse Verbo vnitum in triduo, prædictus Inquisitor illam doctrinam, vt hæreticam damnauit, & de mandato Clementis Sexti libellum contra Theologum illum formauit, & fecit vt prædicta propositio retractaretur in Ecclesia Cathedrali Barcinonensi, & ait Syluester in Rosa aurea tractatu 3. quæst. 31. prædictam retractationem & damnationem approbatam fuisse à Pio secundo.

Respond. & veritas huius Historiæ narratur, vt apprimè & accurate refert noster Delmetius Thadeus in sua Nitela Franciscana fol. 443. Quidam ex nostra Seraphica religione circa annum 1351. Barcinone prædicauit sanguinem Christi in triduo non fuisse Verbo vnitum, propter quod damnatus fuit vt Hæreticus à prædicto Nicolao Rocelli cum literis cuiusdam Cardinalis, in quibus asserebat habuisse à Clemente 6. viuæ vocis oraculo, vt procederet contra prædictum Prędicatorem, & sic factus fuit processus contra ipsum, qui processus fuit occultus vsque ad annum 1464. qui fuit ad Romam delatus à Iacobo de Brixia Inquisitore Dominicano, in quo processu erant 18. fol. & nihil in eo deletum nisi subscriptio Notarij, ex quo patet quod fuit falsus & subreptitius, nam Fratres nostri Minores anno citato 1352. se opposuerunt contra prædictum processum, & curabant vt præsentaretur in Curia Romana, propter quod Notarius noluit se subscribere, nec voluit Curiæ Romanæ præsẽtari ne puniretur vt falsarius. Fere hæc omnia sunt verba nostri beati Iacobi à Marchia. Hic sanctus anno 1462. in Dominica Resurrectionis die 18. Aprilis prędicauit hanc eandem propositionem. Alter prædicator Frater Baptista Dominicanus prædicauit illam propositionem esse erroneam, propter quod F. Iacobus de Brixia Inquisitor Dominicanus scripsit Beato Iacobo vt propositionem retractaret, sed B. Iacobus noluit, potius die 20. iterùm dixit se non prædicasse erroneam propositionem, sed grauissimorum Scolasticorum, quorum verba in pulpito legit. Eadem die Inquisitor ille specialis Iacobus de Brixia citauit Beatũ Iacobum Generalem Inquisitorem, de fide responsurum, sed noluit, & pro bono pacis Episcopus Brixiensis ad se vocauit S. Iacobum, & Fratrem Baptistam & Iacobum de Brixia Inquisitorem, vt coram doctissimis viris de eadem propositione disputarent: quo facto cum non adduceretur à Iacobo de Brixia, neque à F. Baptista prædicatore aliquid transsumptum auctoritate prætensæ extrauagantis Clementinæ, neque aliquid conuincens, decreuit Episcopus, vt quilibet prædicator suam sententiam prædicaret, vtramque probabilem & nullam erroneam iudicaret, neque diceret.

Post hæc ille Iacobus de Brixia iterum B. Iacobũ molestauit in curia Romana, dicens ipsum esse hæreticum, & Papa causam commisit duobus Cardinalibus, Protectoribus Dominicanorum & Minorum, & rebus auditis fuit conuictus Iacobus de Brixia pro calũniatore, & facta correptione à Protectore Dominicanorum, præcepit illi, vt suam culpam diceret ante Beatum Iacobum & ita fecit: Nihilominus post hæc ipse Iacobus de Brixia misit Barcinonem pro processu falso, & fecit ipsum registrari secrete in registro Romanæ Curiæ, & postea fuit mortuus, & tunc fuit visus processus sine subscriptione Notarij.

Tandẽ Pius secundus nihil decreuit, vt constat ex epistola missa ad Beatum Iacobum die 28. Aprilis Anni 1464. *Nos autem materiam ipsam huc vsque non determinauimus*, imò in quodam Breui dato eodem anno Calendis Augusti ait *Statuimus & ordinamus, quod nulli fratrum Prædicatorum deinceps liceat de supradicta dubietate disputare, prædicare, vel publicè, aut priuatè verbum facere, seu aliquid suadere quod hæreticum, vel peccatum sit tenere, vel credere sanguinem ipsum sacratissimum, vt præmittitur triduo passionis eiusdem Domini nostri Iesu Christi, ab ipsa diuinitate quomodolibet fuisse, vel non fuisse diuisum, vel separatum, donec super dubietatis huiusmodi decisione, quid tenendum sit, fuerit per nos & sedem Apostolicam definitum*; & posuit excõmunicationẽ sibi, & Papæ successori reseruatam & officiorum inhabilitatem. Ex quibus constat probabilitas illius sentẽtiæ, quam prædicauit noster Beatus Iacobus de Marchia, quam tenet noster Ricardus de Media villa in 30. dist. 2. art. 2. quæst. 1. ad 2. referuntur pro ipsa S. Bonauantura, & noster Doctor Illuminatus Franciscus Mayronis, sed non potui in eis inuenire.

CAPVT OCTAVVM.

De assumptionis humanitatis & eiusdem partium ordine.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum Verbum diuinum prius vnam partem, quam aliam assumpserit.

SVPPONO in vnico instanti temporis omnes partes humanitatis fuisse à Verbo assumptas. Est contra Origenem 2. Periarchon, dicentem prius tempore animam Christi fuisse assumptam quam corpus; ita definitum est in sexta Synodo generali actione 13. dicente animam non prius tempore extitisse quam fuerit vnita carni & Verbo: & in Ephesino Can. 12. dicente, *Verbum non assumpsisse carnem nisi animatam anima rationali*, & Can 13. *humanitatem non prius tempore extitisse quam assumeretur à Verbo*; Difficultas ergo est de prioritate naturæ & causalitatis, & 1. quæritur an anima rationalis, & caro prius natura fuerint inter se vnita quàm Verbo?

Suarez disp. 17. sect. 1. docet priùs animam esse Verbo vnitam quàm carni, fundamẽtum est, quia anima habet partialem subsistentiam, & priùs natura subsistit quam corpori vniatur, ergo cum personalitas Verbi subrogetur loco propriæ subsistentiæ, hinc est quod prius Verbo vnitur quam carni: in idem inclinat Aluarez disp. 30. sed fundamentum hoc falsum est, vt vidimus cap. 6. difficult. 6. propter quod dico cum Scoto in 3. dist. 2. quæst. 2. Rada Contro. 4. art. 4. conclusione 8. Durando, Palud. Vasq. disp. 37. cap. 7. & 8. partes prius inter se vniri, quam Verbo, probatur; nam Verbum as-

sumpsit has partes eodem modo quo propria subsistentia terminandæ essent, sed cum non habeant partiales subsistentias, prius natura vniuntur quàm participent subsistentiam totius, ergo prius natura inter se vniuntur quàm Verbo; ex quo reiicitur fundamentum Suarez.

Ad titulum difficultatis respondeo cum Augustino Epistola 2. Nazianz. Oratione 38. Damasc. 3. de fide cap. 6. & 6. Synodo actione 8. Verbum assumpsisse carnem media anima, ita Scotus citatus, & omnes Scolast. Sed omissis varijs expositionibus huius propositionis adductis à Recentioribus Vasq. disp. 37. pro vera explicatione noto duplex esse medium assumptionis; vnum vt vinculum inter extrema, vt indiuisibile inter partes quantitatis, alterum tanquàm rationem vniendi, quod non est vinculum inter extrema, & hoc est duplex; vnũ, quod est ratio assumendi, quia ipsum prius assumitur *vt quod*, vt Amphora qua assumpta, *vt quod*, etiam assumitur vinum, in ea inclusum & hoc est medium *vt quod*; alterum est, quod est ratio assumendi, quia præparat aliud vt assumatur, vt pulchritudo fœminæ, qua aptatur vt assumatur in vxorem. & dicitur medium *quo*; & in hoc vltimo sensu dicitur Verbum assumere carnem media anima, licet vtrumque immediatè assumatur, & non anima immediate, & caro mediate, quia anima est ratio quarè caro assumatur, nam informando illam facit viuam & humanam, nõ quia necessarium, sit vt caro sit viua vt assumatur, nam quamlibet naturam Verbum assumere potest, vt dixi cap 7. diff. 1. sed quia congruum est vt caro humana & informata anima assumatur à Verbo.

Eodem modo intelligenda est altera propositio quam 6. Synodus & Patres dicũt contra Apollinarem dicentem Verbum assumpsisse corpus absque anima, nam Verbum erat pro anima, posteà verò conuictus dicebat assumsisse corpus & animam, sed hoc absque intellectu, & ita auferebat à Christo cognitionem humanam; contra quem Patres & Concilium dicunt Verbum assumpsisse animam media mente, & spiritu, scilicet quod intellectus & voluntas sunt medium quo Christus fuit capax merendi ex Dei intentione.

Variè explicant Thomistæ quid intelligatur nomine animæ & mentis apud Patres, sed quomodocunque explicetur, cum nomine mentis debeat intelligi aliqua animæ potentia (quæ secundum Thomistas est accidens) satis difficile est explicare, quomodo mens prius natura quàm anima assumatur, cum accidentia immediate non assumantur à Verbo de facto, sed mediante humanitate. In sententia vero Scoti nomine mentis, & spiritus intelligimus intellectum, & voluntatem, quæ cum sint substantiæ cum anima identificatæ, nullum ex hoc oritur inconueniens, ex quo patet nullum accidens fuisse immediate Verbo vnitum, & antequam vniretur humanitas.

Quæres vtrum aliquod accidens fuerit priùs vnitum substantiæ creatæ quàm Verbo? Et respondeo primò, quod accidentia non fuerunt priùs vnita substantiæ, quam substantia ipsa fuerit vnita Verbo. Probatur, nam accidentia in suo esse dependent à substantia, ergò supponunt saltem prioritate naturæ substantiam subsistentem, nam subsistentia magis *intrinseca* est substantiæ quàm accidentia, sed substantia in Verbo subsistit, ergo substantia prius est Verbo vnita quàm accidentia substantię: Secundò respondeo, quod accidentia prius natura fue-

runt vnita substantiæ quàm Verbo; Probatur, nam accidentia non sunt immediatè Verbo vnita, sed media substantia, ergo necesse est quod substantia priùs Verbo vniatur.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Vtrum humanitas fuerit assumpta mediis partibus.

DIFFICVLTAS est de executione, nam certum est, quod in intentione, quod prius voluit Verbum, fuit assumere totum; circa quam executionem est prima sententia dicens Verbum priùs, & *vt quod* assumpsisse partes quàm totum, ita Caietanus 3. parte quæst. 76. art. 1. 2. & 5. Abulensis & Herueus, & probabilem reputat noster Ricardus, tenet Suarez disp. 77. sect. 1. & 2. qui ponit tres vniones, duas partium, & tertiam humanitatis, in quo distinguitur ab Abulensi dicente humanitatem mediatè vniri, & solas partes immediatè vniri.

Secunda sententia docet humanitatem fuisse primò & per se, & *vt quod*, & immediatè assumptam à Verbo, & eadem assumptione fuisse secundariò, & mediatè partes assumptas, *vt quod* licet possit dici partes esse medium *quo* assumptionis totius; ita Scotus in 3. dist. 2. quæst. 2. §. *ideò quantum* ibi Ouandus art. 1. Pytig. art. 1. Conclusione 2. Faber. disp. 9. cap. 2. & 3. Rada 3. parte contro. 4. art. 4. conclusione 6. Vasq. disp. 39. cap. 3. Lorca disp. 34. Num. 11. Ragusa disp. 66. Hurtado disp. 5. difficult. 14.

Probatur argumento Scoti, nam illud est primò assumptum à Verbo, quod si relinqueretur primò subsisteret, sed hoc, secundum nos qui non fatemur subsistẽtias partiales, est totum, ergo totum est. Quod primò assumitur; Et confirmatur primò, nam sequeretur humanitatem non esse propriè assumptam, sed partes, ac per consequens Verbum non esse hominem.

Probatur nam Verbum tantum recipit denominationem ab immediatè assumpto, nam si sumit denominationem ab assumpto mediatè, Verbum denominaretur accidens, quod est falsum; Confirmatur secundò, nam inconueniens est in aliquo instanti reali, quod verè designari possit fuisse Verbum prius incarnatum, quam esset homo, & animam & corpus habuisse in Verbo talem statum vel similem quem in triduo habuerunt. Secundò probatur contra Suarez ex Scoto, nam si partes assumuntur, antè totum sequitur quod bis assumantur; Probatur, nam quãdo totũ assumitur, necesse est, vt iterùm partes assumantur. Secundò sequitur, quod nunquam humanitas assumatur; Probatur, nam totum præter partes nihil addit nisi modum vnionis, ergo tertia assumptio tantum ad modum terminatur, & non ad humanitatem. Tertiò, quia imperceptibile est, quo modo ex his partialibus assumptionibus possit componi vnum per se, & vna tertia vnio; siquidem, neque modo vniuntur indiuisibili, neque se habent, vt actus & potentia.

Prima sententia obiic. 1. Augustinum de Agone Christiano cap. 18. *Incommutabilis veritas per spiritum animam, & per animam corpus, & sic demum totum hominem assumpsit*: Respondeo Augustinum, loqui de medio *quo* congruentiæ vt difficult. 1.

Obiic. 2. quod in resolutione est vltimum, in compositione est primum, vt patet in materia, prima quæ vltimo resoluitur, & 1. habet esse, sed in resolutione, & morte Christi partes fuerũt vltimum quod resoluitur, ergo fuerũt primum quod assumitur: Respondeo data

data maiori non concessa, quia contingere potest, quod aliquid totum non per veram compositionem, sed per simplicem productionem habeat esse.

Dico quod in eodem instanti in quo resoluta fuit humanitas, etiam vnio partium ad Verbum, quia eadem erat vnio, quod si partes remanserunt vnitæ, fuit per aliam nouam vnionem.

Tertiò obiic. priùs natura intelliges partes existere quàm totum, siquidem ex partibus existentibus resultat totum, ergo priùs natura fuerunt partes assumptæ, quia nec tempore nec natura steterunt extra Verbum: Respondeo concedendo antecedens (quidquid dicat Lorca) & negando consequentiam, nam vnio partium ad Verbum non fuit facta in existentia, sed in subsistentia, quæ primò & per se conuenit toti, & ratione illius partibus, neque fuit aliquod instans temporis in quo partes existerent, & non essent Verbo vnitæ, licet fuerit aliquod instans naturæ in quo partes priùs existerent quàm subsisterent.

Quartò obiic. illud est prius à quo non valet subsistendi consequentia, sed nō valet, assumpsit partes, ergo totum, ergo prius assumptæ fuerunt partes. Respondeo cum Scoto litera. H. quod maior absolutè est falsa, nam prioritas in consequendo potest stare cum non prioritate in causando, patet, quia simul est hominem esse, & hanc propositionem esse veram, *homo est*, & tamen in causando prius est hominem esse, nam ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa, & calidum sequitur in causando ad ignem, nam si est ignis, est calidus, & tamen in subsistendi consequentia non valet, est calidus, ergo ignis, nam potest esse aër, sic in nostro casu licet valeat est prius in consequendo, non tamen in assumptione.

Suarez obiic. quia si Verbum in triduo fuit partibus vnitū alia noua vnione, ergo quod semel assumpsit dimisit, contra Damasc. Et Bernardum lib. 1. de Consideratione vocantem hanc vnionem partium indissolubilem. Respondeo quod Patres tantum volunt, quod nunquam fuerit Verbum sine vnione ad partes, an hæc fuerit vna semper vel diuersa, non dicunt: propter quod dico, quod quando Christus resurrexit, corruptæ fuerunt illæ vniones ad partes, & fuit vna noua producta, qua totum & partes fuerunt simul Verbo vnitæ; neque hoc est nouum miraculum, sed ex vi primi fuit hoc factum; sicut non fuit nouum miraculum, quod fierent nouæ vniones & aliquæ desinerent esse, quando Christus nutriebatur & crescebat, vt docet Scotus in tertio, dist. 16. quæst. 2. §. *sed contra* litera. D. Aliud fundamentum Suarez de subsistentiis partialibus supra reieci.

Petes supposito, quod totum sit prius natura assumptum, *vt quod*, quam partes, an sit prioritas realis naturæ, vel rationis?

Lorca diputat 34. num. 13. dicit prioritatem rationis, quia fuit vna assumptio, & inter illud quod est vnum non potest esse prius & posterius realiter. Secundò, quia partes includuntur in toto intrinsecè, & totū in nullo instanti naturæ potest assumi sine partibus. Sed ista non conuincunt, non primum quia, vt ipse Lorca num. 13. notauit, ordo & prioritas non est inter assumptiones, sed inter extrema quæ assumuntur, scilicet totum & partes, quæ possunt aliquo ordine reali respici ab eadem assumptione; neque secundum, nam licet non possit totum assumi, sine partibus & partes includantur in toto intrinsecè, tamen realiter inter se distinguuntur, vt dixi primo Physic. cum

Scoto. Propter quod satis probabile iudico esse prioritatem realem, quod insinuat Vasq. disp. 57. cap. 5. contra Durandum. Idem dico de prioritate, quam dicunt partes, *vt quo* respectu totius, quod etiam fatetur Lorca num. 15. & ratio est, quia partes sunt causa totius, sed omnis causa est prior natura realiter suo effectu, ergo & partes toto.

Sed est dubium an organizatio Corporis Christi præcessit tempore infusionem animæ? Et noto ex Scoto in 3. dist. 2. quæst. 3. § *quantum ad secundum* litera D. quod in organizatione inueniuntur hæ actiones; prima est translatio materiæ, scilicet sanguinis vel seminis ad matricem, quæ est locus generationis: secunda est alteratio qua illa materia sanguinis vel seminis condensatur vt fiant cartilaginenis & ossa, & rarefit vt fiat caro, vt ita introducatur forma corporis, siue hæc sit anima intellectiua, vt docet sanctus Thomas, siue forma corporeitatis, vt dixi cum Scoto primo de generatione, istæ duæ actiones in tempore fiunt naturaliter loquendo, nam motus localis, & alterationis successiuè fiunt; positis his actionibus educitur, & inducitur forma corporeitatis quæ est vltima dispositio ad introductionem formæ viuentis.

Inquit ergo Scotus, quod si organizatio sumatur pro hoc vltimo, scilicet eductione & inductione formæ, tàm in Christo quàm in nobis, non præcessit tempore, benè tamen natura animationem, nam animatio & inductio formæ corporeitatis fiunt in eodem tempore; probat Scotus, quia sequeretur, quod Pater non generaret hominem, neque Virgo Christi humanitatem, nam completa esset tota actio hominis, & Virginis antequàm esset homo, ille autem non generat hominem, cuius actio tota completa est prius tempore quam sit homo. Secundò, quia formæ substantiales in instanti introducuntur, sed forma corporeitatis est substantialis, ergo fit in instanti, & est vltima dispositio ad formam viuentis, sed vltima dispositio & forma sunt simul in vno instanti, ergo organizatio non præcessit tempore animationem; Deindè hæc animatio non præcessit tempore vnionem humanitatis ad Verbum. Probatur, aliàs illa humanitas esset priùs suppositata quam in Verbo, quod est falsum, nam sequeretur Virginem non esse matrem Dei, aut genuisse Deum, quod est contra fidem. Probatur, nam ideò genuit Deum, quia in eodem instanti in quo genuit hominem, talis homo erat Deus, ergò si animatio præcederet tempore vnionem, non generaret Deum.

Si verò organizatio sumatur pro illis duabus actionibus antecedentibus, dubius manet Scotus, quid de facto euenerit, & ait vtrumque esse probabile, nam si dicamus illas actiones factas fuisse in tempore, ac per consequens tempore præcessisse animationem, melius explicatur, quomodo B. Virgo cooperata fuerit ad illos motus: si verò dicatur fieri in instanti, ita quod terminus illorum motuum producatur in eodem instanti animationis, vel Incarnationis, melius explicatur quomodo in illo vltimo instanti, in quo protulit illa verba, *Ecce ancilla Domini*, &c. fuit caro Christi concepta, & Verbo vnita, vt loquuntur Damasc. Basil. Fulgentius & Sexta Synodus generalis actione 11. in Epistola Sophronij, & alij Patres quos adducit Suarez de vita Christi disp. 11. sect. 2. & hoc vltimum deffendit Rada 3. parte Contro. 4. art. 5. Et hoc probabilius iudicat Faber disp. 12. num. 19.

Obiic. quia Virgo non concurreret actiuè ad talem generationem, ac per consequens non esset vera Mater Christi; Probatur, nam virtus Virginis erat finita, ergo non potuit efficere in instanti, quod petit natura sua tempus, vt sunt dictæ actiones, ac per consequens tantùm fit à Deo supernaturaliter. Respond. quod sufficit, quod concurrat ad eductionem formæ corporeitatis, & animationem, ad hoc quod dicatur Mater Christi. Secundò respondeo, cum Scoto dist. 4. quod virtus naturalis Virginis producit in instãti terminos illorum motuum auferente Spiritu Sancto impedimenta, & omnia illa quæ efficiebant, vt tales termini successiuè producerentur, & licet sint plures termini, cum sint inadæquati, possunt fieri in vnico instanti.

Obiicit Scotum in 2. dist. 18. §. *dico igitur*, dicentem rationem seminalem non esse principium agendi in generatione, quia tunc non manet semen, nam corrumpitur in corpus generandum, quia quod non est non potest agere; at actio seminis est in alteratione præcedente generationem, ergo si ista generatio facta fuit in instanti, nulla præcessit alteratio, ac per consequens Virgo nullam habuit actionem. Respondeo primò, dubium esse an Virgo ministrauerit sanguinem vel semen, sanctus Thomas ait quod sanguinem, sanctus Bonau. & Ricardus dicunt quod semen, Scotus insinuat cum Galeno, lib. 2. de semine quod vtrumque. Sed quidquid sit de hoc, dico primò, quod B. Virgo cum esset præsens in illo instanti, ministrauit materiam, & ita vis generatiua illius egit immediatè ad terminos illorum motuum alterationis, & ad generationis terminum, quia diuinitùs ablata fuerunt impedimenta quæ requirebant tempus. Si verò teneamus, quod tales motus facti fuerunt in tempore illo breuissimo quo B. Virgo protulit: *Ecce ancilla Domini*, vt probabile iudicat Scotus, & est satis probabile, quamuis Suarez citatus dicat esse temerarium & erroneum. Respondeo ad Concil. & Patres primò, quòd tantum volebant, quod Virgo non conceperit purum hominem, sed etiam Deum, quod libenter confitemur, & est verum in hac sententia, nam in illo tempore nunquam natura fuit in facto esse, nec supposita, sed solum in fieri, & ad hoc quod Virgo sit vera Mater Christi Dei, sufficiebat quod eductio formæ Corporeitatis non præcesserit tempore animationem, neque Incarnationem.

CAPVT NONVM.

De causis Incarnationis.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum fuerit aliqua causa Physica Incarnationis.

CONVENIVNT omnes totam Trinitatem esse causam principalem Incarnationis, licet solum Verbum terminauerit humanitatem, neq; potuisse aliquam creaturam esse causam principalem, nam implicat creaturam trahere Personam diuinam, vt hypostaticè vniatur. Rursus est forma supernaturalis talis ad quam nulla causa physica creata habet virtutem principalem, neque habere poterat.

Respondet quidam ex nostris, hoc non implicare neque rationi, neque Scoto; non rationi, nam visio beata elicitur connaturaliter physicè à lu-

mine gloriæ: non Scoto; Nam secundum ipsum in 4. dist. 1. quæst. 1. §. *Ideò dici potest*, ante lit. N N. sicut non implicat, quod charitas sit ratio formalis acceptationis Dei, ita non implicabit quod sit ratio effectiua. Sed contra, quia Scotus ibi arguit contra Magistrum reprobando rationes illius. Rursus argumentatio Scoti habet vim in sententia dicentium Charitatem physicè, & ex natura rei facere acceptum, nam si hoc est possibile formaliter, ergo & efficienter: in sententia vera Scoti, quod facit ex Dei voluntate causa efficiens, id solum moraliter operatur: Deinde Scotus ibi loquitur de instrumento, hic Scotista de causa principali. Addo quod si hoc est possibile de causa principali, quare hoc negat Virgini vt physico instrumento, cum minus sit instrumentum quàm causa principalis? Deinde est contra rationem, quia licet habitus supernaturales Physicè concurrant ad suos actus, non tamen est aliquid, quod physicè concurrat ad habitus supernaturales, & vnio est veluti habitus, præcipuè cum Verbum alliget, quod fieri ab aliquo physico est impossibile, solùm ipse potest per suam voluntatem ad aliquid ligari. Vltimo, quia si vnio est substantia, vt probabile reputat hic Scotista, debet dari substantia supernaturalis quæ sit causa principalis illius, quæ est impossibilis, vt dixi cum Scoto tractatu de visione, vel si est substantia naturalis cum modo supernaturali, non erit causa principalis, sed instrumentalis.

Difficultas est de causa instrumentali, Suarez disp. 10. sect. 1. Becanus cap. 2 quæst. 5. dicunt posse creaturam assumi à Deo, vt physicum instrumentum ad Incarnationem, sicut Sacramenta sunt instrumenta ad gratiam: Addit Suarez quod Christi humanitas fuit de facto instrumentum tale ad reunionem factam in resurrectione, & ad particulares vniones, quæ per nutritionem fiebant, & quod piè credendum est, Virginem fuisse de facto tale instrumentum ad Incarnationem: Pobat ex Isichio Homil. 2. de Virgine. Ambros. Epist. 82. Bernardo Homil. 4. super *Missus est*. Sed respondetur, quod à Patribus B. Virgo vocatur instrumentum Incarnationis, quia cooperata est ad Incarnationem concipiendo humanitatem.

Dico, quod nec B. Virgo, neque aliqua creatura potest assumi, vt instrumentum physicum Incarnationis: Ita colligitur ex Scoto in 4. dist. 1. per totam, Vasq. disp. 25. Aluarez disp. 19. Hurtado disp. 6. difficult. 1. & loquendo de facto tenet Scotista recentior. Probatur, nam instrumentum debet habere, vt tale sit, inchoatam virtutem ad effectum, sed nulla creatura habet inchoatam virtutem respectu Incarnationis, ergo neque est instrumentum physicum.

Dices. quod potentia obedientialis creaturæ est quodammodo infinita, siquidem mensuratur ex Dei omnipotentia. Respondeo quod etiam attendenda est ex naturæ capacitate quæ finita est, nam potentia obedientialis actiua non datur distincta à naturali, vt dixi tractatu de visione, cum Scoto & aliis. Adde quod Sacramenta non sunt physica instrumenta gratiæ, sed moralia, neque esse possunt.

Dubitabis an sit aliqua causa dispositiua Incarnationis, & sermo est de causa habituali, nam de actuali & per modum meriti in difficultatibus sequentibus erit sermo. Prima sententia dicit gratiam habitualem esse præuiam dispositionem ad Incarnationem, ita noster Alex. & Bon. Gabriel, Paludanus, sed variant inter se, nam Alex. ait

esse dispositionem simpliciter necessariam, Palud. solum esse dispositionem moralem & congruam.

Nobis dicendũ est nullam gratiã præcessisse ad vnionem nec vt necessariam nec vt congruam ita Scotus in 3. dist. 2. quæst 2. §. *ad 2 argumentum*, Rada in 3. contro 4. art. 6 Faber disp 9. cap. 5. Suarez disp. o. sect. 2. Vasq. disp. 40. cap. 2. Aluarez Ragusa Hurtado. Probatur ratione Scoti: personalitas Verbi in illo instanti terminant humanitatem in quo terminaretur à propria personalitate, sed propria personalitate terminaretur antequamcũque dispositionem, ergò de facto nulla præcessit dispositio. Et confirmatur, quia natura priùs completur in esse substantiali & personali quàm accidentali, ergo cum talis gratia sit accidens, posterior est quam personalitas.

Pro prima sententia Obiic. Alens. nulla natura est capax subsistẽtiæ Verbi nisi quæ est capax gratiæ, ergo gratia requiritur vt dispositio. Respondeo negando antecedens, vt vidimus cap. 7. diff. 1.

2. Obiic. Palud. Nam congruum est quod quæ infinitè distant, media aliqua dispositione coniungantur, sicut disponitur intellectus medio lumine gloriæ ad videndum Deum. Respondeo quod benè poterat hoc fieri supernaturaliter, non tamen fuit congruum; Nam ordo naturalis postulabat vt humanitas priùs substantialiter compleretur propria vel aliena subsistentia quam reciperet accidens, præcipuè cum eodem modo manerent distantia Verbum & humanitas; neque exemplum est ad rem, nam lumen non requiritur vt dispositio ad visionem sed vt conprincipium efficiens, vt dixi Tractatu de Visione.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

VTRVM HVMANITAS Christi potuerit mereri substantiam Incarnationis.

DE fide est contra Origenem humanitatem Christi non præcessisse tempore Incarnationem, ac per consequens non meruisse illam per opera illo tempore elicita. Ita definitum est contra Nestoriũ Photinũ, & alios quos refert Lorca disp. 20. neque dubito quod potuerit mereri de congruo saltem si tempore præcesseri. Difficultas tantum erit de illo priori naturæ in quo existebat antè vnionem an meruerit vel potuerit mereri vnionem, supposito quod ad meritum requiritur quod opus sit ex auxilio supernaturali, & quod si sit condignũ, requiritur non tantum gratia habitualis sed pactum, & quod in valore æquiualeat præmio, vt dixi Tractatu de Merito.

Aliqui dixerunt humanitatẽ meruisse in illo priori naturæ suam vnionem. tribuitur Ambrosio Ausberto viro pio & docto, sed Lorca disp. 20. eum liberat ab hac sententia: sed indubitata est sententia humanitatẽ non meruisse talem vnionẽ, imò aliqui dicunt hoc esse de fide ex illo Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret*, sed vt optimè Vasq. disp. 21. ca. 1. iste locus & alij similes nõ loquuntur respectu humanitatis Christi, sed respectu nostri, & sicut nostra iustificatio est respectu nostri gratia, & respectu Christi merces, ita poterat esse in præsenti; propter quod dico nõ esse de fide, sed oppositũ nostræ sentẽtiæ erit temerarium, quippè contra torrentem Scolast. & Augustinum in Euchiridio cap. 36. dicentem, *quæ bona opera præcesserunt quibus meruerit iste homo, vt vna fieret persona cum*

Deo? & alibi sæpè apud Vasquez, & Lorcam citatos; & ratio est Augustini & Patrum, qui nulla opera cognouerunt in humanitate antè vnionem. Nam omnia vocant Theandrica, & Dei virilia.

2. Ratio est Scoti in 3. dist. 2 quæst. 1. §. *quantum ad secundum argumentum*, quia natura humana fuit à Verbo assumpta quando à propria personalitate erat terminanda, sed terminanda erat antè operationē, quia prius natura est subsistens quam operetur, ergo nulla de facto præcessit operatio.

Obiic. Psal. 44. *dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, &c.* quæ Verba intelliguntur de Christo, vbi per vnctionem intelligitur Incarnatio secundum plures Patres. Respondeo quod *ly propterea* secundum Augustinum, Anselmum, & Bedam, nō significat causam meritoriam, sed finalem, ac si dicat, Christus est incarn tus vt diligat Iustitiam &c. 2. Respondeo cum Hieronymo Epist. 240. quod *ly propterea* significat causam meritoriam, & est sermo de Christo, non de humanitate; tamen *vnctio*, non significat Incarnationem, sed manifestationem illius quæ facta fuit in Iordane & Thabore, ex Christi meritis. 2. Obiic. Apocal. 5. *dignus est Agnus qui occisus est accipere diuinitatem*, quæ verba intellexit Basilius de humanitate, dicens, *digna fuit vnigeniti diuinitati coniungi*. Respondeo quod si hæc verba intelliguntur de Christo, pro diuinitate intelligitur resurrectio, quæ facta est ex meritis Christi, vel manifestatio diuinitatis: *ly digna* in Basilio idem est quod decens & congruum.

Maior difficultas est, vtrum de potentia Dei potuerit humanitas mereri vnionem; 1. sententia negat. ita Suarez disputatione 10. sectione 3. Vasquez disp. 21. capite 6. Faber disp. 44. num. 56. Lorca disp. 20. Hurtado disp 6. difficult. 4. Montess. Aluarez, Cabrera, licet diuerso fundamento.

Dico hoc non implicare contradictionem, ita Caiet. 3. parte quæst. 2. art. 11. Alens. Bon. Palud. Rada 3. parte contro. 12. art. 3. dub. 1. Conclusione 3. probatur, quia nulla est contradictio quod in illo priori fuerit aliqua operatio voluntatis procedens ex gratia, cum in illo priori fuerit natura singularis & existens, nam personalitas tantum requiritur vt conditio, & non vt essentialis, nam ex Aristotele 1. Metaphysicæ, actiones sunt singularium, & tantum denominatiuè suppositorum: neque requiritur quod meritum præcedat præmium tempore nam sufficit prioritas naturæ, vt patet in merito iusti respectu augmenti gratiæ, quod meritum est simul tempore cum præmio.

Obiicit prima sententia 1. actiones sunt suppositorum, ergo vbi non est suppositum, vt contingit in illo priori, ergo neque actio. Maior probatur à Lorca num. 13. tam authoritate Aristotelis 1 de anima, quàm ex Damasceno. Respondeo omnia ista vera esse de facto, non tamen de potentia Dei absoluta. 2. probat Lorca, nam Ioannes Theologus, in Cōcilio Florentino sess. 18, dixit, *essentiam diuinam non generare, benè tamen Patrem, quia actiones sunt suppositorum*, & tamen nullus ex Concilio reclamauit, ergò est vera propositio. Respondeo quod loquebatur secundum suam sententiam, quam Græci, contra quos arguebat, fortè tenebant, quia tunc erat cōmunis sententia. ratio quare hęc propositio *essentia generat*, non est vera, est quia distingueretur realiter à Filio, nam generans & genitum realiter distinguntur.

3. probat, nam sequeretur Beatam Virginem non esse veram Matrem

Dei, nam generatio tantum ad naturam terminaretur & non ad personalitatem.

Respondeo quod sufficit quod in eodem instanti in quo generatur humanitas, vniatur Verbo vt dicatur Mater Dei, sicut homo generat hominem, & si non generet animam rationalem, sed in eodem instanti vniatur materiæ.

Obiic. Vasq. vel gratia humanitati data qua meretur, est data intuitu vnionis, & ita vnio præcedebat, ac per consequens nequit esse præmium: vel est concessa ex affectu adoptionis, & ita humanitas esset filia Dei adoptiua & non naturalis, quod est falsum. Respondeo quod potuit dari ex fine vnionis in intentione præuisæ, & etiam ex affectu adoptionis, quod non implicat, cum Christus sit filius Dei adoptiuus secundum humanitatem per gratiam habitualem, & non sit filius naturalis per vnionem, vt dicam cap. 19. difficult. 1.

3. Obiic. ordo naturæ est ordo causalitatis, ergo tantùm potest reperiri inter causam & effectum, sed talis operatio nequit habere rationem causæ respectu vnionis, ergo. Respondeo negando minorem, nam in tali casu illæ operationes essent causæ meritoriæ vnionis.

Petes quodnam meritum esset hoc? Respondeo quod ex pacto Dei poterat esse condignum, nam pactum addit valorem, vt dixi tractatu de Merito.

Petes 2 si humanitas potuit hoc mereri, quare non dicimus de facto meruisse cùm cedat in gloriam Christi? Respondeo quia Patres & Theologi hoc negant de facto, quia nullum est ad affirmandum fundamentum; rursus conueniens est vt humanitas antequam operetur, constituatur in ratione personæ.

DIFFICVLTAS TERTIA.

AN CHRISTVS MERERI potuerit substantiam Incarnationis.

SVPPONO de facto Christum non meruisse substantiam suæ vnionis, nam vnio hypostatica, est principium omnis meriti Christi, & principium meriti non cadit sub merito; nam secundum Augustinum, vt vidimus difficult. 2. Incarnatio sub nullis meritis cadit: meruit tamen Christus de condigno reunionem in Resurrectione, & partiales vniones, quæ per nutritiones quotidianas fiebant, nam ad hoc merendum, fuerunt opera Christi sufficientia & præcedentia; & credibile est pactum Dei non defuisse, Ita Suares disp. 10. sect. 4. Qui Suarez loquendo de possibili, ait, quod si Incarnatio sumatur in intentione, non potest cadere sub meritum, quia meritum neque in duratione, neque in præscientia Dei fuit ante hanc intentionem; Si vero sumatur in executione, & vt in tempore executa; potuit à Christo mereri, quia merita Christi fuerunt in præscientia antè hanc executionem, idem docet Becanus cap. 14. quæst. 6.

Nobis dicendum est neque executionem potuisse mereri Christum. Ita Medina, Aluarez, Hurtado disput. 6. difficult. 4. Vasq disp. 21. cap. 5. & 6. Lorca disp. 20. num. 23. Cabrera quæst. 2. art. 11 Montess. &c. Probatur 1. ex Augustino de dono perseuerantiæ cap. 15. *eadem gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus qua gratia ab initio homo ille factus est Christus*, sed homo fit Christianus absque meritis, ergo & Christus absque meritis est Christus, & ratio Augustini est, quia

Christus fuit priùs quàm eius meritum; quæ ratio nihil valeret, si in intentione posset mereri executionem, nam tunc non requireretur quod Christus esset priùs.

2. Probatur, quia distinctio illa intentionis & executionis ad explicandum illud axioma, scilicet *principiũ meriti non cadit sub meritum*, est inutilis; nam Incarnatio in intentione non est principium meriti, sed in executione. Probatur, eodem modo Incarnatio potest esse principium meriti, quo est principium actionis meritoriæ, sed tantum in executione est principium actionis meritoriæ, nam nihil præuidetur operari nisi prius præuideatur esse; sed in intentione non est præuisa vt existens, & vt possit esse causa efficiens sed tantum vt causa finalis, sicut quandò à Medico intenditur potio amara propter sanitatem sanitas non respicitur à Medico, quia est, sed vt fit: Sic similiter, licet Deus intendat merita Christi, & propter merita vnionem; non poterant merita influere, quia non intenduntur, quia sunt, sed vt sint; Ergo hæc intentio non sufficit ad merendam executionem.

Respondet Suarez quod merita intenta iam sunt efficaciter à Deo volita & ita sunt à Deo præuisa. Sed contra, quia ex hac doctrina sequitur, quod decretum intentionis & executionis in Deo, non distinguantur, quod est contra ipsum Suarez. Distinguitur decretum intentionis à decreto executiuo, nam decretum intentionis dat esse virtuale rebus; decretum executiuum dat esse actuale & formale, & in actu exercito, & donec ita sint opera Christi non mouent efficienter, & vt meritum vt illis præmium a Deo retribuatur, sed tantum mouent finaliter, & causa finalis non est meritoria.

3. Probatur à Vasq. quia si potuit, nulla est ratio quare de facto Christus non meruerit, sicut in sententia Suarez meruit partiales vniones.

4. Quando prædestinatio alicuius fit gratis, necesse est vt saltem primũ mediũ gratis conferatur; nã, quia nostra prædestinatio ad gloriam fit gratis, ita prima vocatio gratis datur; Et si in executione nostræ prædestinationis, nullus alius effectus esset quàm ipsa donatio gloriæ, non posset esse ex meritis nisi prædestinatio etiam esset ex meritis: & ratio est, quia efficax prædestinatio est intentio efficax, quæ necessario infert executionem; quare prædestinatio gratuita necessario infert executionem gratuitam; sed secundum Suarez intentio Incarnationis est gratuita, quia nullum aliud medium est prius ipsa Incarnatione executa.

Obij. Suarez, quia merita Christi solum intenta, influxerunt in gratiam sanctorum Patrum; ergò similiter, vt sic præuisa, sufficiunt vt executionem mereantur eiusdem Incarnationis. Respondeo negando antecedens; nam non tantum in intentione, sed etiam in executione erant prius præuisæ quàm præuideretur gratia antiquorum Patrum, quæ executio præuisa necessaria erat vt talia opera essent causa meritoria.

2. Obiic. nostra prædestinatio in intentione facta est ante præuisionem meritorum, & in executione dependet à meritis, ergò similiter potest contingere in Incarnatione. Respondeo quod executio nostræ prædestinationis dependet à meritis executis, non tantum vt intentis, vt essent merita Christi si mererentur executionem Incarnationis.

Dico secundò contra Suarez, merita Christi futura & subsequentia In-

carnationem, non potuerunt esse causa Incarnationis tanquam solutione anticipata, & per modum pretij & solutionis. Ita Lorca numero vigesimo-quinto, Rada tertia parte controu. 12. articulo secundo dubio quarto. Colligitur ex Scoto in tertio dist. 19. sub litera, d, & in quarto dist. secunda quæstione prima § *ad primum*, versiculo, *ad tertium*, vbi ait, quod in *vniuersis operibus Dei non sit aliquod opus mera gratia, nisi sola Incarnatio filij Dei.* Et in secundo distinctione quinta quæst. prima §. *in ista quæst.* tenet expresse hanc sententiam. docet Faber in tertio disput. quadragesima-quarta capite 5.

Probatur primò ex Augustino de correctione & gratia capite vndecimo. *Nec enim quisquam tanta rei huius & fidei cæcus est ignorantia; vt audeat dicere quamnis de Spiritu Sancto & Virgine Maria, filium hominis natum; liberum tamen arbitrium bene viuendo, & sine peccato bona opera faciendo meruisse vt esset Dei filius.* Ratione Scoti in secundo probatur, nam sequeretur nos posse mereri primam vocationem, quia Deus prius ratione præuidit nostra merita vt intenta efficaciter, quàm in executione decerneret dare auxilia ad exequenda talia merita (& hoc in sententia Suarez dicentis Deum prædefinire nostra bona opera efficaciter in intentione) ergò si merita tantum intenta influere possunt meritoriè, ergò intuitu illorum poterit Deus primam gratiam solutione anticipata dare tanquam premium: Quod licet Suarez non iudicet inconueniens, iudicatur tamen communiter; nam Patres agentes contra Semipelagios de necessitate gratiæ, non tantum docent primam vocationem non cadere sub meritum, sed neque cadere posse; nam aliter non poterant deffendere necessitatem gratiæ ad benè operandum, Semipelagiani etenim Respondere poterant esse necessariam sanctam cogitationem, sed datam non gratis, sed ex meritis subsequentibus præuisis & intentis ipsius hominis.

Dices quod Patres tantùm merita antecedentia vocationem excludebant. Respondeo verum esse, quia de illis tantum prudenter iudicabant posse esse dubium, nam de subsequentibus, quorum gratia erat principium, supponebant vt certum, non posse sub illis cadere vocationem, quia principium meriti non cadit sub meritum.

Secundò contra Suarez probatur si potuit Christus mereri suam vnionem; vnde constat non meruisse? Et si potuit esse Incarnatio sub conditione & intuitu meritorum subsequentium, vnde constat non ita factam fuisse.

Sed Obiicit Suarez, posset Deus dare vnionem humanitati sub conditione futurorum operum, & in præmium eorum, per modum solutionis anticipatæ, (verbi gratia) si Rex daret equum militi non absolutè, sed sub conditione, quod cum illo pugnet, ita quod pugna mereretur equum, in quo casu solutione anticipata daretur premium scilicet equus. Respondeo negando antecedens absolutè, ratio est quia meritum est causa efficiens moralis præmij, ergo premium quod in præsenti est Incarnatio, non potest esse causa meriti, aliàs effectus esset causa efficiens suæ causæ efficientis, quod est impossibile, & præcipuè cum vtraque sit causa efficiens moralis. Exemplum non valet, nam pugna futura militis non est causa meritoria entitatis Equi, qui est cau-

Q.

sa simul cum industria militis pugnæ futuræ, quæ pugna tantum est causa meritoria dominij Equi, non primæ donationis, & per accidens est ad pugnam, quod miles habeat dominium, vel non Equi. At verò merita Christi secundum Suarez sunt causa meritoria entitatis Incarnationis, & hæc Incarnatio est principium meritorum Christi, & esse simul causam & effectum est impossibile. Ex quo patet quod licet per talia opera non potuerit Christus mereri primam collationem vnionis; benè tamen continuationem illius: vel secundo respondetur quod concipitur sub conditione & non absolutè futurum, non potest mouere vt causa moralis ad conferendum premium reale & absolutè & ita in exemplo adducto bonus vsus equi se habet vt finis, quem Rex intendit consequi, media equi collatione, quæ est pretium quo intendit Rex comparare bonum vsum Equi, non è contra.

Secundò, Obiic. premium potest antecedere meritum, nam gratia data sanctis Patribus antecessit merita Christi, & fuit premium ipsorum meritorum; ergo licet Incarnatio sit prior, potest esse premium meritorum Christi. Respondeo quod licet premium possit esse ante meritum exhibitum in re, nequit tamen premium esse principium merendi seipsum; propter quod Incarnatio quæ est principium meritorum Christi, nequit esse premium ipsorum meritorum, quæ merita fuerunt causa gratiæ antiquorum Patrum, tamen hæc gratia non fuit principium meritorum Christi.

Tertiò, Obiic. Christus per gratiarum actionem reddidit Patri æquale pro beneficio Incarnationis, ergò potuit per eandem gratiarum actionem mereri Incarnationem, data hypothesi quod Deus sic ordinaret. Respondeo quod gratiarum actio non tantum præsupponit beneficium acceptum, sed potest ab illo procedere, vt cum quis agit gratias pro beneficio creationis: tamen meritum non potest procedere à premio tanquàm à ratione merendi, nam gratiarum actio non causat beneficium, sicut meritum causat premium.

Quæres an Christus meruerit conseruationem suæ vnionis? Vasquez disputatione septuagesima octaua, numero 10. Lorca disputatione septuagesima-quinta, numero nono, Becanus capite decimo quarto, quæstione sexta Hurtado disputatione decima-quarta difficultatione decima. Montess. &c. negatiuè respondent. Nihilominus dico cum Suarez disputatione decima sectione decima - quarta Christum illam meruisse, ratio est quia est possibile, nam prima opera Christi erant digna tali premio, & nulla est repugnantia vt illud mereantur, & cecidit in gloriam Christi, ergo est illi concedendum.

Dices primò vnio vt primò collata fuit absque meritis & ex natura sua est perpetua, ergò continuatio fuit absque meritis. Respondeo quod licet prima collatio non fuerit ex meritis, quia est principium illorum, tamen cum conseruatio illius præsupponat merita, optimè potuit dependere ab illis:

Dices secundò, ergo etiam continuatio gratiæ & gloriæ Christi fuit ex meritis ipsius. Respondeo, libenter fateor, de quo capite de merito Christi.

Dices tertiò, conseruatio vnionis est eiusdem rationis cum ipsa vnione, ergo tenet se ex parte principij, ac per consequens non potest cadere sub

meritum. Respondeo, id quod meretur non est ipsa vnio, vt est principium meriti, sed conseruatio, quæ non est principium primæ operationis Christi, sed illam supponit, & ab illo instanti in quo vnio supponit operationem est principium illius.

DIFFICVLTAS QVARTA.

VTRVM ANTIQVI PATRES meruerint, vel mereri potuerint substantiam Incarnationis.

NOMINE antiquorum Patrum intelligimus iustos qui Christi aduentum præcesserunt, & suppono omnem gratiam tam actualem quàm habitualem, illis datam esse ex meritis Christi: Quo supposito circa factum, est prima sententia dicens, Patres de facto meruisse de congruo, executionem Incarnationis, Ita Medina, Valentia, Aluarez, Suarez disputatione decima, sectione sexta, Ragusa quæstione secunda, articulo vndecimo, & probabilem iudicat Montess.

Nobis dicendum est Patres nec de congruo meruisse substantiam Incarnationis. Ita Scotus in quarto, distinstione secunda, quæstione prima §. *ad primum* Bonn. Vasquez disputatione vigesima-secunda, Lorca disputatione vigesima - prima. Ratio est, quia principium meriti non cadit sub meritum adhuc congruum, sed Incarnatio est principium meritorum Patrum; ergo talia merita non possunt eandem Incarnationem mereri.

Sed variè respondent aduersarij, primò quòd Christus fuit causa finalis gratiæ Patrum, merita verò Patrum fuerunt causa efficiens moralis & meritoria Incarnationis, & benè stat quod causa finalis alicuius sit effectus eiusdem in genere causæ efficientis.

Sed contra obiicit Lorca quia sequeretur vel Christum non esse causam meritoriam gratiæ Patrum, quod est erroneum, vel causam finalem esse causam meritoriam, quod est contra Scolasticos & Patres; Nam sequeretur hanc propositionem esse veram, *Antiqui Patres meruerunt vt Christus mereretur*, sicut ista est vera, *infirmus curatur vt sanetur*, & istam esse falsam, *quia Christus habiturus erat merita, Patres meruerunt*, sicut ista esset falsa, *infirmus curatur, quia sanandus.*

Secundò, Alij respondent, tantum esse inconueniens quod principium meriti, cadat sub meritum de condigno, non verò sub meritum de congruo. Sed contra quia nullo modo potest idem esse causa sui ipsius siue de congruo siue de condigno. Alij dicunt quod licet Incarnatio in intentione non possit mereri à Patribus, benè tamen in executione. Sed contra, quia Incarnatio in executione fuit principium meritorum Patrum, nam vt sic fuit præuisa, & nisi præuideatur absolutè futura, non potest esse principium, ergò vt sic non potest esse effectus.

Quartò, Respondet Montess. quod Incarnatio dupliciter considerari potest, primò vt erat futura & præuisa & à Deo acceptata, & vt sic, fuit principium gratiæ Patrum qui præcesserunt aduentum Christi, secundò vt in executione, & vt sic, fuit principium totius gratiæ & meritorum quæ fuerunt simul cum Christo, & post ipsum: inquit, autem quod Patres non meruerint futuritionem Incarnationis, sed executionem, quæ non non fuit principium meritorum eorum,

nam principium tantum fuit Incarnatio futura præuisa. Sed contra, quia secundum Montesl. merita vt futura sunt tantum in intentione, & vt sic tantum est causa finalis; at causa meritoria, est efficiens, ergo merita in intentione non sunt principium gratiæ Patrum, sed merita executa, ac per consequens idem erit principium & effectus, quod est impossibile.

Secundò ex opposita sententia sequeretur Patres meruisse redemptionem generis humani, nam merendo Incarnationem, merentur in radice omnes effectus qui ex illa deducuntur, ac per consequens mererentur suam redemptionem, & primam gratiam, neque Incarnatio respectu illorum esset gratia & misericordia, sed gratitudo vel alia virtus, quod est falsum. Ita etiam arguebat Augustinus contra Semipelag. Respondet Montesl. quod non sequuntur hæc omnia, quia facienda erant per opera libera Christi, & quod est causa causæ, non est causa causati, si causatum non sequitur necessario ex causa. Sed contra nam hæc solutio falsa est, alias Christus non meruit nobis bona opera, merendo gratiam & auxilia: probatur nam nostra bona opera liberè éliciuntur à nobis, adhuc positis gratia, & auxiliis.

Tertiò, ex opposita sententia sequitur, quod si Patres nullum habuissent meritum, Christus non venisset quod est falsum: Patet, quia aduentus Christi dependebat à meritis Patrum, ac per consequens Christus fuit illis debitor. Respondet Montesl. non esse Christum debitorem, quia Patres tantum præstabant obsequium Deo, & meritum illorum erat de congruo. Sed contra quia licet non esset debitor ex iustitia, quia meritum non erat condignum, tamen erat debitor aliquo modo, & debebat illis gratias agere quod est inconueniens.

Obiicit prima sententia Isayæ sexagesimo - quarto, *vtinam disrumperes cælos*. Et Psalmo trigesimo - secundo, *fiat misericordia tua Domine super nos, &c.* vbi Glossa ait, desiderium Incarnationis, & meritum adimpletionis ostendi. Ex quo colligitur, Patres postulasse non accelerationem, sed executionem Incarnationis. Respondeo cum Vasquez Patres non postulasse Incarnationem, quam certam esse de fide credebant, sed Christum videre: Quod si eorum desiderium non fuit expletum, nihil inconuenit, quia meritis desiderii Patres non carebant. Vel secundò Respondeo quod meruerunt aliquas circunstantias. Vel tertiò, Respondeo quod meruerunt quod Deus complaceret in tali decreto.

Loquendo de possibili, noto quod si gratia data Patribus non sit ex meritis Christi, sed ex Dei liberalitate, quod potuerint Patres mereri Incarnationem de condigno, si Deus acceptaret opera illorum ad hûc effectum, nam pactum Dei tribuit operibus valorem, vt dixi Tractatu de Merito. Difficultas tantum est, si Patres habeant gratiam ex meritis Christi, vt de facto habuerunt, vtrum de potentia Dei potuerint Incarnationem mereri tam de congruo quàm de condigno. Aliqui dixerunt potuisse Patres mereri Incarnationem ex Dei ordinatione, quod limitant Medina quæstione secunda articulo vndecimo: Suarez disputatione decima Ragusa disputatione quadragesima-tertia ad meritum de condigno im-

perfectum; quia licet promissione Dei accresceret valor operibus Patrum, non tamen æqualis esset Incarnationi.

Nobis dicendum est, non potuisse Patres mereri Incarnationem, neque de cōdignō, neq; de cōgruo. Colligitur ex Scoto citato, tenet Vasq. disp. 22. cap. 1. Aluarez disp. 17. Montess. &c. fundamentum est, quia adhuc de potentia Dei principiū meriti non cadit sub meritum, cum ergo Incarnatio sit principium meritorum Patrum, non poterit esse pręmium eorumdem. Fundamentum & rationes primæ sententiæ, tantùm probant potuisse hoc fieri, si gratia data patribus non esset ex meritis Christi, quod fatemur.

DIFFICVLTAS QVINTA.

An Christus meruerit Incarnationis circumstantias?

PRo intelligentia, noto cum Recentioribus, quod circumstantiæ aliæ sunt antecedentes, aliæ concomitantes, & aliæ consequentes. Loquendo de subsequentibus, vt sunt adorari à Magis, visitari à Pastoribus, laudari ab Angelis, omnes conueniunt contra Vincentium *de gratia Cristi*, quæ. 5. art. 3. dubio 2. Christū mereri tales circumstantias. Difficultas est de aliis. Circumstantiæ antecedentes sunt, vt quod Incarnatio sit prædicta à Prophetis, annuntiata ab Angelo, quod Christus descendat ex stirpe Dauid & Abraham. Concomitantes sunt, vt esse factum tali loco, tali tempore, ex fæmina Virgine.

Prima sententia est Suarez, disp. 10. sect. 4. dicentis, quod si tales circumstantiæ considerentur, prout sunt excellentiæ aliorum, vt quod Virgo conceperit remanens Virgo, & quod Angelus annuntiet, illas meruit Christus; si verò considerantur, vt sunt quodammodo vnum cum ipsa vnione, illas non meruit.

Nobis dicendum est, cum Vasq. disp. 21. cap. 8. Hurtado disp. 6. difficult. 5. Montess. Christum meruisse omnes circumstantias, quæ per accidens se habuerunt ad Incarnationem, quæ vero se habuerunt per se, & ex parte principij fuerunt necessariæ, has non meruit (verbi gratia) non meruit quod vnio fieret Verbo, non Patri, neque Spiritui sancto. Probatur, nam quod per se non est requisitum ad Incarnationem, potest cadere sub meritum secutum ad eandem Incarnationem, & credibile est, quod Deus ad omnia possibilia pręmia, ordinauerit opera Christi, cum sint summi valoris; ergo omnia illa meruit: non tamen potuit mereri, quæ per se & necessario requisita erant ad Incarnationem, quia principium meriti non potest cadere sub meritum, nam esset causa & effectus respectu eiusdem, quod est impossibile, vt sæpe dixi.

Obiicies homines non merentur, id quod tempore antecessit eorum merita, ergo neque Christus circumstantias antecedentes. Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam, differentia est, quia cum opera Christi Domini sint summa, sunt ordinabilia ad præmium quodcumque; neque quod antecedant ad meritum obstat, nam etiam gratia antiquorum Patrum præcessit, & promerita fuit à Christo; nostra verò merita tantum ad gratiam & gloriam, & ad alia subsequentia ordinantur, cum sint limitati valoris.

Sed dubium est, quæ sint circumstantiæ per se necessariæ? Quidam ex nostris dicit, quod omnes illæ sunt necessariæ, quæ de facto influunt in

Incarnationem, licet si aliæ causæ eiusdem rationis influerent, esset eadem Incarnatio, propter quod vocatur causæ per accidens (verbi gratia) Si Christus produceretur ex alia Matre, licet esset idem Christus, ac per consequens per accidens est ad esse Christi, quod Maria fuerit eius Mater; tamen quia de facto fuit Mater, vocat causam per se, & hanc circumstantiam, & alias huiusmodi docet Christum non mereri. Ego verò existimo Christum de facto meruisse tales circumstantias, quas censeo esse per accidens. Probo, nam si Incarnatio Christi, & eius merita non dependent essentialiter & per se à talibus circumstantiis, ergò potuerunt à Deo videri futura sine talibus circumstantiis, ergo potuerunt circunstantiæ tales mereri, talibus meritis, cum potuerint posteà circumstantiæ decerni, ergo fuit ita de facto cum cedat in honorem, & excellentiam Christi.

Sed obiicit Scotista, quod est principium de facto alicuius rei (etiam si per accidens sit; quod de facto sit principium) nequit simul esse effectus eiusdem rei, sed tales circumstantiæ de facto sunt principium Incarnationis Christi & meritorum eius, ergo non possunt esse effectus, ac per consequens neque præmium, nam hoc est effectus meriti. Respondeo verum esse quod principium Physicum alicuius rei non potest esse effectus Physicus talis rei; benè tamen effectus moralis, nam ista non sunt opposita, causa physica, & effectus moralis. Neque obstat quod principium Physicè antecedat, nam moraliter subsequitur, siquidem gratia Patrum antecedit Incarnationem, & moraliter illam subsequitur, siquidem est effectus meritorum Christi, nam, vt dixi, potuit Deus decernere effectum, non decreta causa à qua essentialiter non dependet: à talibus autem circumstantiis per accidens, vt est efficiens, tempus, locus, non indiuiduatur Christus, vt dixi primo Physic. & secundo de Generat. cum Scoto; & etiam tenet in secundo dist. 20. quæst. 2. & loquendo de filiatione Christi in 3. dist. 8. Littera. d. & D. E. quæ doctrina habet non paruam difficultatem in sententia Vasq. & aliorum dicentium ab his circumstantiis fieri indiuiduum, non verò in sententia Suarez qui nobiscum sentit de vita Christi, disp. 12. sect. 3. nequaquam ab illis indiuiduari.

DIFFICVLTAS SEXTA.

An beata Virgo meruit maternitatem Dei.

PRIMA sententia dicit Beatam Virginem non meruisse Maternitate, neq; de cōdigno, neq; de cōgruo. Ita S. Tho. 3. parte, quæst. 2. art. 11. ibi Cælius & Ragusa, Sotus *de iustitia & iure*, quæst. 1. art. 4. probabilem iudicat Lorca disp. 22. conclusione 3. dicens, conclusione prima, quod tantùm meruit de condigno illum gradum sanctitatis quo aptata fuit, vt esset conueniens Mater Dei: tenet quidam ex nostris citans Scotum in 4. dist. 2. quæst. 1. §. *ad primum argumentum*, immeritò tamen, nam hæc sunt Scoti verba, *quia si tempore conceptionis præcesserunt aliqua merita Mariæ, tamen non erant bona absolutè respectu Incarnationis, sed fortè accelerationis.* Vbi non agit de Maternitate.

Propter quod, magis placet sententia dicens, Beatam virginem meruisse suam Maternitatem. Ita communiter Auctores, diuus Bonau. Almainus, Abulensis, Suarez disp. 10. sect. 8. Vasq. disp. 23. cap. 4. Hurtado disp. 6.

difficult. 9. Montes. Probatur 1. ex illo Ecclesiæ, *quia quem meruisti portare.* Secundò ex Patribus à Vasq. cap. 2. Lorca num. 2. relatis; Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Gregorio, Bernardo dicentibus B. Virginem propter vitæ puritatem meruisse gignere Christum.

Respondet Lorca quod loquuntur de merito improprio, & pro coaptatione ad talem dignitatem, nam si propriè verba Patrum sunt intelligenda, debent intelligi de merito de condigno, nam sæpè vtuntur nomine hoc dignum & condignum.

Sed contra 1. quia quando nullum est inconueniens, verba Ecclesiæ & Patrum in rigore sunt explicanda, cum verò intelligere de merito proprio non sit incõueniens, & sit explicare de merito de condigno, vt videbimus, de merito proprio sunt intelligenda. Secundò quando est sermo de merito intuitu operum, vt loquitur Gregorius 1. Regum cap. 1. de merito proprio est explanandus, aliàs nullum esset fundamentum, vt dicamus iustos propriè mereri gloriam.

Secundò respondet Scotista, quod Ecclesia & Patres loquuntur de obsequiis, quæ matres præstant filiis, vt est in vlnas portare, lactare, &c. Nam Ecclesia ait, *meruisti portare dignum filij habitaculum.* Sed contra 1. quia voluntariè limitatur tale habitaculum; cum absolutè dicatur, & sit habitaculum ab initio conceptionis. Secundò, quia plures Patres loquuntur de Maternitate ipsa, nimirùm gignere Christum.

Secundo ratione probatur, nam Maternitas Virginis fuit dependens à consensu Virginis, nam secundùm Patres, si Virgo non dixisset, *Ecce ancilla Domini*, ex vi præsentis decreti Verbum non fieret homo, ergo. Respondent quod talis cõsensus non fuit causa meritoria Maternitatis, sed tantum conditio sine qua non. Sed contra primò, quia cum sit actio libera bona, ad talem Maternitatem ordinata, nihil deficit ad meritum Maternitatis.

Secundò etiam dices nostra opera non esse merita, sed conditionem ad gloriam, quod est plusquam falsum.

Tertiò probatur, hæc est Virginis dignitas, & non implicat, ergo illi concedenda. Probo non implicare, nam hæc numero Maternitas non est per se requisita, vt sit idem numero Christus, nam idem numero Petrus esset, si produceretur à Maria, vel à Catharina, ergò potuit Deus decernere in executione prius hanc Incarnationem numero cum meritis, quæ de facto habuit Christus, & intuitu ipsorum dare gratiam & merita Virgini, priusquàm decerneret hanc numero Maternitatem; ergo potuit Christus talem circunstantiam mereri, & similiter Virgo ex gratia exhibita ex Christi meritis, & congruum est, vt priùs decernerentur merita, & gratia Virginis, vt tali fœminæ tot gratiis ornatæ, decerneretur Maternitas, vt communiter dicunt Ecclesia & Patres, nempè *dignum habitaculum.*

Neque obstat responsio Lorcæ, quod istæ locutiones tantùm denotant antecedentiam temporis non causalitatis; Nam priùs tempore Virgo fuit tot gratiis ornata quam Mater Christi. Nam contra est, quia verba vtramque antecedentiam significant; ergo cum cedat in Virginis gloriam ita debemus intelligere.

Secundò respondet Scotista, quod licet ratione actionis maternæ, possit esse ab alia Matre; tamen ratione formalis actionis emanatiuæ, seu generatricis Christi, non potuit esse ab alia numero Matre, quia vt sic est relatio

prædicamentalis, quæ oritur ab hac numero Matre, & terminatur ad hunc numero filium Christum, & ita decretum executiuum Incarnationis huius; necessario respicit hanc numero causalitatem. Sed contra, quia illa relatio prædicamentalis cum resultet ex positione termini non spectat ad rationem essentialem illius, & ita siue sit eadem, siue diuersa, non variat terminum productum; & ita optimè poterit definiri terminus, quin definiatur Mater à qua terminus dependet, licet interim relatio, quę posteà resultat non possit esse eadem si varietur Mater, de quo non curo.

Pro prima sententia obiicit Lorca Bernardum, Hieronymum & Fulgentium, lib. 1. de Incarnatione cap. 7. dicentes, Beatæ Virgini non fuisse concessam Maternitatem ex meritis, sed ex gratia. Respondeo Patres loqui de meritis ex libero arbitrio, vt patet ex Fulgentio dicente, *Deum hominem factum concipere & parere, non humanis meritis, sed ipsius nascentis, summaque Dei dignitate promeruit.*

Dices, quod merita ex viribus naturæ non sunt merita; ergo cùm Patres loquuntur de meritis, intelligendi sunt de meritis veris. Respondeo, quod in sensu prædicto loquuntur Patres, vt patet ex contextu, præcipuè Hieron. qui loquebatur contra Pelagianos.

Secundo obiicies, relatio Maternitatis supponit per se quod Beata Virgo exercuerit aliquam causalitatem in humanitatem Christi, ratione cuius sit Mater Christi, causatio ista antecedit Christum, ergo non potest esse præmium meritorum Christi, ac per consequens, nec meritorum prouenientium ex gratia data ex meritis Christi, vt fuerunt merita Mariæ. Respondeo cum Vasq. negando consequentiam, nam eodem modo humanitas Christi poterat esse existens sine tali causalitate Virginis, & ita fuit decretum de existentia humanitatis, & eius meritis pro tunc, non decernendo Matrem, neque causationem, nam ista per accidens se habent ad humanitatem, cum eadem manere possit, etiam si sit altera Mater.

Sed vrgentissime obiicit Lorca, quia licet de per accidens sit, quod humanitas dependeat ab hac Matre, tamen per se & essentialiter est, quod ab aliqua causa dependeat cum sit creatura; Rursus per se etiam est, quod talis causa sit ante humanitatem & eius opera, sed causa à qua modo de facto dependet est Virgo hæc, per hanc actionem; ergo de facto hæc actio, & hæc Maternitas, præcedunt humanitatem & eius merita; ergo merita huius humanitatis non possunt mereri illam Maternitatem, neque Virgo ex meritis habitis ex gratia Christi. Secundò gratia antiquorum Patrum per accidens fuit ex meritis Christi, cum eadem numero poterat dari liberaliter à Deo sine Christi meritis; ergo sicut ex eo tantum, quod de facto gratia illa dependet ex meritis Christi, quamuis per accidens, colligimus Incarnationem non cadere posse sub merita Patrum, vt diximus difficult. 4. similiter ex eo tantùm, quod humanitas Christi pendet ex hac Matre, etiam si per accidens, colligere debemus talem Maternitatem non posse cadere sub merita Christi, nec sub merita Virginis elicita ex gratia per Christum.

Ad primum respondeo quod duplex respectus reperitur in quolibet effectu; vnus est inseparabilis, & sine quo intelligi non potest, & est ad Deum, vt dantem esse, nam eo ipso quod intelligitur à parte rei existens, intelligitur habere dependentiam ad Deum. Alter est ad suam causam efficientem,

cientem, & iste est realiter distinctus ab effectu, cum idē effectus (verbi gratia) Petrus potest esse, siue producatur à Francisco, siue ab Antonio. Ad rem, ergo sine primo respectu, & sine actione antecedenti, impossibile est intelligere talem effectum, ac per consequens talis effectus non potest esse principium merendi talem actionem antecedentem, benè tamen potest effectus intelligi, sine secundo respectu, ac per consequens talis effectus potest esse principium merendi talem respectum, siquidem potest Deus decernere, quod talis effectus producatur à tali, vel tali causa, (verbi gratia) quod Christus sit à Deo dependens, & habeat talia merita, & postea decernere quod sit filius talis matris, sicut potest Deus Petrum prædestinare ad gloriam, quæ consistit in actu fruitionis, & posteà decernere, quod talis Petrus sit filius Francisci. quam doctrinam colligo ex Scoto in 2. dist. 20. quæst. 2. & in tertio, dist. 8. litera, D. & E.

Ad secundum responderi potest differētiam esse, nam gratia antiquorum Patrum fuit principium suorum meritorum, quatenus data ex meritis Christi, & non per accidens, & sic non est mirum, quod non potuerit esse principium merendi Incarnationem: at verò humanitas Christi non fuit principium suorum meritorum pro vt pendebat ex Virgine, sed tantum pro vt dignificata per vnionem cum Verbo, & sanctificata per gratiam habitualem, & ideò Maternitas per accidens iungebatur cum principio meritorum Christi & Virginis, ac per consequens poterat cadere sub meritum Christi & Virginis.

Addo, & fortè melius, quòd gratia antiquorum Patrum fuit data ex meritis Christi, in quo includitur humanitas vnita Verbo, vt principium merendi, ac per consequens non potest esse præmium; At verò gratia Virginis non fuit data ex meritis Christi, includendo in ipso Christo Maternitatem, sed potius abstrahendo ab ea vt ab extrinseco: & sit exemplum, Christus non meruit executionem suæ vnionis, & tamen meruit tempus, in quo exequenda erat, quia executio est causa per se meritorum; at verò tempus est per accidens cum sit circumstantia.

Tertiò obiicies, impossibile est aliquem mereri relationem, nisi mereatur positionem fundamenti & termini; sed Beata Virgo non meruit Christum esse, aliàs mereretur Incarnationem; neque productionem ipsius Christi, quæ est fundamentum vel ratio fundandi, nam qui non meretur terminum, neque productionem termini, ergo Beata Virgo non meruit relationem Maternitatis. Probatur maior, nam cum relatio ista necessario resultet ex fundamenti, & termini positione, impossibile est mereri relationem nisi extrema mereantur. Respondeo negando maiorem & probationem, quo ad terminum; Nam, vt dixi Tractatu de Gratia, peccator meretur de congruo fieri filium adoptiuum Dei, & tamen non meretur Deum existere, & beatitudinem meretur iustus quæ non est, nisi Deus sit, & tamen non meretur Deum esse; sufficit mereri fundamentum proximum vel conditionem fundandi; scilicet concipere de Spiritu sancto, & parere sine corruptione, & quod sua proles esset Filius Dei; Et supposito quod Filius Dei futurus esset homo, esset filius Virginis; Et supposito quod futura esset vnio hypostatica Verbi, quod esset ad humanitatem genitam ex suis visceribus, in quibus consistit formaliter mereri Maternitatem.

Petes an Beata Virgo meruerit electionem Maternitatis, hoc est mater-

nitatem in intentione. Valentia disp. 2. quæst. 2. puncto 8. Vasq. disp. 23. cap. 4. Respondent affirmatiuè, fundamentum est, quia idem ordo est inter actus diuinæ voluntatis, qualis est à parte rei inter obiecta, sed à parte rei merita Virginis præcesserunt Maternitatem, ergo in præuisione præcesserunt electionē ad illam. Respon. quod hi Auctores tantù mconsiderant ordinem causæ efficientis, & executionis, in quo merita sunt priora quàm Maternitas, sed in ordine intentionis, de quo loquimur, & in genere causæ finalis, prius est Maternitas quia finis, & ita non potest mereri.

Propter quod dico cum Suarez disp. 10. sect. 8. Montessinos conformiter Scoto in 1. dist. 40. §. *ad quæst.* & dist. 41. §. *potest aliter*, Virginem non meruisse suam electionem. Probatur, nam ordinatè volens prius vult finem quàm ea quæ sunt ad finem, sed Maternitas est finis, merita Virginis media, ergo Deus priùs vult Maternitatem, ergo nequit talis intentio cadere sub merita Virginis. Respondet Vasq. sufficere, quod præcedat voluntas inefficax finis. Sed contra, quia electio mediorum supponit intentionem efficacem finis, nam nullus à parte rei ponit media nisi propter finem efficaciter intentum.

Obiicies Ambrosium Epistola 81. & Basilium dicentes Virginem meruisse, vt esset electa Mater Dei. Respondeo adhuc cum Vasq. quod loquuntur de Maternitatis executione, sicut iustus quilibet meretur executionem gloriæ, non electionem.

Petes secundo, an fuerit Beata Virgo priùs prædestinata ad Maternitatem quàm ad gratiam & gloriam? Suarez, Vasq. & Montess. citati dicunt, quod priùs ad Maternitatem. Nobis dicendum iuxta dicta cap. 4. difficult. prima priùs ad gloriam & gratiam quàm ad Maternitatem: Nam licet inter ista non sit ordo causalitatis ex natura rei, sed tantùm congruentiæ, ex Dei voluntate, ita colligimus, nam sicut in Christi humanitate priùs fuit prædestinata gloria & gratia, quam vnio hypostatica, ita in Virgine priùs gloria & gratia, quàm Maternitas.

Sed est dubium, an Beata Virgo meruerit de congruo vel de condigno suam Maternitatem? Prima sententia docet meruisse de condigno; ita Almainus in 3. distinct. 4. Abulensis. Secunda sententia ait meritum esse dignum, ita Bonn. in 3. dist. 4. art. 2. quæst. 2. Marsilius & Vega, sed non dari tale medium meritum probaui Tractatu de Merito.

Nobis dicendum est de congruo meruisse; ita Valentia, quæst. 4. puncto 8 Suarez disp. 10. Vasq. disp. 23. cap. 2. & 3. Hurtado & Montess. citati, Rada 3. parte, Contro. 12. art. 3. ad argumēta in principio dubij posita, & in alio dubio. Et communiter probant Vasq. & Montess. quia gratia adoptionis non est semen Maternitatis ex natura sua, sed gloriæ, ergo non habuerunt valorem ad Maternitatem. Sed contra, quia gratia ex natura sua, neque est semen gloriæ; vt dixi tractatu de iustificatione, & ita hoc non obstat; nam si aliud non obstaret, poterat Deus talia opera ordinare ad Maternitatem. Vera ratio est, quia opera Virginis de facto fuerunt ordinata tanquam ad præmium æquiualēst, & adæquatum ad merendum gratię, & glorię augmentum, ergo non potuerunt de condigno mereri alterum præmium, ergo neque Maternitatem; consequentia probatur, quia duo præmia adæquata, & non subordinata, non possunt eodem merito mereri, cum tale meritum sit finiti valoris; quo fundamento

Tractatu de merito, dixi non posse iustum alteri homini mereri de condigno gratiam actualem nec habitualem.

Respondebis, quod poterit Deus aliquod meritum Virginis ordinare ad Maternitatem, & non ad augmentum gratiæ & gloriæ. Sed contra, quia licet hoc potuerit esse de potentia Dei, tamen non constat de tali pacto, nam illa verba Isayæ 11. *Ecce virgo concipiet*, &c. *& egredietur virga*, &c. sunt Prophetię, non pactum: neque fuit congruum ita à Deo disponi, nam priuaretur Virgo præmio excellétiori Maternitate, scilicet gratiæ augmento, & gloriæ. Denique, quia secundùm dispositionem & pactum de facto in gratia habituali imbibitum, esset hoc pactum superadditum præter naturale, cum gratia tantum sit semen gloriæ, & secundum plures Thomistas hoc habet èx natura rei, ac per consequens esset violentum contra naturalem inclinationem, ex quo patet quod saltem de congruo Beata Virgo meruit suam Maternitatem.

Obiicit prima sententia, nam Ecclesia dicit, *vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur*; & Ambros. 2. *de Virginibus*, Basilius, Bernardus, &c. dicunt Beatam Virginem fuisse dignam, vt ex ea Christus nasceretur, ergo si meruit, de condigno meruit. Respondeo quod Ecclesia tãtùm voluit, quod de condigno meruit illum gradum sanctitatis, quo apta est vt sit congrua Mater Dei, vt docuit ipse Lorca cum S. Thoma 3. parte quæst. 2. art. 11. ad secundum. Ad Patres dico non loqui de dignitate meriti, sed personæ, quare sicut dicitur quis dignus Episcopatu, & domus digna vt habitetur à Rege; Ita Virgo erat digna propter summam dignitatem & carentiam culpæ, vt Deum conciperet.

Obiicies secundò, merita Virginis habuerunt valorem ad merendum gloriam, quæ est maius præmium quàm Maternitas, vt constat ex Augustino *de sancta Virginitate*, cap. 4. *magis est concipere Deum mente quàm ventre*, ergo meruit Maternitatem. Respondeo cum Recentioribus, verum esse, quod qui maius meretur, meretũr minus, si sit eiusdem rationis, nam qui meretur quatuor gradus gratiæ meretur duos; secus verò, si sint pręmia diuersæ rationis, nam iustus meretur gloriam, non tamen alas ad volandum quod est minus. Rursus, vt dixi, vnum meritum non habet duo præmia non subordinata; Ex quo patet quod Virgo de facto non meruit Maternitatem de condigno; fateor quod potuit de potentia absoluta, quod docet Suarez, & in nostra sententia in qua pactum addit valorem, est facilius, sed cum non sit, neque constet de tali pacto, non audeo de facto affirmare.

Obiicit tertiò Lorca, quia hoc meritum non est impetratorium, nam non congruit humilitati virginis, vt hoc petat; neque remuneratorium, quia ad hoc debet esse pactum, & non constat de illo. Respondeo esse remunèratorium, ad quod non requiritur pactum antecedens, vt dixi tractatu de merito, sed sufficit consequens, quo Deus videns opera Virginis, ordinaret ad merendum Maternitatem: neque opposita sententia digna est aliqua censura, vt aliqui falsò putant, ex eo quod beneficium Incarnationis, vt ex semine Abrahæ factum, vocetur gratia. Et ad Rom. 3. & 4. & in *magnificat* vocetur opus misericordiæ; nam etiam ad Rom. 6. vita æterna dicitur gratia & datur ex meritis de condigno, dicitur misericordia & gratia, quia merita talia fundantur in gratia, ita Montess.

Quæres, an Beata Virgo meruerit de condigno totum illud, quod fuit dispositio ad Maternitatem? Respondeo negando, nam licet gratiam illam excellentissimam habitualem meruerit, etiam fuit dispositio præseruari ab originali, & hoc non meruit de condigno. Ex quo intelligitur noster Bernardinus sermone 51. dicens, *Beata Virgo quando præbuit consensum illis verbis, Ecce ancilla, &c. plus meruit quàm omnes Angeli, & omnes homines per omnia opera sua*, posse intelligi de merito de congruo Maternitatis, quæ est dignitas quodammodo infinita; si verò intelligantur de merito de condigno, intelligenda sunt de gloria Virginis. Ita idem Montess.

Petes secundò, an Beata Virgo meruerit suam primam iustificationem? Respondeo quod cum probabile sit in primo instanti habuisse vsum rationis actibus fidei, & charitatis prouenientibus à gratia Dei speciali, meruit de congruo primam gratiam habitualem, præseruatiuam originalis.

DIFFICVLTAS SEPPTIMA.

Vtrum Antiqui Patres meruerint aliquas circumstantias Incarnationis?

DIFFICVLTAS est de merito de congruo; nam sicut Beata Virgo non meruit de condigno circumstantiam Maternitatis, neque Patres alias circumstantias, quæ sunt in triplici differentia. Prima, quod Christus secundum carnem descenderit de tribu Iuda ex progenie Dauid: secunda acceleratio temporis, vt quod venerit hoc tempore, & non longiori: tertia, vt viderent & annuntiarent Incarnationem. Circa primam sententiam Sillius cum sancto Thoma art. 11. dicit Patres non meruisse talem circumstantiam, quod Lorca disp. 22 num. 29. non reprobat fundamentum est, quia sicut Maternitas non cadit sub meritum, quia fuit principium Christi, ita nec hæc circumstantia, propter eandem rationem, sed fundamentum est falsum, vt vidimus.

Propter quod dico, cum Suarez disp. 10. sect. 6. Vasq. disp. 23. cap. 5. Hurtado disp. 6. diffic. 10. Patres, talem circunstantiā meruisse merito remuneratorio, hoc probabile reputat Lorca, & probatur, quia hæc circumstantia est extrinseca, sicut Maternitas. Probatur de Dauid Psal. 131. *de fructu ventris tui*, &c. Et vt constat ex 2. Regum cap. 7. hoc illi Deus promisit, quia voluit ædificare templum. De Abraham probatur, Gen. 22. *in semine tuo benedicentur omnes gentes*, quod explicans Paulus ad Galat. 3. ait, *non dixit in seminibus, quasi in multis, sed in semine quasi in vno qui est Christus.* Neque intelligatis ad hoc meritum requiri pactum antecedens, nam tantum est subsequens.

Circa accelerationem Cabrera disput. 4. Lorca num. 31. Rada 3. parte Contro. 12. art. 3. in alio dubio, & quidam ex nostris negant Patres illam meruisse. Nobis dicendum est affirmatiuè cum Scoto in 4. dist. 2. quæst. 1. Litera, M. Suarez, Vasq. Montess. Hurtado, probatur; nam hæc circumstantia etiam est extrinseca Incarnationi, ergo potuit mereri.

Secundò paobatur ex Psal. 11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus*, vbi *propter* denotat causam meritoriam, & *nunc* accelerationem temporis, quam Patres petebant. Psal. 78. *cito anticipet nos misericordia tua. Veni Domine & noli tardare*, quod meritum fuit impetratorium, vt constat. Ex quo reiicitur Lorca dicens, quod in Psal. 11. citato non

promittit Deus Incarnationem, sed remedium pro tribulationibus: Nam contra est, quia illud promittit Deus quod Patres petebant, sed hoc erat acceleratio Incarnationis, ergo hoc promisit.

Obiicit 1. sententia, nam ex nostra sequeretur prædestinationem Christi fuisse mutatam, ac per consequens fuisse in Deo variationem, quod est absurdum. Respondeo negando fuisse variationem in Deo, vt ipse Lorca notauit, nam optimè potuit esse hoc sola mutatione obiecti, nam potuit Deus ab æterno definire vnum tempus secundum vnam rationem, & alterum secundum merita Patrum; nam prius decreuit Incarnationem abstrahendo à tempore, & in alio signo posteriori, præuidens merita Patrum, decreuit tale tempus quod aliàs non decerneret, sed longius, si non videret Patrum merita.

Dices ita decernere Incarnationem est imperfectio, nam perfectio petit vt simul tempus prædefiniatur. Respondeo negando, cum tempus sit diuersum obiectum, ac per consequens diuersum signum denotat, vt dixi cap. 4. difficult. 1.

Obiicies 2. merita Christi & eius Incarnatio fuerunt priùs præuisa quàm merita Patrum, cum hæc merita fuerint habita ex meritis Christi; sed opera Christi non essent eadem numero si essent alio tempore; ergo ante merita Patrum, fuerunt merita Christi præuisa tali tempore, ac per consequens Patres non meruerunt tale tempus. Respondeo quod merita Christi fuere præuisa ante merita Patrum, non tamen tempus fuit ante præuisum, sed post; Nam circunstantia temporis extrinseci, est quid extrinsecum operibus, licet duratio intrinseca & cum illis identificata, sit intrinseca, quæ simul fuit præuisa cum ipsis operibus. Thomistæ aliter respondent, nempè quod licet vnio hypostatica diuersa sit pro diuersitate temporis, tamen Christus erit idem, quia terminus non dependet essentialiter ab hac numero actione, nam idem homo producitur per generationem & per resurrectionem.

Tertiò obiicit Lorca, quia Incarnatio fuit statuta, vt conuenientior erat ad finem illius, & ad communem salutem hominum; ergo non est conueniens quod propter finem particularem, & bonum Patrum, inuerteretur. Respondeo negando fuisse talem inuersionem, sed præuisis meritis Patrum definitum fuit tempus, quod conuenientissimum erat, & antea de tēpore nihil fuerit definitum.

Circa tertiam circunstantiam ex eodem fundamento patet potuisse Patres illam mereri, imò de facto illam meruerunt Simeon & Anna Prophetissa, quæ simul cum Simeone cognouit Christum in templo quando fuit oblatus, vt colligitur Lucæ secundo, & annuntiauit quis esset, teste Ambro. libro 1. in Lucam capite *de Simeone & Anna*. Ex quo colligit Vasquez disp. 23. capite 5. citato, hos sanctos meruisse accelerationem huius mysterii, quia si meruerunt Christum videre, ergò vel vita eorum fuit prolongata (quod cum sit miraculum non est sine necessitate concedendum) vel quòd Incarnatio fuerit accelerata, quod est facilius: sed vt optimè notauit Lorca hoc non conuincit, quia congruentius est & facilius prolongare vitam eorum, quàm anticipare aduentum, sed non est necesse vnum aut alterum dicere, nam ad hoc quod dicatur quod isti Sancti meruerint videre Christum, & annuntiare, sufficit quod dicatur quod illis fuit reue-

latum, puerum illum esse Christum, quod non fuit aliis Sanctis qui tali tempore viuebant in Iudæa & Hierusalem reuelatum.

CAPVT DECIMVM.

De vnitate & pluralitate Christi.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum in Christo sit vna vel plures existentiæ?

CONTRA Eutichetem dixi cap. 5. diff. 1. in Christo esse duas naturas, & contra Nestorium asserui difficul. 2. in Christo esse tantum vnam personam: præsens difficultas est an quælibet natura habeat suam propriam existentiam. Prima sententia quam tenent Caiet. Medina, Cabrera & communiter Thomistæ quæst. 17. art. 2. docet humanitatem Christi non habere existentiam, sed existere existentia increata Verbi, & ita tantum esse vnam existentiam in Christo.

Secunda sententia & vera docet humanitatem habere propriam existentiam creatam, ita Scotus in 3. dist. 6. quæst. 1. Rada 3. parte contro. 7. art. 3. Faber disp. 14. capite 2. Pitigianus art. 2. Suarez disp. 36. sect. 4. Vasquez disp. 71. capite 2. Lorca disp. 68. Ragusa disp. 127. Hurtado disp. 12. difficult. 1. Valentia, Montess. &c. Itaque in Christo est duplex existentia, altera diuina, qua Deitas existit; altera humana qua existit humanitas. Probat Scotus ex Aristotele 2. de anima capite 4. *viuere viuentibus est esse*, hoc est, *existere*, nam in tantum viuunt in quantùm existunt; sed in Christo est duplex vita, vna creata, altera increata, aliàs non fuisset verè mortuus; nam mors est priuatio vitæ, vita autem increata Christus priuari non potuit; ergo fuit in Christo duplex existentia. Et confirmatur, nam si Verbum dimitteret humanitatem, non ex eo vitam amitteret, neque esset ens in potentia humanitas, vt modo est Antichristus, ergo haberet esse actu existens, non nouum, quia per nullam actionem produceretur, ergò antiquum, ergo in Verbo habebat propriam existentiam.

Secundò probatur, existentia est forma per quam res est actualis extra intellectum & extra suas causas; ergo implicat rem esse extra causas & non habere existentiam, sicut implicat esse album sine albedine; sed humanitas seclusa existentia Verbi est extra causas, ergo habet existentiam seclusa Verbi existentia. Probatur minor à Scoto, humanitas est terminus generationis temporalis Virginis, sed terminus generationis est aliquid in quantum habet existentiam ex 5. Physic. non increatam, quia ista non fuit à Virgine producta, quia est æterna; ergo creata, ergo humanitas Christi in Verbo habet creatam existentiam.

Tertiò probatur, Verbum assumens humanitatem, aliquid assumpsit, probo, nam non assumpsit humanitatem intra causas, ergo extra illas, ergo productam, ergo existentem; non Verbi existentia, nam quod assumitur præsupponitur ad assumptionẽ; ergo ante vnionem habebat propriam existentiam. Et confirmatur, quia actio qua humanitas producitur, cum sit generatio, est realiter distincta ab actione vnitiua, ergò cum ad istam illa præsupponatur, est prius propria existentia existens.

Respondebis quod ex Leone primo Epistola 11. *Natura nostra non sic assumpta est, vt prius creata postea assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur.* Idem habet. Fulgentius de Incarnatione capite 3.

Sed contra, nam Patres tantum volunt quod humanitas non præcedebat tempore vnionem, quod intendebant contra hæreticos, vt patet ex contextu; Nam impossibile erat, vt eadem actio esset vnitiua & generatiua, non tamen negabant prioritatem naturæ. Respondet Lorca, quod hoc argumentum non probat, nam humanitas nec prioritate naturæ præcedit vnionem, sicut neque materia & forma præcedunt compositum. sed contra, quia materia & forma causant compositum, & saltem natura debent illud præcedere, & humanitas est causa partialis Christi, & fundamentum vnionis: sed vt docet Scotus citatus, fundamentum debet natura præcedere relationem, aliàs nec esset causa, nec fundamentum, ergo in illo priori debet habere propriam existentiam.

Quartò probat Scotus, anima Christi prius natura informabat corpus, quam humanitas esset assumpta, adhuc secundum Thomistas, ergo in illo priori anima est actus corporis, ergo dabat illi esse & existere, quia non est actuale esse sine existentia, sed hæc existentia non fuit destructa per assumptionem; ergo humanitas in Verbo habuit propriam existentiam, & confirmatur quia Angelus naturaliter & intuitiuè cognoscit humanitatẽ Christi existere, sed Verbi existentia non cognoscitur naturaliter ab Angelo, ergo creata existentia existit.

Quintò probatur, nam sequeretur vnionem factam esse in aliquo essentiali & communi tribus personis, scilicet existentia, quod est periculosum affirmare vt dixi cap. 6. difficult. 1. Respondent quod in Deo sunt quatuor existentiæ, vna absoluta, & tres relatiuæ, & vnio facta est in existẽtia Verbi relatiua quæ non est communis. Sed contra 1. quia Caietanus & alii contra quos argumentamur, non concedunt existentias relatiuas, vt vidimus tractatu de Trinitate. 2. quia illi qui eas concedunt, ex eo est, quia existentia non distinguitur realiter ab essentia in creaturis: sed isti Thomistæ dicunt existentiam realiter distingui ab essentia & quod existentia est post subsistentiam, & quod si subsistentia non multiplicatur, nec existentia; ergò contra se loquuntur. Plura alia obiicit Scotus contra hanc sententiam, videatur.

Sextò probat Lorca, nam existentia si realiter distinguatur ab essentia, se habet sicut forma dans esse, & actuat in genere causæ formalis; sed Verbum nequit informare, ergo neque supplere existentiam. Maior probatur, nam in hoc cognoscitur si aliqua forma informat, siue nominat subiectum, vel non; ex eo enim quod personalitas Verbi quæ est relatio, non denominat humanitatem relatam, colligimus esse terminum non tamen formam informantem; sed existentia denominat naturam existentem, ergò est forma informans.

Vltimò, quia existentia non distinguitur realiter ab entitate rei, sed tantum formaliter, vt probaui 1. Physic. ergo necesse est vt humanitas propriam habeat existentiam.

Prima Sententia obiicit verba Sophronii approbata in 6. Synodo generali, actione 11. & 13. *natura humana in illo*, idest in Verbo, *& non in seipsa habuit existentiam vnam cum Verbo.* Respondent Vasq. & Lorca quod in codice græco non est, *cum Verbo*, sed *in Verbo*, sed etiam si diceret, *cum Verbo*, tantùm fa-

cit hunc sensum, quod semper humanitas existit vnita cum Verbo, quia non præcessit tempore existens in se.

2. Obiicit Damasc. lib. 3. de fide cap. 21. *natura humana existit per existentiam Verbi.* Respondet Lorca talia verba non inueniri apud Damasc. Et si fortè inueniantur sumpsit existentiam pro subsistentia, vt communiter solent sumere Patres, vt dixi tractatu de Trinitate.

3. Obiicit, nam sequeretur Christum non esse vnum per se sed per accidens, nam ex duobus entibus non fit vnum per se, vt sunt Diuinitas & humanitas. Respondet Scotus negando esse ens per accidens. 1. quia non sunt res diuersi prædicamenti, cum Deus non sit in prædicamento, 2. quia humanitas nulli accidit, cum verè sit substantia, est tamen in potentia ad suppositum; non quod suppositum informet, sed terminet, propter quod etiam si Christus sit persona composita, non tamen in toto rigore, vt dixi cap. 5. difficult. 3.

4. Existere est proprium suppositi non naturæ, sed tantum est vnum suppositum & diuinum, ergo vna existentia diuina. Maior probatur, nam operari, pati, terminare productionem, secundum Philosophos est suppositorũ. Rursus si esset duplex existentia, Verbum existeret existentia creata, quod videtur absurdum. Respondeo quod suppositum terminat naturam, sed existentem, neque est inconueniens, vt notauit Scotus ad 3. quod Verbum, vt homo, existat existentia humana.

5. Obiicit, nam sequeretur Beatam Virginem non esse Matrem Dei, nam eius generatio terminatur tantum ad humanitatem existentem, & non ad Verbi existentiam. Respondeo quod ad hoc quod Beata Virgo sit Mater Dei, sufficit, vt dixi cap. 8. difficult. 2. quod humanitas genita, in eodem instanti temporis Verbo vniatur.

Petes sicut in Christo conceditur duplex existentia, an etiam verè dicatur in Christo est duplex *esse*? Respondeo, vt colligitur ex Scoto citato, quod cum addito optime potest concedi, esse in Christo duo *esse* essentiæ, & duo *esse* existentiæ, & tamen absolutè dicendum est *esse* vnum tantum *esse*. Ita Suarez disp. 36. sect. 2. Vasq. disp. 71. c. 2. Lorca n. 18. Ratio est quia *esse* est actus entis, ergò vbi est vnum ens, & vnum *esse*; sed Christus est vnum ens, ergo vnum *esse*, nam licet componatur ex duabus naturis, est vnum ens compositum sicut homo, licet componatur ex v[illegible] *esse* spirituali, & altero materiali corporis, quia facit vnum compositũ dicitur vnum ens simpliciter, licet secundum quid plura, quia habet plura entia & existentias in se: Ita Christus, naturæ enim dicuntur entia secundum quid, licet sint substantiæ & completæ, quia vnum ens, scilicet Christum, componunt.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

VTRVM CHRISTVS SIT dicendus aliqua duo?

CVM in Christo sint duæ naturæ & vnum suppositum, difficultas est an sit dicendus vnus propter vnitatem suppositi, vel duo, propter dualitatem naturarum: & suppono, vt dixi tractatu de Trinitate in fine, quod si hæc nomina, *vnus, duo, & alius,* masculinè sumãtur, referuntur ad suppositum, & ita hæc est vera *Pater est alius, à Filio*, & hæc *Pater & Filius sunt duo*: si vero sumãtur neutraliter, referuntur ad naturam, & ita est falsa, *Pater Filius & Spiritus Sanctus sunt tria.* Ex quo colligo quod hæc est vera *Christus est vnus*, & hæc est falsa masculinè *Christus est duo*, ita habe-

tur in Ephesino anathematismis 2. 5. & 9. in Chalcedonensi, Lateranensi. Ita Ambrosius, Damasc. &c. Scotus in 3. dist. 6. quæ. 2. & omnes Scholastici, inter quos tantum est difficultas si neutraliter sumantur *vnus* & *duo*.

Prima sententia est Durandi quæst. 1. dicentis non posse Christum dici *vnum* vel *duo* neutraliter, quia Christus est nomen substantiuum masculini generis, & secundum grammaticam debet adiectiuum in genere cum substantiuo concordare. Sed communiter reiicitur, nam licet hoc verum sit si adiectiuū adiectiuè sumatur, non tamen si substantiuè sumatur, vt communiter contingit in genere neutro quando ponitur ex parte prædicamenti, vt dicitur Ioannis 10. *ego & Pater vnum sumus.*

Secunda sententia dicit Christum debere dici *duo* neutraliter, & non *vnum*, propter duas naturas quam sententiam visam fuisse probabilem aliquibus Recentioribus refert Lorca disp. 67.

Tertia vera & communis sentētia ait non posse enuntiari de Christo in recto quod sit *duo* neutraliter, benè tamē in obliquo, sic *habet duo, constat ex duobus, in Christo sunt duo.* Ita Scotus citatus, Thō. 3. parte quæst. 17. art. 1. Vasq. disp. 70. cap. 3. Lorca citatus &c. Probatur ratione Scoti §. *ad quæst.* quia *duo* refertur ad naturas prout in se sunt distinctæ, quia vt sic sunt duo, ergo eodē modo, *duo* prædicatur de Christo, sicut naturæ inter se sunt distinctæ, sed vt sic sumuntur in abstracto, & solum prædicantur in obliquo & non in recto; nam hæc est falsa, *Christus est humanitas & diuinitas*, & hæc est vera; *In Christo est humanitas & diuinitas*, ergo similiter hæc erit vera, *Christus habet duo*, & hæc falsa, *Christus est duo.*

Aliter probant Vasq. & Lorca nostram conclusionem, Vasq. nam si dicamus *Christus est duo* diuidimus illud in duo quod reputat inconueniens Cyrillus Epistola 10. Sed contra 1. quia Cyrillus dicit *in duo*: masculinè quod est hæreticum, nam est ponere duas personas 2. quia diuidere Christūm in duas naturas, quod significat *duo* neutraliter, secundū secundam sententiam, non reputabunt incōueniens Cyrillus nec alii. Altera ratio est Vasq. Lorca & Hurtado, quod Christus non potest dici *duo*, quia significatur naturas esse disiūctas, & in Christo fuerunt coniunctæ in vnica Verbi persona. Sed contra quia naturæ illæ adhuc coniunctæ, sunt distinctæ & impermixtæ, ergo cum duo neutraliter significet naturas, poterit de Christo verificari, sicut quia masculinè vel fœmininè significat suppositum, quamuis Pater & Filius sint vnum in essentia diuina, dicimus esse duas personas. 2. secundum hos Auctores hæc propositio est vera *Christus est vnus & duo* quia per *ly vnus*, denotatur quod *ly duo* significat pluralitatem naturarū; sed eo ipso quod *duo* ponitur neutraliter significatur pluralitas naturarū, ergò poterit de Christo verificari *duo* neutraliter.

Secunda sententia obiicit 1. Epistolā Sophronij habitā in 6. Synodo actione 11. *confitemur Christum & vnum esse & duo, vnum propter personam, duo propter naturas.* Idem habet Augustinus, Anselmus, & alii Patres apud Recentiores. Respondetur quod hoc idē est ac dicere, *Christus habet duas naturas.* 2. obiicies quia tres diuinæ personæ propter vnam naturam dicuntur *vnum* neutraliter; ergo Christus propter duas naturas dicetur *duo*. Respondeo cum Scoto concedendo antecedens & negando consequentiam, disparitas est, nam natura diuina adhuc in abstracto prædicatur de personis, at verò de Christo non prædicantur naturæ, nisi in concreto.

Dubitabis vtrùm hæc propositio sit

vera in rigore sermonis *Christus est aliud & aliud.* Vasq. citatus & Hurtado disp. 12. difficult. 3. dicunt esse verã, & idẽ dicunt de his *Christus est hoc & illud, Christus est aliquid & aliquid, Christus est vnum & aliud, Christus est vtrumque.*

Nobis dicendum est cum Scoto citato §. *ad primum argumentum,* Lorca num. 9. esse falsas in recto: sed eodem modo esse philosophandum ac de hac *Christus est duo:* Ratio est quia *aliud & aliud* idem est quod *duo,* sed *Christus est duo* est falsa, vt probaui, ergò etiam *Christus est aliud & aliud.*

Obiic. Vasq. plures Patres, sed respondetur, quod Patres non loquuntur in recto sed in obliquo, vel cum aliquo addito quo refertur ad naturas, vt dicitur à Nazianz. Epistola 1. ad Cledoniũ *aliud & aliud sunt ea ex quibus Saluator constat non tamen alius & alius.* 2. respondeo quod si in Patribus inueniantur tales propositiones in recto, debent benignè explicari, vt docent S. Bon & Thom.

Secundò obiicies, Christus non est tantũ homo, nec tantũ Deus, est aliud quam homo & aliud quam Deus, nec totum homo nec totum Deus, vt ait Damasc. lib. 3. cap. 7. Respondet Scotus concedendo antecedens negando consequentiam, nam est fallacia consequentis, arguendo à propositione habente plures causas veritatis, ad vnam illarum, nam arguens supponit quod Christus non est tantum Deus quia est duo quod est falsum, nam ideò non est tantum Deus quia est homo simul, qui formaliter non est Deus: vnde tantùm sequitur quod in Christo est natura humana quæ non est Deus, & natura diuina quæ non est homo, non tamen sequitur quod sit in recto vtraque vera.

3. Obiicies, Christus est Deus, Christus est homo, sed aliud est Deus, & aliud est homo, ergo Christus est aliud & aliud. Respondet Scotus quod maior est vera in concreto, & minor similiter vera est, si sumatur in abstracto scilicet, alia est natura diuina, & alia natura humana; tamen consequentia in abstracto est falsa: nec mirum est, quod ex vero sequitur falsum, cũ maior sumatur in concreto & conclusio in abstracto. Alia plura adducit Scotus de propositionibus exclusiuis & reduplicatiuis videatur.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Vtrum in Christo fuerint duæ voluntates & duæ operationes.

FVERVNT aliqui hæretici, qui licet in Christo faterentur duas naturas integras & perfectas, & vnum suppositum, tamen dicebant non fuisse in eo nisi vnam voluntatem & operationem diuinam, quæ sufficiens erat ad gubernandam humanitatem absque propria eius operatione & voluntate humana. Huius erroris primi Auctores fuerunt Sergius Patriarcha Constantinopolitanus, & Cyrus Patriarcha Alexandrinu. Orta est hęc hęresis circa annũ 622 tempore Honorij primi, & vexauit Ecclesiam 60. annis, præsertim in Oriente, quæ hæresis damnata fuit in 6. Sydò actione 3. 8. & 11.

Sed vt hæc hæresis melius intelligatur & reiiciatur 1. inquires an hi Hæretici negarint potentiam voluntatis vel operationem S. Thoma 3 parte quæst. 18. art. 1. & Caiet. dicunt vtrumque negasse: sed magis placet dicere cum Lorca disp. 69. quod tantum operationem negarunt. Probatur ex Natali qui act. 8. refert verba hæreticorum, *numquam animata rationalis Domini caro diuisè, atque ex proprio appetitu naturalem sui fecit mentionem,* vbi appetitũ proprium fatentur; Negabant enim tãtum operationes voluntatis imperãtes aliarum actiones potentiarum à voluntate imperatas, quas vocabant *opus operatum,*

& passiones fatebantur: etiam negabāt operationes intellectus vt constat ex 6. Synodo; Legatur Lorca citatus.

Dico quod in Christo fuit voluntas humana distincta à diuina, & operationes earum voluntatum. Probatur ex Florentino in decreto Eugenij quarti, & in Later. sub Martino 5 consultatione 11. Probatur 2. Math. 26. *non sicut ego volo, sed sicut tu.* & ratio est, quia in Christo fuit vtraque natura diuina & humana perfecta, ergo fuit non tantum vtraque voluntas sed actus earum, nam vtrumque pertinet ad perfectionem naturæ. Et confirmatur, quia Christus meruit, sed hoc nequit esse sine actu intellectus & volūtatis humanæ, ergò fuerunt in Christo Domino.

Aduertendum est, quod quando Patres & 6. Synodus definiunt in Christo duas voluntates naturales, non loquuntur de naturali prout distinguitur contra liberum, nec contra supernaturale, neque prout distinguitur voluntas naturalis à libera, vt dicam iam ex Scoto, sed vocarunt naturalem, id est secundum exigentiam naturalem naturarum diuinæ & humanæ.

Pro quo nota ex Scoto in 3. dist. 13. §. *sed quoad* 3. quod volūtas dupliciter potest sumi 1. sub propria ratione, quo pacto est appetitus liber cum ratione, & hoc pacto fuerunt in Christo duæ voluntates, diuina scilicet & humana. secundo modo sub ratione communi appetitus, & ita in Christo fuerunt tres appetitus, primus est intellectualis diuinus, secundus rationalis creatus, tertius irrationalis sensitiuus; & hic diuidi potest in omnes potentias appræhensiuas vt gustus visus, tactus &c. Nā appetitus sensitiuus sequitur has potētias. Rursus Scotus diuidit voluntatem in liberam & naturalē; potentia naturalis est inclinatio in propriam perfectionē; libera est vt est principiū actus eliciti. Actus naturalis dicitur vt versatur circa commodum naturæ præcisè. Actus liber est qui respicit bonum consideratum secundum omnes rationes; & hæc voluntas humana cum hac duplici formalitate fuit in Christo, nā recusauit mortem vt naturæ dissonam, & amplexus fuit illam quatenus necessaria erat ad redemptionem nostram & ad præcepti Patris adimpletionem totum hoc desumpsit Lorca ex Scoto num. 10.

Obiiciunt hæretici Honorium primum qui in duabus Epistolis lectis in 6. Synodo act. 13. & 18. definiunt in prima in Christo esse tantum vnam voluntatem; in secunda non esse dicendum in Christo esse vnam aut plures operationes. Respondēt aliqui Honorium errasse & computatum fuisse cum Monothelitis hæreticis. sed contra, quia vt Papa loquebatur & non potuit errare. propter quod Respondeo quod dixit esse vnam tantum voluntatem humanam, & ita diuinæ conformem, vt nunquam fuerit contraria, ita testatur Diuus Maximus in quodam Dialogo cum Pyrro, & Ioannes Secretarius Honorij.

Ad secundam propositionem Respondeo quod Honorius ad sedandas pro tunc contentiones, prohibuit quod neque diceretur esse vnam neque duas operationes; nam hæretici obscurè vel impropriè, nomine operationis vtebantur. & tunc Papa tantum respexit modum loquendi, nam ad rem ipsam & in re ipsa, d finiuit esse vnum Christum operantem, & duas naturas operatrices, scilicet diuinam & humanam: nec peccauit Honorius in prohibitione vocis & modi loquendi, seruato semper Catholico sensu, sed potius fuit pro tunc conueniens: Postquam verò Hæretici perstiterunt in asserendo vnam ope-

rationem, Ecclesia eos damnauit, dicens esse duas operationes.

Sed obiic. contra Honorium quod dānatsu fuit in 6. Synodo & à Leone 2. Respondeo, quod Græci in odium Romani Pontificis vitiarunt Codices 6. Synodi, & falso acceptum fuit nomen, & damnatio Honorij cum aliis hæreticis: & constat, nam Agatho Papa & successor Honorij ait, omnes suos Antecessores tali hæresi restitisse. Addit Lorca verum esse Honorium fuisse damnatum in 6. Synodo, sed errauit Synodus & Papa in quo potuerunt errare, nam non erat causa fidei; sed causa facti, & iudicium de singulari persona.

Quæres, quid sit operatio Christi Theandrica? Nam hæretici ex his verbis Dionysij Areopag. in Epistola vltima ad Caium, *& diuina non quatenus Deus est, perfecit, neque humana quatenus homo, sed nobiscum versatus est Deus homo factus, nouam quandam Dei Viriquae actionem*, scilicet *perfecit.* (per ly *Dei viriquae*, dicitur actio theandrica) intendebant, quod in Christo erat tantum vna operatio.

Nobis dicendum est, cum Lateranensi consultat. 5. Can. 13. quod operatio theandrica dicitur propter vnionem operationis diuinæ & humanæ, salua distinctione earum. Sed non explicat Concilium quæ sit hæc vnio; Lorca ait num. 21. quod sit vnio quatenus diuina influit in humanam, & illa vtitur, vt instrumento ad faciendum miracula, nam miracula dicuntur opera theandrica, idest Dei viriliа, (verbi gratia) ambulare super aquas, & est quid humanum vt ambulare, & est quid diuinum vt consistere super aquas. Etiam opera meritoriā Christi docuit esse theandrica, quatenus recipiunt valorem à Diuino supposito. Sic Damasc. lib. 3. cap. 19. qui explicat hoc exemplo ferri igniti, quod simul vrit & scindit, & tamen vstio & scissio diuersæ sunt naturâ suâ: ita operatio Christi est humana, & habet valorem finitum, & quia est Dei, habet valorem infinitum saltem extrinsece. Idem tenet Vasq. disp. 5. cap. 1. Addit Lorca num. 22. cum Diuo Dionysio, quod omnis operatio Christi dicitur Theandrica propter vnionē naturarum in vno supposito, & propter communicationem idiomatum, siue operatio sit tantum diuina, vt creatio animæ, conseruatio vniuersi, ad quæ Christus vt Deus concurrit, & non vtitur humanitate; siue operatio sit tantum humana, & non miraculosa nec meritoria (verbi gratia) nutriri, augeri, &c. Nam ex eo quod Deus homo factus est, ait Dionysius, quod quæuis operatio illius vocatur theandrica, nam quælibet operaratio dicitur Dei & hominis specificatiuè, non reduplicatiuè, vel quia in vtraque natura est conformitas, nam voluntas humana diuinæ conformatur volens animarum creationem, & diuina conformatur voluntati humanæ volens nutritionem carnis, & quælibet operatio dicitur de Deo, & de homine per communicationem idiomatum, propter vnitatem suppositi. Itaque fatemur esse in Christo duas operationes physicas, vt ait Lateran. consultat. 5. cap. 13. damnans dicentes esse vnam operationem, & fatemur quod sit vna operatio moraliter, & Theandrica, quia diuina influit in humanam, & inter se conformantur.

DIFFICVLTAS QVARTA

Vtrum in Christo fuerit contrarietas voluntatum.

HÆc difficultas petitur à quodam Hæreticorum argumento, nam

dicebant, quod si in Christo est duplex voluntas, & duplex operatio, futuram esse inter voluntates contrarietatem per contrarias operationes. Et confirmatur Lucæ 22. *non mea sed tua voluntas fiat*, ex quo colligitur has voluntates esse sibi contrarias.

Suppono contra Diuum Hilarium, Christum non tantùm fuisse tristatum ob scandalum Discipulorum, & ob malum Iudæ. Suppono etiam, contra Hieronymum & Anselmum, non tantum fuisse tristatũ, quia crucifigendus erat à Iudæis, propter, quod destruẽda erat Hierusalem, & ipsi; sed tristatus fuit, quia absolute erat crucifigendus, & de sua morte; ita Ambros. Chrysost. & omnes Patres præter citatos apud Lorcam disp. 70. & Recentiores. Ita etiam Scotus in 3. dist. 15. littera L orta fuit hæc tristitia, inquiunt Patres, vt ostenderet veritatem naturæ humanæ, in qua non tantùm erat affectus insignis fortitudinis, sed etiam infirmitatis.

Tamen dicendum est, neque inter operationes humanas Christi, neq; inter voluntatẽ diuinam & humanam, vllam fuisse contrarietatem. definitum in 6. Synodo act. 17. & in Lateranensi consultatione 15. Can. 16. Difficultas est, vt explicetur hæc non contrarietas: Nam quamuis in re non differant Auctores, in confusiori vel clariori explicatione differunt. Fuit voluntas humana Christi diuinæ conformis, quia Christus voluit tristari, vt ostenderetur infirmitas naturæ humanæ, quia ita Deus etiam voluit: & similiter Christus acceptauit mortem ex perfecto & deliberato imperio partis superioris, quia ita Deus voluit Christum mortem acceptare, & sic fuerunt conformes voluntates diuina & humana, tàm in volito materiali, quàm in volito formali, sic Damasc. lib. 3. de fide cap. 19. Diuus Bon. Ricardus, &c. Sed licet optimè explicet r conformitas harum voluntatum, non tamen sufficienter explicatur: quomodo non sit contrarietas inter voluntatem Christi tristandi, & voluntatem Dei volentis, vt pateretur & acceptaret mortem.

Quod sic explicatur, nam tales voluntates non dissentiebant in ratione volendi & volito formali, sed tantum in volito materiali; nam appetitus sensitiuus, & portio inferior Christi recusabat mortem, vt erat disconueniens naturæ; at verò portio superior Christi & voluntas Dei, volebant mortem vt necessariam ad redemptionem generis humani. Ad contrarietatem autem requiritur quod affectus, sit circa idem & sub eadem ratione. Deindè voluntas recusandi mortem erat inefficax, & affectus acceptandi illam erat efficax, & ita non sunt contrarij; nam in obiecto & volito materiali erant diuersi, cùm affectus efficax respiciat executionem, quam non respicit inefficax, & hoc semper reperitur in eodem homine, qui in naufragio efficaciter vult proiicere merces in mare, & de hoc tristatur, & inefficaciter vult illas non proiicere. Ita Scotus in 3. citato dist. 15. §. *vlt. videmur.* Imò in Deo dantur istæ voluntates non contrariæ, nam inefficaciter vult omnes saluos fieri, quatenus bonum illorum est, & voluntate efficaci vult aliquos perire propter bonum iustitiæ, & propter alias causas.

Obiicies Agathonem Papam in Epistola Synodica relata in 6. Synodo act. 4. & ipsam 6. Synodum, actione 10. quæ colligit in Christo esse voluntatem humanam à diuina distinctam ex voluntate recusandi mortem; ergo supponit voluntatem Christi esse efficacem, alias nihil colligeret, cum in

Deo reperiatur voluntas efficax & inefficax. Respondeo cum Lorca, quod non collegerunt ex hoc præcisè, sed ex eo quod Christus ad Patrē dixit, *non mea voluntas, sed tua fiat*, vbi distinguntur duæ voluntates. Secundò collegerunt, quia Christus orauit, & orare non potest naturæ diuinæ competere, sed creatæ.

CAPVT VNDECIMVM.

De gratia Christi, vt est quidam singularis homo.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum in anima Christi fuerit gratia habitualis.

CONVENIVNT omnes Theologi in anima Chisti fuisse gratiam habitualem à primo conceptionis instanti, ac per consequens habitum charitatis, qui tantùm à gratia formaliter distinguitur, vt dixi tractatu de gratia.

Dices omnia quæ conueniunt humanitati conueniunt Christo, nam dicitur quod Christus moritur, Christus est albus, &c. ergo cum gratia constituat subiectum Deum per participationem, ergo Christus dicitur Deus per participationem, quod videtur inconueniens. Respondeo negando vltimam consequentiam, nam hoc denotat Christum non esse verum Deum. Vnde sicut licet, Christus secundum quod homo sit Filius Dei adoptiuus, tamen absolutè non est dicendum, Christus est Filius Dei adoptiuus: ita absolutè non est dicendum Christus est Deus per participationem, sed Christus secundum humanitatē est Deus per participationem, & habet ius ad vitam æternam.

Difficultas est, vtrum sit de fide in Christo fuisse gratiam habitualem? Affirmant Suarez, disp. 18. sect. 2. Ragusa disp. 67. quia ita traditur à Patribus & Scholasticis tanquàm de fide. Vasq. disp. 41. cap. 1. negat dicens, nihil habitualis gratiæ Christi reperiri apud Patres, esset tamen inquit, temerarium, gratiam habitualem negare in Christo, & hoc tātum propter Scholasticos. Pro quo suppono, vt dixi tractatu de Iustificatione, de fide esse, homines puros iustificari aliquo dono creato permanenti & inhærenti, & quod negare esse habitum, tantum erit temerarium contra torrentem Scholasticorum.

Dico primò de fide est, in Christo Domino præter vnionem hypostaticam esse aliquod donum creatum permanens, pertinens ad eius sanctitatem, quod nos gratiam appellaumus. Ita Lorca disp. 37. Montess. &c. Probatur Psal. 132. *sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius*; Vbi idem vnguentum ait fuisse in capite, & in membris; ergo non loquitur de vnione hypostatica, sed de gratia iustificante. Et Io. 1. *super quem videritis Spiritum sanctum descendentem, & manentem in ipso*; Et confirmatur, Ioan. 1. *de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.* Qui loci de gratia explicantur à Hiero. Cyrillo, Ambrosio, Chrysost. &c. à Lorca relatis, ex quo reiicitur Vasq.

Dico secundò negare esse habitum, tantùm erit temerarium, est contra Lorcam dicentem esse conclusionem Theologicam, & contra Montess. ita tenet Hurtado disput. 7. difficult. 3. Probatur, nam omnes loci, & alij similes sufficienter explicantur de relatione extrinsecus adueniente, vel de actu permanente, nam in Christo

ſemper fuit actus charitatis.

Obiicies tertiò ad Epheſ. *supereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti* Reſpondeo tantum hoc probari eſſe donum permanens creatum, non verò habitum. Neque Trid. aliquid habet contra hoc, nam primò loquitur de puris hominibus, non de Chriſto 2. nunquam definit gratiam eſſe habitum adhuc in puris hominibus, vt dixi loco citato.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Ad quid fuerit vtilis, & neceſſaria gratia habitualis in anima Chriſti.

COMMVNITER conueniunt Thomiſtæ gratiam habitualem eſſe in Chriſto, vt eſſet ſanctus ſanctitate accidentali, licet aliàs eſſet ſanctus ſubſtantialiter per vnionem: conueniunt etiam fuiſſe neceſſarium, vt eſſet principium connaturale operationum ſupernaturalium, quod non placet Lorcę diſp. 37. & meritò, quia hoc tantum charitati, & virtutibus operatiuis conuenit, non verò gratiæ, quæ ſecundum Thomiſtas non eſt operatiua. Difficultas non parua eſt, vtrum gratia habitualis ſit in Chriſto neceſſaria, vt abſolutè ſit ſanctus & potens meritoriè operari.

Recentiores Thomiſtæ communiter negant dicentes Chriſtum tantum fuiſſe ſanctum, & potentem meritoriè operari ratione vnionis hypoſtaticę; & ita veram iudicant hanc ſententiam, vt Vaſq. dicat oppoſitum eſſe expreſsè contra Patres & Concilia: Et Vincentius, quod neque cum probabilitate affirmari poſſit oppoſitum. Differunt Auctores in aſſignando cui, vt formæ, tribuendus eſt effectus formalis ſanctitatis.

Vaſq. diſp. 41. cap. 3. & 4. Torres de gratia diſp. 10. dub. 1. Raguſa diſp. 67. Becanus cap. 8. quæſt. 1. Hurtado diſp. 7. difficult. 2. Monteſſ. tribuunt Deitati. Valentia 3. parte quæſt. 7. puncto 1. Lorca diſp. 36. tribuunt perſonalitati Verbi. Suarez diſp. 28. ſect. 1. & alij tribuunt vnioni, quæ eſt modus ſubſtantialis ſecundum ipſos, nam impoſſibile iudicant talem effectum poſſe prouenire à forma extrinſeca, vt eſt Diuinitas & perſonalitas. Alij tribuunt omnibus ſcilicet Deitati, perſonalitati, & vnioni.

Nobis dicendum eſt Chriſtum non eſſe ſanctum ex vi vnionis, ſed ad hoc neceſſariam eſſe gratiam habitualem. Quam ſententiam Antiqui deffendebant, nam nullam ſanctitatem moralem in ordine ad vitam æternam cognouerunt in Chriſto ex vi vnionis, ita Scotus in 3. diſt. 2. quæſt. 1. §. *contra iſtam opinionem*, & diſt. 12. §. *ad primum*, & diſt. 19. §. *contra hunc modum*. Omnes Scotiſtæ, Rada. 3. parte contro. 4. art. 3. Faber diſp. 38. tenet, ſanctus Thomas 3. parte quæſt. 7. art. 1. *ad primum*, Durandus diſt. 12 quæſt. 2. Capreolus diſt. 13. quæſt. 2. art. 3. Medina, Paludanus, Marſilius, & Diuus Bon. qui in 3. diſt. 13. quæſt. 1. ait gratiam habitualem eſſe neceſſariam in Chriſto ad merendum. Probatur quartò humanitatem non fuiſſe ſanctam per Deitatem, nam humanitas fuit formaliter ſancta; ſed hoc nequit fieri à Deitate, ergo Deitas non eſt forma ſanctificans. Probatur minor, quia Deitas, aut aliquid diuinum, nequit eſſe forma: ergò neque ſanctitas formalis. Et confirmatur, quia ſicut humanitati vnitur Deitas, vnitur omnipotētia, immenſitas, & ſapientia; ſed humanitas non eſt formaliter dea, neque omnipotens, neque ſapiens ab his attributis, ergo neque formaliter ſancta à Deitate.

Respondent Vasq. Montess. & Hurtado hanc sanctificationem non esse physicam, sed moralem & extrinsecam, nam Deitas non est forma sed quasi forma. Sed contra primò, ergo non est sanctitas, sed quasi sanctitas.

Secundò, quia debet assignari forma, per quam intrinsecè & physicè humanitas sit sancta. Nam loquimur de sanctitate propria iustorum, quæ secundum Tridentinum sess. 6. cap. 7. & Can. 11. fit per formam inhærentem; & licet Concilium expresse non loquatur de Christo, tamen loquitur de omnibus iustis quorum Christus est caput, & à quo cæteri habent sanctitatem deriuatam, ac per consequens debet esse sanctus, vt nos per formam physicam & inhærentem.

Tertiò, quia sanctitas moralis (vt ait Lorca) inaudita est: Rursus cum diuinitas non sit sanctitas physica, sed moralis, tantum erit in humanitate extrinseca denominatio proueniens à Deitate, ac per consequens nos perfectius sumus sancti quàm Christus, quia forma supernaturali intrinseca sanctificamur, Christus verò extrinseca denominatione, proueniente à Deitate, sicut valor in operibus Christi est infinitus, nam ita loquuntur hi Auctores. Probatur sequela, nam sicut est effectus formalis, ita est forma, sed humanitatem esse sanctam, est quid morale, ergo non prouenit à Deitate, quæ est entitas physica, sed ab extrinseca denominatione morali à Deitate prouenienti.

Quartò reiicitur, quia si Deitas sanctificat, ergo si humanitas haberet peccatum ab illo emundaretur ex vi vnionis, quod est contra hos Auctores Vasq. prima secundæ, disp. 207. Montess. prima secundæ, disp. 33. dicentes maculam peccati non posse remitti sine intrinseca & physica mutatione peccatoris, & in nostro casu tantum esset extrinseca à denominatione morali; & hoc habet maiorem vim contra Hurtado, dicentem quod si humanitas vniretur cuilibet attributo (verbi gratia) voluntati Dei, redderetur per illam sancta.

Respondent Torres, & Montess. quod humanitas per vnionem mutatur. Sed contra primò, quia vnio non est forma sanctificans, vt statim probabo. Secundò, ergo non per Deitatem, sed per vnionem sanctificatur, quod est contra hos Auctores. Dices quod vnioni debetur gratia habitualis, qua expellitur macula peccati. Sed contra, quia posset Deus denegare talem gratiam, vt communiter fatentur plures. Deinde etsi non denegetur, iam peccatum expelleretur per gratiam, & non per Deitatem, & ita Deitas non esset forma sanctificans sed gratia.

Ferè eisdem rationibus probatur subsistentiam Verbi non posse sanctificare humanitatem contra Valentiam & Lorcam. Primò probatur, nam vel subsistentia sanctificat, quia subsistentia, vel quia diuina; non primum, aliàs quælibet subsistentia creata esset sanctitas. Deinde effectus primarius subsistentiæ, est reddere naturam incommunicabilem, ergo non est sanctificare. Non quia diuina, aliàs quodlibet attributum, vel ipsa Deitas sanctificaret, quod plures Thomistæ negant, & ipse Lorca. Secundò probatur, nam quod non est sanctitas in se non potest sanctificare, sed personalitas non est in se sanctitas, cum per illam Deus non constituatur sanctus, ergo neque potest humanitatem sanctificare. Probatur minor, nam Deus in illo priori antequàm cõmunicetur personis, est beatus & sanctus, ergò non est sanctus à personalitatibus, ne-

que

que ab illis est magis sanctus, ergo personalitas non est sanctitas.

Quod vnio non sanctificet probatur, quia vnio se habet sicut via & conditio, vt Deitas Deificet & vngat, sicut vnio gratiæ habitualis ad subiectum; sed sanctitas debet esse in facto esse, & in esse quieto, vt est gratia habitualis, ergo vnio non est sanctitas. Secundo, quia vnio secundum Thomistas, est modus substantialis, ergo nequit esse forma intrinseca sanctificans. Tertiò, quia si recurrendum est ad aliquid creatum vt sanctificet, multo melius recurrendum est ad gratiam, quæ secundum omnes, de facto est forma sanctificans, siue ex natura rei, siue ex pacto, vt tanquam Scoticum defensaui tractatu de iustificatione, nam secundum ipsum, etiam vnione poterat Christus sanctificari, vt colligitur ex 1. dist. 17. quæst. 1. art. 2. Quartò licet vnio sit accidens & intrinsece inhæreat humanitati, vt dixi cap. 5. diffic. 5. effectus eius primarius est vnire, ergo non est sanctificare, quia vna forma nequit habere duos effectus formales primarios, ergo non sanctificat.

Vltimò, quia sanctificare est effectus formalis gratiæ, & primarius secundum Thomistas, ergo nequit suppleri à Deo, ergo neque per Deitatem, nam effectus primarius non potest suppleri à Deo. Respondet Montess. quod effectus formalis gratiæ, est reddere subiectum sanctum accidentaliter per formam inhærentem quod Deus non supplet, sed reddit humanitatem substantialiter sanctam. Sed contra, ergo etiam poterit reddere substantialiter parietem album, quod est inauditum.

Prima sententia obiicit plura ex sacra scriptura, Ps. 44. *vnxit te Deus Deus tuus*, & alia similia. Sed respondeo, quod omnes isti locitantum probant Christum fuisse sanctum, non tamen determinant per quam formam.

Obiic. secundò Augustinum in hunc locum, Ansel. & Bedam dicentes oleum, quo vncta est humanitas Cristi esse diuinitatem ipsam. Respondeo cum Lorca, hos Patres falso citari, nam potius loquuntur de dono creato.

Tertiò obiic. Concilium Francfordiense in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, Dionysium, Hieronymum, Idelphonsum, & alios Patres à Lorca, & Recentioribus relatos, dicentes Christum fuisse sanctum & vnctum per naturam, & sanctitatem fuisse illi naturalem, & non acquisitam per opera, neque gratis collatam, nec externam. Respondeo quod Christus dicitur sanctus à natura, vel naturaliter, non quia sit sanctus à natura Diuina, sed quia fuit sanctus ab instanti conceptionis, sicut dicimur *natura filii iræ*, quia in instanti conceptionis habuimus originale. Dicitur sanctitatem non esse illi gratis collatam, quia Christo debita erat, saltem ex congruentia. Dicitur quod eius vnctio non est externa, ad distinctionem vnctionis sensibilis, qua olim Reges & Sacerdotes vngebantur in cornu. Alij Patres qui dicunt Christum esse in conceptione sanctificatum, nihil contra nos, nam Christus gratiam habuit ab instanti conceptionis.

Quartò obiic. Nazianzenum oratione secunda Paschatis, Damasc. Athanasium dicentes Christum fuisse sanctum diuinitate ipsa. Respondeo verum esse causatiuè, non formaliter; nam vnio cum diuinitate, causa fuit vt humanitas esset sancta, sicut dicitur, quod Christus est Sanctificatio, Iustitia, & Redemptio nostra, quia in nobis causat Iustitiam & sanctificationem. Sed quia hi Patres videntur loqui in

in sensu formali, scilicet humanitatem fuisse Deitate vnctam, & diuinitate delibutam, debent intelligi de sanctitate, quæ præstat cultum & reuerentiam, & cui debetur adoratio latriæ, non de sanctitate propria iustorum: quam duplicem sanctitatem in Christo distinxerunt Cyrillus in Epistola ad solitariam vitam, quæ habetur in Ephesino to. 1. cap. 1. Hier. in illud Abacuc *egressus est in salutem*, &c. Et hoc etiam significat humanitatem esse quasi ferrum ignitum, vt loquuntur aliqui Patres, scilicet quod ignis est in poris ferri, non tamen quod illud informet, ita diuinitas est cum humanitate, non tamen illam informat.

Ratione probant, humanitas per vnionem est à Deo dilecta, & non tantum per extrinsecam Dei voluntatem, sed per aliquid intrinsecum, scilicet vnionem ad Verbum, ergo per illam est sancta. Et confirmatur, quia per illam est ordinata ad gloriam, & illi debetur beatitudo, ergo per illam est sancta sanctitate iustorum. Respondeo concedendo vnionem reddere humanitatem dilectam formaliter, in ordine ad cultum & reuerentiam, & causaliter ad supernaturalem operationem & beatitudinem: Nam humanitati vnitæ saltem de congruo debetur beatitudo, & alia dona, vt impeccabilitas, &c.

Secundò obiic. secundum nos Tractatu de Iustificatione, Deus est sanctus per Deitatem, ergo si hæc Deitas humanitati vnitur, erit sancta per illam. Respondeo quod ad hoc, quod detur effectus sanctitatis, debet esse forma intrinsecè inhærens, quæ nequit esse Deitas; & sicut humanitas formaliter non constituitur omnipotens, neque sapiens per ista attributa; sed tantùm ita denominatur per communicationem idiomatum, ita neque sancta.

Tertiò obiic. per gratiam efficimur consortes diuinæ naturæ secundum Patrum testimonia, ac per consequens sancti, sed per vnionem humanitas efficitur particeps, & cōsors diuinæ naturæ, ergo & sancta. Respondeo quod ex eo quod quis participet esse diuinum, non colligitur esse sanctum sanctitate iustorum, nam si Verbum vniretur equo, equus participaret diuinum esse, & tamen non esset sanctus, vnde vnum est separabile ab alio.

Ex his colligitur, quod ad hoc quod Christus mereatur, indiget tanquàm principio gratia habituali; Nam licet ex Verbi personalitate maximam dignitatem habeat, non tamen erat dignitas sanctitatem tribuens, quæ est principium meriti.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Vtrum gratia habitualis Christi fuerit actu infinita.

NON est sermo de infinitate morali, sed de infinitate & intensione physica. Circa quod est prima sententia Mayor. in 3. dist. 13. quæst. 3. dicentis fuisse infinitam actu. Probabile reputat Almainus, quæst. 1. dicens fuisse sententiam communem suo tempore in Schola Parisiensi. Fauet Diuus Thomas, secunda secundæ, quæst. 24. art. 7. dicens gratiam posse crescere in infinitum.

Secunda sententia est, Victoriæ & Soti, dicentium gratiam Christi in esse qualitatis esse finitam, at verò in esse gratiæ, esse infinitam, quia reddit Christum infinitè gratum, & vt sit principium merens pro infinitis: quod exemplo monetæ explicat, quæ quantum ad materiale, est aurea vel argentea, quantum autem ad formale, valor eius à decreto Principis pendet, ita

gratia quantum ad materiale, scilicet esse qualitatis, est finita; quantum ad formale, scilicet esse gratiæ, est infinita.

Tertia & communis sententia docet gratiam non est infinitam actu, ita Scotus in 3. dist. 13. §. *ad primam quæstionem*, & §. *ad argumenta.* S. Thom. 3. parte, quæst. 7. art. 11. Suarez disp. 22. sect. 1. Vasq. disp. 46. cap. 2. Lorca, Valentia, Hurtado, &c. sed diuerso modo illam probant; Nam Valentia prima parte, quæst. 7. art. 3. & Suarez, probant, quia in per se subordinatis, vt sunt gradus qualitatis, non est processus in infinitum ex Aristotele 2. Met. cap. 2. ergo assignandus est primus & vltimus gradus intensionis.

Rursus, quia data quacumque qualitate, potest Deus auferre vnum gradum, quod impossibile est si sint subordinati; nam auferendo vnum, necesse est vt auferantur omnes superiores qui in illo nituntur, ergo dandus est vltimus gradus, quod infinito repugnat. Sed contra, quia vt docuit Scotus in 1. dist. 2. quæst. 2. litara H. Aristoteles loquitur de causis per se subordinatis, tàm actualibus, quàm possibilibus, ex quo probauit Aristoteles dari vnam primam causam, & Valentia & Suarez fatentur qualitatem infinitam de possibili; & ita si hæc responsio Aristotelis est efficax, contra ipsos probat.

Secundò aliter probat Suarez, quia si gratia Christi actu fuit infinita; ergo & lumen gloriæ, quod fuit in intellectu Christi, quod impossibile est, nam visio Christi beata fuisset infinita, ac per consequens Deum compræhenderet, quod est absurdum. Sed contra, quia etiam si lumen esset infinitum, non tamen visio, cum hæc etiam dependeat ab intellectu finito, etiam partialiter concurrente ad visionem, vt dixi Tractatu de Visione, & causa infinita limitetur à finita. Rursus gratia provt à charitate distincta, non est principium operationis, ac per consequens dari poterat, etiam si non daretur lumen infinitum, quod natura sua est actiuum.

Tertiò probat Vasq. quia si gratia esset infinita non posset augeri, & repugnat dari gratiam, quæ bonis operibus non augeatur. Sed contra primò, quia de ratione infiniti solum est non habere principium, neque finem, cum quo stat, vt habeat augmentum materiale & indeterminatum. Secundò, quia nulla est repugnantia, quod gratia infinita nō augeatur operibus bonis, sufficit, quod eadem debeatur duplici titulo, sicut gloria debetur titulo hæreditatis, & titulo mercedis, & illa gratia esset debita duobus meritis. Tertiò, cum gratia augeatur Dei voluntate & meritoriè, vt dixi contra Vasq. Tractatu de Merito, poterit Deus ordinare, vt non augeatur nouis meritis. Addo quod si merita ex natura rei augent gratiam, ergo gratia Christi de facto fuit aucta, vel fuit infinita, quod vtrumque negat Vasq.

Quartò probat Lorca, quia nullum ens creatum est infinitum, nam debita proportio rerum postulat, vt omnia finita sint, ac per consequens gratia habitualis Christi, & præcipuè cùm capacitas animæ Christi sit finita fortè non poterit recipere gratiam infinitam. Sed contra primò, quia hoc voluntarie dicitur. Secundò, quia sicut humanitas est capax vnionis ad Verbum infinitum, ita erit capax gratiæ infinitæ. Tertiò, quia saltem gratia à subiecto separata, poterit esse infinita, quod Lorca negat.

Quintò Montess. probat quod non detur gratia Christi infinita, quia exhauriretur potentia Dei ad extra, quod videtur inconueniens. Sed contra 1.

quia cum hoc non oriatur ex impotentia Dei; sed quia non est possibilis perfectior qualitas, non est inconueniens. Secundò, quia exhausta fuit potentia Dei in vnione hypostatica, cum nulla possit esse perfectior, & hoc non est inconueniens, ergo neque quod detur gratia infinita.

Sextò Hurtado & alii probant, quia licet possibilis sit gratia infinita, non est de facto in Christo admittenda, quia non est necessaria. Primò non ad infinitatem meriti, quia hæc sumitur à persona. Secundò, neque ex eo quod congruum est concedere Christo gratiam infinitam, est concedenda, quia non est sufficiens fundamentum. Sed contra, quia tantùm ponimus in Christo gloriam ab instanti conceptionis per scientiam infusam, propter congruentiam, ergo similiter propter illam poneremus gratiam infinitam si possibilis esset, & propter eandem rationem illam poneremus, vt meritum Christi augeretur.

Septimò quidam ex nostris probat, quia ex Aristotele 8. Physic. motus alterationis non potest ire in infinitum, sicut potest motus circularis, sed gratia est terminus motus alterationis, ergo non est terminus infinitus; nam si potest intendi magis & magis, æternitate mensuraretur, quæ est mensura propria Dei, quod est inconueniens. Probatur, nam si successiuè producatur, cum sit infinita consumet totam Dei æternitatem. Sed contra primò, quia gratia est qualitas permanens, quæ simul producitur, & non successiuè, & ita tota eius infinitas poterat à Deo in vno instanti produci. Secundò, quia quantitas continua & permanens, est diuisibilis in infinitum, & tamen æternitate non mensuratur, etsi æternitate mensuratur cum sit diuisibilis in infinitum, cum gratia si successiuè producatur, catur, quod non erit inconueniens, nam tunc æternitas esset mensura extrinseca illius.

His reiectis ratio mihi est, quia cum gradus qualitatis dicant perfectionem, siue specie, siue numero distinguantur, de quo dixi primo de generatione, nam si secundus gradus addit perfectionem supra primum, sequeretur quod daretur aliquid creatum infinitè perfectum, quod non est concedendum, cum solus Deus sit infinitè perfectus, quod non sequitur in quantitatibus, cum vna quantitas supra alteram non addat distinctam perfectionem intensiuam, ex quo fundamento difficultate sequenti probabo non posse gratiam in infinitum augeri.

Dices, quod in numero infinito quantitatis, sunt infinitæ species, & vna supra aliam addit nouam perfectionem essentialem, sicut ternarius addit perfectionem supra binarium; ergo sicut talis numerus infinitus, est producibilis, ergo & gratia. Respondeo quod propter hoc non est possibilis numerus infinitus, vt dixi 3. phys. nam infinitum est sine numero. Rursus & si possibilis esset infinitus numerus, non tamen qualitas infinita, nam numeri denario superiores, sunt repetitiones eiusdem denarij, & alterius vnitatis (verbi gratia) duodenarius denarij & binarij, & ita omnis perfectio numeri includitur in denario, quod non contingit in qualitate.

Obicit prima sententia Ioan. 3. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, quod intelligitur de Christo, ergo datur illi gratia sine mensura ac per consequens infinita. Respondeo primò, quod intelligitur de Spiritu Sancto, qui est in humanitate per concomitantiam. Vel secundò intelligitur de diuinitate. Vel tertiò, si de gratia intelligitur, dicitur sine mensura, quia

data est Christo in magna copia, scilicet summa.

2. Obiic. gratia habitualis data fuit Christo ad illum exornãdum, propter vnionem hypostaticam, sed hæc est infinita ergo & gratia. Respondeo dato quod vnio hypostatica esset infinita, non sequitur gratiam esse infinitam, ex eo quod ordinetur ad vnionem, nam etiam creaturæ ordinantur in Deum, tanquam in finem qui est infinitus, & non sunt infinitæ.

3. Obijc. gratia Christi fuit principium gratificandi infinitos homines si fuissent. Deindè infinitè cõstituit Christum Deo gratum, ergo est infinita. Respondeo negando Christum fuisse infinitè gratum, Nam tantum erat summè gratus neque ad gratificandos infinitos homines requiritur infinita gratia physicè, sufficit quod ex voluntate Dei habeat valorem pro infinitis, & sufficit quod persona Christi sit principium infinitum.

Valde laborant Scholastici quomodo tribuant gratiæ Christi aliquam infinitatem, Nos verò dicimus quia est summa negatiuè, in quo sensu late dicitur infinita, sicut sol dicitur infinitus in ratione lucis, quia potest illuminare infinita obiecta si darentur, quo exemplo vtitur Diuus Thomas, & hoc haberet gratia ex Dei voluntate, & hoc tantum vult 2. sententia vtens illo exemplo monetæ, neque alia distinctio gratiæ in esse qualitatis, & in esse gratiæ aliquid valet, Nam sicut albedo redit subiectum finito modo album, quia in esse qualitatis est finita, ita gratia reddit subiectum finito modo gratum, quia in esse qualitatis est finita, Nam esse gratiæ est gradus inferior respectu esse qualitatis: ergò sicut qualitas est finita, ita prædicatum inferius gratiæ, erit finitum.

DIFFICVLTAS QVARTA.

Vtrum gratia habitualis Christi potuerit augeri?

CONVENIVNT omnes Theologi gratiam Christi de facto nõ fuisse auctam, sed in intensione in qua primò infusa fuit, fixã permansisse ita Scotus in 3. dist. 13. in responsione ad 3. quæstionem, & Ratio est quia Christus ab instanti conceptionis fuit beatus, in quo nõ augetur gratia, nam status beatitudinis est inuariabilis. Neque obstat illud Lucæ. 2. *Puer Iesus proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines*, sed verè proficiebat ætate, ergo & gratia; Nam Respondeo quod sapientia & gratia non crescebant, nisi quod ad manifestationem, nam quotidiè per verba ostendebat sapientiam, & per opera ita excellentiora, gratiam ostendebat.

Dices *ly apud Deum*, videtur habere vim, cum Deo ab æterno manifesta fuerit gratia Christi. Respondeo quod *ly apud Deum & homines*, facit hunc sensum *in his quæ ad Deum & homines spectabant, quotidie Christus magis ac magis se manifestabat.*

Difficultas tantum est de potentia absoluta, vtrum gratia Christi potuerit augeri? prima sententia docet potuisse augeri, ac per consequens non fuisse summam possibilem. Ita Suarez disp. 22. sectione 2. Vasquez disp. 47. cap. 3. Becanus cap. 8. quæst. 4. Hurtado disput. 7. difficult. 5. Gabriel, Capreolus, Medina, Valentia, Montess. &c. 2. sententia docet gratiam de se in infinitum esse augmentabilem, tamen propter deffectum subiecti, non posse augeri, & ita in Christo non posse augeri, quia eius capacitas est adimpleta, vnde si Verbum assumeret na-

turam Angelicam, haberet maiorem gratiam, quia capacior natura est. Ita D. Thomas in 1. dist. 17. in 2. parte art. 1. quæst. 4. Ricardus, Driedo &c.

Tertia sententia ait gratiam non habere terminum, sed posse augeri in infinitum, actum verò Charitatis habere terminũ, nam voluntas habet capacitatem ad recipiendum infinitum, nõ tamen ad illud producendum.

Nobis dicendum est gratiam habere, *maximum quod sic*, & non posse augeri, & quod ita fuit in Christo Domino. Ita Scotus citatus §. *ad primam quæstionem*, & §. *ad secundam quæstionem*. Ibi Scotistæ, Pytigianis, quæst. 1. art. 5. Faber disp. 29. cap. 2. ex Thomistis, Caiet. 3. parte quæst. 7. art. 11. & 2. 2. quæst. 24. art. 3. Lorca disp. 43. & 2. 2. disp. 19 & alij veri Thomistæ. Probat Scotus, accipiatur gratia vt quatuor, tunc inquiro an ascendendo deueniendum sit ad aliquem gradum, vltra quem non possit progredi, & tunc dabitur summa gratia; vel potest procedi in infinitum, & sequitur quod quantò illa gratia excedit gratiam, vt quatuor, tanto est perfectior, & si excedit in infinitum, erit infinitè perfecta, & hanc gratiam cognoscit Deus vt vnum creabile, ergo poterit vna creatione creari, ac per consequens, daretur gratia actu infinita, quod negant aduersarii: patet, nam vel Deus videt gratiam finitam, & creabilem, & est contra ipsos Auctores.

Et confirmat Scotus ex Aristotele 3. Physic. textu 69. *quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu*, ergo si gratia potest magis ac magis augeri vsque in infinitum, ergò poterit esse gratia actu infinita, quod communiter impossibile iudicatur, tantùm est notandum quod illa propositio Aristotelis intelligitur à Scoto in permanentibus, non in successiuis, quæ permanentia vocat Scotus cum Auerroe, vnius potentiæ demonstratæ, seu determinatæ.

Dices ergo in quantitate permanente, datur maximum quod sic, vel si non, infinita quantitas datur actu de potentia Dei, si vera est auctoritas Aristotelis. Respondeo negando dari maximum in quantitate, nam vt ait Scotus §. *ad primam quæstionem*, secundum Theologos, quantitas de potentia Dei, tantum est infinita in potentia, neque si esset infinita actu, esset idem inconueniens dari quantitatem infinitam permanentem, ac dari qualitatem actu infinitam: nam quilibet gradus qualitatis addit perfectionem, secus quælibet pars quantitatis.

Quod hæc summa gratia data fuerit Christo probat Scotus §. *quantum ad secundam quæstionem*, quia secundum Augustinum 3. de libero arbitrio, *quidquid tibi vera ratione melius occurrit, scias hoc Deum magis fecisse, quàm non fecisse*; sed summam gratiam esse Christo collatam est melius, ergò hanc illi Deus contulit. Addo quod hoc modo, melius explicatur, quomodo Christus suis meritis non meruit augumentum gratiæ, siquidem si augmentabilis erat, non esset cur non meruerit intensionem, præcipuè in sententia Vasquez & aliorum, qui dicunt ad meritum non requiri pactum. Deinde si gratia Christi habet terminum & natura sua gratia est augmentabilis, ergo poterit homo habere maiorem gratiam quàm Christus, quod videtur inconueniens.

Prima sententia obiicit ex nullo capite repugnat gratiam augeri, nam non ex parte Dei, quia infinitè omnipotens, non ex parte subiecti, quia in illo est potentia obedientialis ad infinitam formam, non ex parte gratiæ, quia gratia est Dei participatio, &

Deus est infinitè participabilis, ergo gratia augeri potest. Respondet Scotus §. *ad argumenta* versiculo *ad tertium*, quod ex parte Dei repugnat, quia operatur gratiam ex nihilo, ac per consequens limitatam, nam ad extra non potest Deus agere infinitè: Etiam repugnat ex parte capacitatis, quia est creata & finita, & ita non est ad infinitum: & etiam repugnat ex parte formæ, nam sicut calor qui est participatio Dei non est infinitus, ita neque gratia, quamuis sit specialis participatio.

Secundo obiic. gratia augetur per opera meritoria, ergo si ista multiplicantur etiam gratia augebitur, aliàs operibus bonis non mereremur, quod damnatum est in Concilio Viennensi. Respondeo quod quando gratia est in summo gradu, operibus meritoriis non augetur sicut neque Christus neque Beati modo merentur augmentum gratiæ: nec mirum cum completiua ratio meriti, proueniat ex pacto Dei, vt dixi Tractatu de merito, in Viennensi damnantur, Bigardi & Beguinæ, dicentes homines in hac vita posse venire ad statum in quo neque peccare neque mereri possent, quia si semper possent mereri, peruenirent ad sanctitatem infinitam, & ita meritò propter vtrumque damnantur, quia vnicuique præfixa est à Deo mensura gratiæ minor gratia Christi. 2. quia in quocumque gradu sanctitatis adhuc homo pecare potest.

Tertiò Obiic. quia si in Christo est summa gratia, ergo non poterit Deus tribuere æqualem alicui creaturæ. Respondet Scotus negando sequelam, nam solum est gratia Christi summa negatiuè, id est, quod à nulla exceditur, non tamen est summa positiuè, id est quod non possit habere æqualem. Ex dictis Respondeo ad 3. sententiam.

Dico 2. contra secundam sententiam, augmentum gratiæ non modificatur à capacitate subiecti, sed in quocunque subiecto, capaci est æqualis capacitas. Ita Scotus §. *ad primam quæstionem*, litera F. probat, nam ex eo aliquæ qualitates non possunt in aliqua intensione esse in aliquo subiecto quia petunt ad sui conseruationem, quare aqua & aer petunt moderatum calorem, nam si sit intensus vt sex, non manebit aer, sed ignis; sed humanitas ad sui conseruationem non petit gratiam, ergo cum sit capax illius, erit capax cuiusque gradus. 2. probat, nam quia gratia est eiusdem rationis in homine & Angelo, ita capacitas vtriusque est eiusdem rationis; sicut quia albedo est eiusdem rationis in lapide & ligno, ita ista sunt eiusdem rationis ad recipiendam albedinem sicut eiusdem capacitatis est vas argenteum & vas aureum. Et totum hoc confirmatur, quia hæc capacitas est potentia obedientialis, quæ respicit quidquid non repugnat, ac per consequens æqualis est in omnibus, ex quibus soluuntur fundamenta huius 2. sententiæ, vnde tanta gratia potuit esse in puro homine, ac fuit in Christo domino, non tamen hoc potuit esse de potentia ordinaria, vt docuit Scotus §. citato in fine, quia in Ecclesia non est nisi vnum caput, à quo fit influentia gratiarum in membra: illud vero quod ait Diuus Bonauent. quod capacitas humanitatis Christi, fuit maior propter vnionem non placet, quia per vnionem non fuit humanitatis natura mutata, ergo neque capaciæ, & patet, nam etiam post vnionem humanitas est minor Angelis & separata ab vnione potuit habere eadem gratiam.

Ex his facilè constat quomodò Christus Ioan. 1. dicatur *plenus gratia*

& veritate; & ad Colloss. 2. *de plenitudine eius omnes accepimus.*

Sed obiicies, quia Lucæ 1. Beata Virgo dicitur *gratia plena*, & similiter Act. 1. Apostoli, & Steph. Act. 4. Respondeo quod dicuntur pleni, non quia habuerint summam gratiam vt Christus, sed 1. quia in ordine ad ministerium ad quod destinati erant, habuerunt gratiã necessariam. 2. quia habuerunt super abundantiam gratiæ, qua ratione Lucæ 4. dicitur, *repleti sunt omnes in Synagoga ira*, id est superabundantem iram habuerunt.

Dubitabis an gratia habitualis physicè & necessario oriatur in Christo ex vnione. Caiet. 3. parte quæst. 7. art. 12. Et Medina articul. 5. dicunt emanare tanquam propriam passionem ex vnione. Nobis dicendum est negatiuè cum Suarez disput. 17. sect. 3. Vasquez, disput. 24. & disput. 41. Rada 3. parte contro. 4. art. vltimo. Ratio est quia si ex aliquo oriatur gratia, maxime ex anima Christi, vel ex humanitate vnita; sed hoc non, quia cum non sint intrinsecè mutatæ, non est illis physicè debita gratia, sed tantum ex congruo, & hoc patet, cum vnio possit fieri in equo, in quo non esset gratia, & propria passio in sententia Scoti nequit de potentia Dei separari. Aluarez & Cabrera 3. parte quæ. 2. art. 12. Hurtado disp. 7. difficult. 8. dicunt quod licet gratia non oriatur vt propria passio ex humanitate vnita, tamen est Christo connaturalis, quia conuenit illi à propria essentia, & à principio intrinseco, nempè à Natura diuina intrinsecè existente in Christo: neque obstat quod liberè proueniat, nam etiam motus progressiuus liberè prouenit ab homine, & etiam est connaturalis naturæ hominis. Sed hunc modum dicendi non benè capio, propter quod dico quod gratia non est Christo connaturalis, sed quod prouenit à Deo liberè illam producente, licet illi debeatur de congruo propter vnionem, nam nimis congruum est humanitatem Verbo vnitam exornatam esse gratia habituali, & aliis donis. Ita insinuunt Vasquez citatus num. 6. & Rada.

DIFFICVLTAS QVINTA.

Vtrum Christo necessarium fuerit auxilium gratiæ.

SVPPONO vt dixi tractatu de auxiliis, dari gratiam excitantem per modum actus primi quæ est sancta Dei cogitatio, vel subitus & indeliberatus motus voluntatis: dari etiam adiuuantem seu cooperantem, quæ est concursus quo Deus simul cum nostris potentiis concurrit.

Suppono etiam, quod sicut quælibet creatura indiget tali gratia adiuuante ad suam operationem, Ita etiam indiguit Christus; & sicut in qualibet creatura concursus ad opera supernaturalia fuit gratia, saltem in radice; ita similiter in Christo. Difficultas tantùm est de gratia excitante, & suppono non fuisse in Christo motus subitos & indeliberatos voluntatis, quia hi motus dicunt imperfectionem, siquidem supponunt cognitionem imperfectam, quam negamus in Christo Domino, & ita difficultas tantum est de sancta cogitatione, an fuerit in Christo specialis gratia. Suppono etiam quod visio beata fuit gratia Christo concessa, nam humanitati vnita non erat debita beatitudo, tamen supposita visione, ad amorem beatificum non indiguit Christus alia cogitatione à visione distincta, nam ipsa de se sufficientissima erat.

Difficultas ergo est vtrum ad alios actus

actus præter beatificum, necessaria sit aliqua cogitatio à visione distincta, vel verum sufficiat ipsa visio?

Suarez disput. 18. sect. 4. ait Christum non indiguisse alia gratia præter visionem beatam, si tamen illa careret, quod possibile est, indigeret alia sancta cogitatione.

Nobis dicendum est Christum indiguisse præter visionem beatam, alio auxilio seu cogitatione ad eliciendos actus amoris Dei & proximi & virtutum moralium. Et probatur, quia hi actus non regulantur visione beata, ergo indigent alia cognitione, vt scientia infusa, quam de facto habuit Christus, vel alia cogitatione. secundò quia Christus ex vi vnionis non mansit impeccabilis, vt dicam posteà, ergo ad vitandum peccatum, & ad bonum supernaturale exercendum, indiguit Christus gratia à visione distincta; nam sæpè actus quibus peccata vitantur, non sunt beatifici, sed sunt actus virtutum moralium, ad quos præcisè ratione vnionis non habet humanitas efficaciores vires, propter quod illi dati sunt habitus infusi qui non sufficiebant ad perseuerandum in bono sine auxilio Dei speciali, vt dixi cum Suarez, Vasquez & Montess. Tractatu de Gratia de Adam in statu innocentiæ; licet discrimen sit, quod Christo debitum erat tale auxilium, saltem ex congruentia, propter vnionem, propter quod absolutè non est dicenda gratia specialis in Christo; secus in Adam qui non habebat talem congruentiam.

Solum est notandum quod illi Scotistæ, qui dicunt gratiam habitualem & alia dona esse Christo connaturaliter debita, difficillimè saluare possunt quod in Christo sit necessarium speciale auxilium, nam illud quod connaturaliter est debitum, nullo modo est gratia, nam ignem habere calorem non est gratia, siquidem calor igni debitus est. hoc argumentum vim habet contra Thomistas idem dicentes.

CAPVT DVODECIMVM.

De donis & gratiis quæ fuerunt in Christo vt erat singularis homo.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum in Christo fuerint virtutes Theologicæ?

EX capite præcedenti difficult. 1. constat in Christo fuisse charitatem, quia vel non distinguitur realiter à gratia, vt docet Scotus, & plures Thomistæ, vel si distinguitur (vt alij dicunt) est inseparabilis ab illa, ac per consequens, si in Christo fuit gratia, etiam & charitas in eadem intensione, & ita primum dubium erit.

De fide Theologica.

NOTANTER dixi Theologica, nam fides quæ est fidelitas, pars potestatiua iustitiæ, fuit in Christo; sicut etiam fuit fides gratia gratis data, vt constat Isayæ 11. *fides cinctorium renum eius.* Nec loquor de fide humana, nam cum sit fallibilis, non fuit in Christo, & si assentiebat his quæ ab aliquo dicebantur, non erat per fidem humanam, sed quia aliàs sciebat esse vera.

Omnes Theologi conueniunt in Christo non fuisse actum fidei Theologicæ; & probatur; nam Christus erat perfectissimè beatus, ac per consequens omnia clarissimè cognoscebat, ergo non habuit actum fidei, nam primæ ad Corinth. 15. *cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Idest, fides; nam isti actus visionis & fidei inter se repugnant, adhuc de potentia absoluta, nam assensus fidei

est visio obscurus, & dicit essentialiter obiectum non visum; actus visionis est actus clarus, & dicit obiecti m visum, sed visum & non visum repugnant, ergo hi actus.

Dices primò circa diuersa obiecta materialia non repugnat simul fides & visio, ac ita simul possunt esse in beatis, vt docuit Scotus in 3. dist. 31. § *ad primum argumentum*, littera h. Respondeo concedendo absolutè, quia aliquis beatus aliqua non videt quæ credere potest, tamen cum Christus omnia videat, siue per visionem, siue per scientiam infusam (quæ cum sit clara, etiam repugnat cum fide) non relinquitur locus fidei.

Dices secundò obiectum formale fidei, & obiectum formale visionis sunt diuersa, ergò etiam possunt esse in Christo diuersi actus, circa idem obiectum materiale sub diuersis rationibus formalibus. Respondeo negando consequentiam, nam talia obiecta inuoluunt conditiones oppositas, scilicet visum & non visum, clarum & obscurum. Instabis quod etiam visio & scientia abstractiua includunt diuersas conditiones oppositas, nam visio, præsentiã obiecti, cognitio abstractiua, nõ præsentiã seu absentiã obiecti, & tamen simul inueniũtur in Christo, nã intuitiuè cognoscit Trinitatẽ, & simul etiã abstractiuè per scientiã infusam. Respondeo negando instantiam, non cognitio abstractiua nõ dicit essentialiter non præsentiam obiecti, nam cognitio prædicatorum essentialium, tantum, rei præsentis, est etiam cognitio abstractiua, tantum distinguntur tanquam magis & minus, nam abstractiua cognoscit tantũ quidditates, siue sint præsentes, siue non, à quo abstrahit; at verò intuitiua cognoscit res vt existentes, & præsentes, & ita non opponuntur.

De habitu fidei cum non repugnet cum habitu luminis gloriæ, neque cum visione, vt ait Scotus in 3. dist. 31 § *Respondeo*, Nam actus & habitus non repugnant, neque duo actus oppositi, nam duo principia opposita non repugnant, nam intellectus vnus est principiũ assensus & dissensus, non est certum an fuerit in Christo, sed dico non fuisse, quia cum talis habitus inclinet ad cognitionem obscuram, est imperfectus, & ita non est ponẽdus in Christo. Rursus quia superfluus, cùm nunquàm futurus sit actus, & secundũ Scotum in 4. dist. 49. quæst. 11. litera, g, *non enim potest poni aliqua forma, scilicet habitus in beato solum, ad decorem & pulchritudinem, & quod non ordinetur ad actum*. Idem habet in 3. nunc citato.

Dices etiam sunt in Beatis potentia generatiua & Nutritiua, quæ non habebunt actum, ergo etiam poterit esse habitus fidei. Respondeo 1. in sententia Thomistarum, istæ potentiæ sunt de integritate naturæ, & Beati debent habere naturam perfectam, habitus fidei non est de integritate naturæ. 2. Respondeo in nostra sententia istæ potentiæ non distinguuntur realiter à natura, & ita sunt inseparabiles.

Dubitabis an in Christo fuerit pia affectio ad credendum? pia affectio est actus voluntatis quoquis vult credere. Negat Lorca disp. 38. n. 7. Montess. Hurtado disp. 7. diff. 10. Nobis dicendum est cum Suarez quæst. 7. ad art. 3. Diui Thomæ cum quòdam ex nostris fuisse in Christo piam affectionem conditionatam, quod si Deus illi reuelaret aliquod obiectum, illud credere vellet propter fidei honestatem, quod Montess. iudicat non absurdum, & ratio est quia sicut fuit in Christo promptitudo animi circa bonum Dei, ita congruit quod habuerit promptitudinem circa veritatem Dei, & ad hoc nullum est inconueniens ponere actum specialem

piæ affectionis, vt talis volitio connaturaliter eliciatur, licet talis habitus non sit necessarius, vt docet Scotus in 3. dist. 25. quæst. 2.

Obiicit Lorca, actus fidei non est possibilis in Christo, ergo neque pij affectus. Respondeo negando antecedens absolutè, nam poterat Deus non repræsentare illi aliquid in Verbo, vel scientia infusa non cognoscere aliquid de quo haberet fidem, quod esse possibile docet Scotus in 3. dist. 31. in fine 2. Respondeo ad actum conditionatum sufficit obiectum impossibile.

2. Obiicit Montess. quia ad actum inefficacem & conditionatum non requiritur habitus, & si requireretur sufficit habitus obedientiæ; nam poterat Christus velle credere ex motiuo obediendi Deo. Respondeo quod licet nō requiratur habitus, est tamen perfectio dari, vt talis actus connaturaliter fiat, neque sufficit obedientia, cum obiectum & actus sint specialia ad quæ perfectius est dari specialem habitum sicut & actum.

De spe Theologica.

SVPPONO in Christo non fuisse actū spei circa gloriam animæ, nam ad Rom. 8. *quod quis videt, quid sperat?* & Christus habebat talem gloriam. Neque circa continuationem talis gloriæ, nam talis continuatio non erat Christo ardua, quod requiritur ad rationem spei. Difficultas tantum est, an in Christo fuerit actus spei Theologicæ circa gloriam sui corporis; nam fuisse in illo desiderium, certū est, vt constat ex Psal. 17. *Deus meus sperabo in eum*, vbi Christus loquitur, vt patet ex ad Heb. 2. Durādus in 3. dist. 26. quæst. 3. Lorca disp. 38. num. 13. Aluarez, Caiet. & quidam ex nostris dicunt in Christo non fuisse actum spei Theologicæ circa gloriam corporis, diuersimodè probatur ab his Auctoribus.

Nobis dicendum est in Christo fuisse actum propriæ spei circa gloriā corporis. Ita Suarez quæst. 7. art. 4. Vasq. disp 43. c. 2. Ragusa disp. 71. Becanus ca. 8. qu. 8. Pytigianus in 3. dist. 3. qu 2. art. 5. Montess. &c. diuersimodè probatur ab aliquibus Auctoribus, quę diuersitas oritur ex explicatione arduitatis quæ necessaria est in obiecto ad actum spei.

Vasq. 1. parte disp. 84. c. 2. & Hurtado dicunt arduitatē consistere in eo quod obiectum desiderandū pendeat ex voluntate alterius: sed cōtra Beati sperāt gloriā corporis & conseruationē glorię animæ: patet, nā hoc dependet à voluntate Dei. Respondet Vasq. totū concedendum. Sed contra quia 1. ad Cor. 13. dicitur spē non manere in patria 2. reiicitur nam sequeretur Deū sperare à nobis nostrā conuersionem, siquidem est à volūtate alterius. Respōdet Vasq. quod debet sperari à superiori, nos verò sumus inferiores respectu Dei. Sed cōtra, quia, vt benè Lorca, hæc solutio volūtaria est, & est fingere solutiones ex suo cerebro, vt sua placita defēdat. 2. quia non dicitur filium sperare cibum consuetum à Patre, & Pater est superior.

Nobis dicendum est arduitatem cōsistere in difficultate consecutionis rei speratæ, siue hæc difficultas oriatur ex magnitudine rei speratæ superante vires nostras, siue ex aliis circunstantiis, vt potè ex distantia, contingentia, temporis diuturnitate, labore, impensis, obstaculis &c. Est communis sentētia, præsupponit enim hæc arduitas credulitatem rei futuræ. Ita Scotus in 3. dist. 26. §. *ad primum horum.* Probatur hæc sententia, Christus cognoscebat gloriam sui corporis esse futuram, & illi erat ardua, quippe per labores acquirenda, ergò habebat spem respectu illius. Respondet Scotista cum Lorca, quod molestia laborum est obiectū audaciæ & fortitudinis, non vero spei.

Sed contra ex ipso Lorca de actibus, disp. 48. & secunda secundæ de spe disp 1. num. 20. quod spes respicit arduū à nobis explicatū, audacia respicit arduum propter nocumenta & damna & damnorum pericula, quæ imminiuere possunt, vnde à spe oritur audacia. Secundò, quia licet habeat idem obiectum, distinguitur ex diuerso modo attingendi illud, nam audacia & fortitudo est aggressio ardui, spes verò est speratio & erectio animi vt arduum aggrediatur.

Dices, quod sperare gloriam corporis cum non habeat Deum pro obiecto, non erit spes Theologica. Respondet Monteiss. quod obiectum formale est Deus, à quo speratur gloria corporis, sicut per charitatem diligimus proximum, qui non est Deus, & per fidem credimus multa à Deo reuelata, quæ non sunt Deus.

Prima sententia obiic. quia gloria corporis erat Christo debita ex vi vnionis, & quia erat beatus in anima, ergo non erat illi ardua. Respondeo concesso antecedenti, negando consequētiam, nam erat acquirenda per labores crucis & mortis, quæ gloria non est ardua aliis beatis, & ita illam non sperant.

Dices, quod est difficilis Beatis propter temporis diuturnitatem. Respondeo quod hoc non sufficit, cum simul habeant omnimodā certitudinem.

2. Obiic. quia arduitas cōsistit in contingentia, Christo non erat gloria corporis contingens, ergo neque spei obiectum. Respondeo quod non semper requiritur contingentia ad arduitatem licet sufficiat, nam sine cōtingentia est spes in animabus Purgatorij, & fuit in Beata Virgine, & in Apostolis, qui certi erant de sua beatitudine. Sed hoc negat quidam ex nostris, quod mihi difficile est spem negare in capite Ecclesię, & præcipuis membris, & fortè in tota Ecclesia quæ tunc cōstabat paucis credentibus, & tot fortè erant in gratia confirmati, quippè super illos veneret Spiritus Sanctus.

Sed instat Scotista, in hoc distinguitur spes à desiderio efficaci, quia hoc est sine timore, spes est cum timore, ergo cum contingētia. Respondeo, etiam quod est certum timemus, nam nihil certius quàm mori, & mortē timemus.

2. Instat, diuersimode desideratur, illud quod est cōtingens, & id quod non est contingens; sed qui desiderat contingēs, sperat, ergo qui desiderat non contingens, non sperat. Respondeo quod ad rationem virtutis spei, contingens vel non contingens (dummodo sit difficile acquisitu) tantùm est differentia materialis, & ita vtrumque speratur & contingens & certum.

3. Instat, spes & timor sunt opposita, sed timor non habetur de futuro nessario, sed habetur tristitia, ergo neque spes de certo. Respondeo quod tristitia distinguitur à timore secundum Aristotelem, non per necessarium & contingens, sed quia timor est de futuro, tristitia de præsenti.

Dubitabis, an in Christo sit actus propriæ spei Theologicę circa gloriam & gratiam aliorum, & consummationem Ecclesię? Negat Suarez, Ægidius, Vasq. & Becanus Tractatu de Spe, & citatur Scotus in 3. dist. 26. §. *ad argumenta pro prima via.* Sed falso, nam verba illa non sunt Scoti, sed additio.

Propter hoc dicendum nobis Christum actu spei Theologicæ sperare. Hoc colligo ex Scoto. §. *ad quæst. igitur*, vers. *hac etiam virtus*, dicente, *quia enim desidero illud mihi vel tali, vel tali, non tollitur quin desiderem illud.* Et loquitur de spe. Est sentētia S. Thomæ. secūda secūdæ, quæst. 17. art. 3. Pro intelligentia, Noto quod si gratia, & gloria Sanctorū considerentur in Sanctis, prout sunt mem-

bra Christi, & spectabāt ad ædificationem corporis mystici, ita est actus spei; nam vt sic talia dona considerantur, vt propria bona Christi, quippè erat caput huius mystici Corporis, & volebat illa vt bona sibi. Solum est notādum, quod hic actus, in Christo post Resurrectionem, non fuit spei, quia non erat gloria sanctorum acquirenda per labores, vt fuit antè mortem. Si verò talis gratia & gloria considerentur, vt sunt particulares personæ, potest Christus illas velle, & actu spei, & actu charitatis; actu spei, si illas desideret vt bona illorum: Ita quòd personæ se habeāt tanquam, *Cui* vult bonum: Actu charitatis, si illas vellet ex complacentia personarum, ita quòd persona sit tanquam *quis*, & hoc docet illa additio Scoti.

Dubitabis 2. an ad eliciendos hos actus spei ponatur in Christo habitus? Negāt S. Thomas 3. par. qu. 7. art. 4. ad 2. Hurtado disp. 7. diffic. 11. Vasq. Montess. Nobis dicendum est cum Suarez, quæst. 7. art. 4 Becano cap. 8. quæst. 8. fuisse habitum spei, quia est perfectio Christi, vt tales actus connaturaliter eliciātur, aliàs actus spei in nobis, esset perfectior; quippè procedit ab habitu.

Obiicit S. Thomas, quia habitus non ponitur, nisi quando est possibilis actus primarius talis habitus, sed in Christo est impossibilis spes circa gloriā animæ propriæ, qui est actus primarius spei, ergo in illo nō datur habitus spei. Respondeo maiorem esse falsam.

2. Obiicit Vasq. quia non est dandus in Christo habitus, qui auferendus erat in Resurrectione. Respōdeo quod etiā habitus spei aufertur in beatis, & tamen dum sunt Viatores habent illum.

Dubitabis 3. à quo habitu elicitur actus cōcupiscentiæ, quo Christus tàm in via quàm in patria diligit Deum, vt sibi bonum supernaturale? hunc actum vocant Thomistæ gaudiū seu delectationem, falsò tamē, vt dixi Tractatu de Beatitudine, cùm gaudium & delectatio non sint actus, sed passiones. Suarez & Salas dicunt prouenire ab habitu spei, non sub nomine spei, quod non iudicat improbabile Scotus in 3. dist. 31. Vasq. disp. 43. cap. 2. & alibi, Valentia, Montess. & quidā ex nostris dicūt non elici ab habitu. Probat Vasq. Nam talis actus est naturalis in substantia, quia desiderare proprium bonum, & gaudere de possesso, est naturale. Sed respondeo quod etiā spes esset naturalis, quod est falsum. Probo, nam habet idem obiectum, tantùm distinguitur quia in patria est præsens, & quando sumus in via, est absēs & difficile acquisitu, quod est quid per accidens ad hoc vt sit naturalis vel supernaturalis. 2. Quidquid sit de hoc, ponendus erat habitus naturalis, vt actus cōnaturaliter eliceretur.

Lorca, disp. 38. & disp. 7. de spe, num. 13. Montess. & quidam ex nostris dicūt procedere ab habitu charitatis: citat Scotū in 3. dist. 26. § *Contra viam* littera, K, vbi ait Scotus, *eodem actu quo amo, concupisco bonum amato, hoc est, bonum commodi.* Sed immeritò, nam ibi Scotus se explicat dicens, quod eodem actu quo quis amat Petrum, vult Petrum Deum diligere, non vt dilectio est bonū Petro, sed in quantū amare Deum est bonum in se; quod fateor, nam est sicut reflexus, vt ibi docet Scotus, qui spectat ad eandē virtutē ad quam pertinet actus directus. Reiicitur hæc sententia, nam amor cōcupiscētiæ, vt est diligere Deū, vt bonū mihi, nequit à charitate procedere.

Dico quod talis actus elicitur ab habitu tentionis, quod probabile iudicat Montess. & satis insinuat Scotus in 3. dist. 31. ante litterā, D, verficulo *quando ergo alluditur.* Et probatur quia act⁹ spei & actus tensionis sunt specie diuersi, cū habeant conditiones obiectiuas diuersas, nempè spes absentiam & arduita-

tem, tensio præsentiam & possessionem; ergo vt talis actus connaturaliter eliciatur, debent dari habitus distincti specie.

Dices primò, darentur plures quàm tres virtutes Theologicæ, quod est contra Paulum, cum detur etiam tensio. Respondeo Paulum tantùm enumerasse virtutes viæ, & quæ necessariæ sunt, nam etiam datur lumen gloriæ, quod non enumerauit Apostolus.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Vtrum in Christo fuerint omnes virtutes morales?

CONVENIVNT Theologi in Christo Domino fuisse omnes virtutes morales, quæ statui beatitudinis & vnioni non dissonant, & saltem quo ad aliquas virtutes est de fide, Matth. 11. *quia mitis sum & humilis corde.* Et ad Philip. 2. *factus obediens.* Et licet scriptura non loquatur de habitibus, absurdum tamen erit illos negare, cum ponantur in aliis Iustis, vt eorum actus perfectiores, & connaturaliores euadant.

Dices magnificentia non repugnat vnioni, nec beatitudini, & tamen non fuit in Christo, nam consistit in erogandis magnis sumptibus, quos Christus non habuit. Respondeo cum Montess. fuisse quoad actum interiorem, sicut potest esse Franciscanus liberalis, & etiam Magnificentia in Christo quoad aliquos actus exteriores, scilicet distribuendo illa quæ illi dabantur, & satiando tot homines in deserto; sicut habuit etiam Christus Iustitiã quoad aliquos actus, nõ quoad omnes, nã nil restituit, quia nullius fuit debitor, imò habuit Christus hanc virtutem non tam in consumptione diuitiarum, quàm in abiectione earum, cum illi sint omnes diuitiæ debitæ ratione vnionis; tandem distribuit bona supernaturalia.

Dices secundò in Christo non fuit Temperantia, nec fuerunt virtutes quæ versantur circa passiones appetitus, cum in Christo fuerint sedatæ, & non insurgerent contra rationem. Respondeo cum S. Thoma 1. parte, quæst. 95. art. 4. quod istæ virtutes fuerunt in Christo, sicut in Adam in statu Innocentiæ, nam vbi passiones sunt magis edomitæ, sunt virtutes perfectiores, propter quod in Christo non fuit continentia, quia secundum Aristotelem 7. Ethic. cap. 9. non est virtus, sed est circa passiones passim insurgentes contra rationem, quod non fuit in Christo. Distinguitur Continentia à Temperantia, sicut forma embrionia à forma Animalis, quæ distinguntur specie, sic Philosophi & sanctus Thomas.

Petes, an in Christo fuerit pœnitentia. Communiter negant loquentes de actu, quia in Christo non fuit proprium peccatum, ac per consequens nec retractatio vitæ, quæ sunt obiectum & actus pœnitentiæ: tamen loquentes de habitu diuersimodè loquuntur. Nam Caietanus & Suarez, disp. 19. sect. 1. dicunt habitum pœnitentiæ secundum aliquam rationem esse in Christo, nam non distingunt hunc habitum ab habitu Religionis. Alij dicentes habitum pœnitentiæ esse eundem cum habitu Iustitiæ aut Charitatis, etiam dicunt in Christo esse habitum pœnitentiæ. Nos autem dicimus, vt probabiliùs docet Scotus in 4. dist. 14. quæst. 2. §. *ad primum arg.* littera. X. In Christo, & in statu Innocentiæ, & in Beatis esse habitum pœnitentiæ, & actum eius non repugnare. Probatur, nam obiectum eius tantum est vindicare peccatum, vt offensiuum

Dei, quod sit proprium vel alienum, est materiale, quia actus fuit in Christo ex complacentia resarciendi iniuriam Deo illatam pro peccatis, ergo fuit in Christo actus pœnitentiæ & habitus, vt connaturaliter eliceretur actus, ex quo patet ad fundamentum Thomistarum.

Dubium est quales fuerint in Christo virtutes? & suppono has virtutes fuisse in Christo, non tantum in heroico gradu, sed in summo, sicut fuit in Christo gratia & Charitas, vt dixi cap. 11. quia ita spectabat ad excellentiam Christi. Secundò suppono contra Cabreram, quæst. 7. art 2. disp. 2. non fuisse propriis actibus acquisitas, sed in primo instanti infusas sicut fuerunt primo parenti. Probatur, nam sine miraculo (quod non est concedendum) non potuerunt Christo occurrere materiæ omnium virtutum. Secundò necesse erat vt aliquo tempore careret aliquibus virtutibus. Tertiò habuisset actus illarum in statu imperfecto, cum non procederent ab habitu. Difficultas ergò est an fuerint per se vel per accidens infusæ?

Thomistæ, qui cum sancto Thoma prima secundæ, quæst. 63. art. 1. & 2. fatentur dari virtutes morales per se infusas, quæ deseruiunt ad operandum connaturaliter ex motiuo supernaturali, in quo distinguntur à per se acquisitis, quæ tantùm operantur ex motiuo naturali; ponunt in Christo has virtutes per se infusas, licet differant inter se: Nam aliqui vt Capreolus, & probabilius iudicat Lorca, disp 38. num. 22. tantùm fatentur in Christo has virtutes per se infusas, & negant per se acquisitas; quia perfectius est operari ex motiuo supernaturali, quàm ex naturali, quod Christo est concedendum; frustrà ergo, inquiunt, ponuntur in Christo virtutes per se acquisitæ. Alij vt Suarez, disp. 19. sect. 2. Vasq. 42. cap. 1. & probabiliùs iudico, dicunt in Christo fuisse vtrasque virtutes morales, & per se infusas, & per se acquisitas, & has per accidens infusas, nam perfectius est operari ex vtroque motiuo quã ex vno tantum, imò Christus semper operabatur ex fine extrinseco charitatis.

Nos verò, qui cum Scoto in 3. dist. 36. §. *contra hoc*, littera, O, &, P; & in 4. distinct. 14. quæst. 3. littera, F, dicimus non dari virtutes morales per se infusas; quia non sunt necessariæ, nam ad hoc, vt quis operetur in materia virtutum moralium ex fine, & motiuo supernaturali, sufficiunt virtutes Theologicæ dirigentes has virtutes; tantùm ponimus in Christo, & in beatis, & in statu Innocentiæ, virtutes morales per accidens infusas, de quo latè Tractatu de Virtutibus.

Obiicies, virtutes morales ponuntur ad vincendam inclinationem appetitus contra rationem, sed in Christo non fuit talis inclinatio, nec fomes peccati, ergo non sunt necessariæ tales virtutes. Respondeo quod talis inclinatio vel fomes peccati, non fuerunt formaliter extincta per vnionem, sed per alia dona, inter quæ sunt virtutes morales, quæ adhoc necessariæ sunt.

Secundò obiicit Vasq. dicens, quod Christus non habuit Prudentiam per accidens infusam ab instanti conceptionis, sed propriis actibus acquisitam, nam prudentia pendet ex scientia per se acquisita, sed hanc non habuit per accidens infusam, ergo, neque prudentiam. Respondeo negando non habuisse scientiam per accidens infusam, ac per consequens non habuisse prudentiam, & ratio est, quia licet prudentia non sit connexa cum virtutibus, tamen virtutes connexæ sunt

cum prudentia, vt docuit Scotus in 3. citato §. *potest ergo aliter dici*, litera, K. aliàs vel Christus pro aliquo tempore caruisset prudētia, vel habuisset virtutes in esse imperfecto, nam ita sunt sine prudentia, quod vtrumque iudico inconueniens.

DIFFICVLTAS TERTIA.

An in Christo fuerint dona Spiritus Sancti?

DONVM in præsenti non sumitur pro qualibet gratia Dei, sed specialiter pro dono Spiritus Sancti, quo facilè quis ex instinctu Spiritus Sancti extraordinariè operatur, in quo distinguitur donum à virtute, quia hæc est facilitas ad actus communes virtuosos, donum ad actus extraordinarios. Dona ista sunt septem, ab Isaya cap. 11. enumerata, scilicet *Sapientia, Intellectus, Scientia, Pietas, Consilium, Fortitudo, Timor.* Ita Scotus in 3. dist. 34. conueniūt omnes Theologi hæc dona esse in Christo quantum ad habitus, quod iudicant esse de fide Isayæ 11. *requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ*, &c. Nam de Christo intelligunt hoc Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, &c. solùm disputant an ista dona sint habitus distincti ab habitibus virtutum.

Affirmat Suarez lib. 2. *de necessitate gratiæ*, à cap. 17. cum sancto Thoma & aliis: nihilominus dicunt quod talia dona dantur in adiutorium virtutum, nam *Intellectum, Sapientiam, & Scientiam* concedunt in fidei adiutorium: Nam *Intellectus* datur, vt percipiantur mysteria fidei, *Sapientia & Iudicium* de rebus fidei, si hoc iudicium fiat ob rationes diuinas; si verò hoc iudicium fiat ob rationes creatas, est scientia (verbi gratia) si iudicet quis quod Deus permittit peccata ad saluandam libertatem, si verò quis iudicat Deum permittere peccata ad ostensionem suæ Iustitiæ, est donum Sapientiæ. Scotus citatus §. *ad istam quæstionem*, ibi Pytigianus art. 9, Gabriel, Maior, Hurtado disp 7. difficult. 15. docent dona esse idem realiter cum virtutibus, nam Scotus ait, quod Intellectus & Scientia sunt habitus fidei, nam intellectus est cognitio primorum articulorum fidei, Scientia est cognitio articulorum qui colliguntur ex primis, sicut intellectus est scientia primorum principiorum, & Scientia est cognitio conclusionum quæ colliguntur ex primis principiis. Sapientia spectat ad charitatem vel spem, quatenus dat actibus saporem, si est habitus qui inclinat vt Deus nobis sapiat, vt bonus in se, est charitas; si vt Deus est bonus nobis, est spes. Consilium est habitus prudentiæ, vt fuit sententia Salomonis de diuisione infantis, vt cognosceretur Mater. Pietas est habitus Religionis. Fortitudo est virtus moralis fortitudinis, de timore statim dico.

Dices primò in Christo non fuit Fides, vt dixi diffic. 1. ergo neque Scientia, neque Intellectus, si sunt iidem realiter habitus cum fide. Respondeo esse idem realiter cum fide in nobis, de quibus loquitur Scotus citatus; in Christo verò esse idem realiter cum scientia infusa, &c. 2. Respondeo quod Fides duo dicit, scilicet notitiam diuinorum Mysteriorum, & obscuritatem, quatenus notitia est donum, & ita fuit in Christo; quatenus obscura, est virtus fidei, & ita non fuit in Christo.

Dices secundò, aliqua dona reducuntur ad virtutes morales, vt Fortitudo, Pietas, &c. sed istæ virtutes, vt dixi difficult. 2. sunt per accidens infusæ, dona sunt per se infusa, ergo non sunt iidem habitus. Respondeo quod

dona correspondentia virtutibus Theologicis sunt per se infusa, at vero correspondentia virtutibus moralibus, sunt per accidens infusa, neque hoc iudicandum est inconueniens.

Dices, Christus non indigebat his donis vt moueretur à Spiritu Sancto, ergo non fuerunt in illo. Respondeo quod sicut virtutibus indiguit Christus, ita & donis; nam ex vi vnionis non habebat formaliter effectus donorum, & ad habendos tales effectus indigebat donis.

Dices quartò, qui ducitur à Spiritu Sancto nescit se duci ex illo, Ioan. 3. *Spiritus vbi vult spirat, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat*, sed Christus sciebat duci se, ergo in illo non fuit donum. Respondeo quod illa nescientia tantùm reperitur in hominibus viatoribus propter imperfectionem status, vt Nicodemus, cùm quo loquebatur in illo loco sacræ scripturæ, non verò in Christo qui erat perfectissimus sciens.

Circa actus donorum singularis fuit Durandus in 3. dist. 34. quæst. 3. negans in Christo actus horum quatuor donorum Pietatis, Consilij, Fortitudinis, & Timoris. Probat, quia Christus erat Beatus, & in Beatis non est Consilium, quia hoc est cum dubitatione, quæ non reperitur in Beatis. Respondeo ad Consilium non requiri dubitationem, neque inquisitionem, tantum in nobis reperiuntur propter imperfectionem, nam essentialiter Consilium, tantùm est iudicium de rebus faciendis quo electio dirigitur, & ita etiam in Deo reperitur, de quo Tractatu de Actibus.

Secundò obiicit, Pietas est ad sublenandam miseriam aliorum, quam non subleuant Christus, nec Beati, ergo in illis non est actus Pietatis. Respondeo primò, Pietas est actus & cultus Religionis qui est in Christo & in Beatis, cum Deum adorent. Secundò Respondeo, quod Christus subleuabat miserias aliorum, Actorum 10. *pertransiit benefaciendo.*

Tertiò obiicit, Fortitudo est ad aggrediendum pericula, quæ non reperiuntur in Christo neque in Beatis, ergo. Respondeo Christum aggressum fuisse magna pericula in passione & morte; & Beati in patria, & Christus post resurrectionem habent complacentiam de periculis aggressis, quæ complacentia est Fortitudo, vel fortitudo est permanentia in bona operatione, & ita fuit in Christo, & in Beatis.

Quartò obiicit, timor est ad fugiendum malum, in Christo neque in Beatis fuit malum fugiendum, ergo neque timor.

Propter hoc disputandum est, an in Christo fuerit actus Timoris? Abailardus Hæreticus negauit in Christo & in Beatis Timoris actum, nam habitum non negauit, vt notauit Montess. sed hic error damnatus fuit in Concilio Rhemensi, & ab Innocentio Primo Epistola 194. inter Epistolas Bernardi. Eodem modo reiicitur Durandus, qui licet in Christo concesserit habitum Timoris, negauit actum. De Christo probatur, Isaiæ 11. *Et replenit eum Spiritu timoris Domini*; de Beatis probatur, Psal. 18. *timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.* Difficultas tantum est in explicando actum & obiectum huius Timoris.

Pro quo noto, quod Timor est quadruplex; primus est mundanus, vt cum quis timore rei temporalis peccat, (verbi gratia) quando Petrus negauit Christum, & hic non fuit in Christo. Secundus est pro passione appetitus, vt cum quis timet mortem, & hic fu[illegible] in Christo, licet à ratione præuen[illegible] ci 14. *Cœpit Iesus pauere &* [illegible] [illegible]us, Mar-[illegible] [illegible]dere; & de

hoc non est difficultas modo. Tertius est seruilis, vt cum quis metu gehennæ non peccat, aut dolet peccasse, qui Timor est bonus, sed non fuit in Christo. Tantum est notandum, quod si sumatur iste Timor seruiliter, (verbi gratia) si quis ex timore pœnæ non peccat, taliter quod sit in præparatione animi, quod si non esset pœna peccaret, talis Timor non est bonus, neque dispositio ad iustitiam, vt dixi Tractatu de Pœnitētia. Quartus est filialis, & est quo quis timet separari à Deo per peccatum, vel timet quod Deus permittat ipsum peccare, aut reueretur ipsam Dei potestatem, & iste Timor est donum Spiritus sancti, & dicimus fuisse in Christo, sed difficultas est in quo consistat?

Aliqui dixerunt in Christo, & in Beatis non fuisse hunc Timorem proprè, sed metaphoricè, quod probant, quia Augustinus explicans illud Psalmi, *timor Domini sanctus permanet*, ait quod quantùm ad prēmium permanet non quantùm ad actum, sicut dicitur Psal. 9. *patientia pauperum non peribit in finem*, quia manet præmium patientiæ. Sed contra quia verba sacræ Scripturæ intelligenda sunt in toto rigore, quando non est manifesta repugnantia, & non est in præsenti; nam Augustinus tantùm ait, quod non est in Beatis Timor de peccato, quia certi sunt se non peccaturos.

Pro intelligentia nota cum sancto Thoma, quæst. 7. art. 1. quod Timor filialis habet duo obiecta; primum est potestas & Maiestas Dei, qui potest permittere culpam, & infligere pœnam; secundū est malū ipsum, sicut reus & timet potestatem Iudicis qui punire potest, & timet ipsam pœnam. Certum est in Christo, & in Beatis esse timorem circa primum obiectum. Ita Suarez disp. 20. sect. 2. Vasq. disp. 44. cap. 2. Lorca disp. 39. Hurtado difficult. 15. Montess. &c. Nam Christus & Beati reuerentur Dei Maiestatem; Et de Christo probatur ad Hebr. 5. *exauditus est pro sua reuerentia*. Et de Beatis, Diuus Gregor. ait. *Ipsæ quoque virtutes cælorum quæ hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt, sed idem tremor ne ipsis pœnalis sit, non timoris est, sed admirationis.* Dices quod hic non est Timor, potius est admiratio de Maiestate Dei. Respondeo quod simul admirando reuerentur Beati talem Maiestatis excellentiam.

Difficultas est, an Christus & Beati habeant actum Timoris circa secundum obiectum? Caiet. quæst. 7. art. 6. affirmatiuè respondet, & addit quod primus actus sine secundo non sufficit ad timorem filialem, & quantum ad hoc, eum sequitur Valentia puncto 4. Addit rursus Caieta. quod iste secundus actus aliter est in iustis ac fuit in Christo & in Beatis; Nam iusti dum timent cadere in peccatum, habent anxietatem, cum non sint certi de Dei voluntate; at verò Christus & Beati cum certi sint, quod Deus non permittet illos casuros, sunt sine anxietate, timent tamen, vt ait Victoria, quia si sibi relinquerētur, possent peccare. Sed non placet, nam ad Timorem non sufficit malum possibile, quia nullus timet cœlum ruere, sed necessarium est futurum imminens, saltem in existimatione, cum ergo peccatum Christo & Beatis tantum sit possibile, non habent de illo timorem.

Propter quod dico primò, quod in Christo & Beatis non est actus circa secundum obiectum, probatur Prouerbior. 1. *abundantia perfruetur malorum timore sublato*, vbi secundum Diuum Thomam sermo est de quouis Beato. 2. quia timor circa malum non est sine anxietate, sed in Christo & in Beatis

non est anxietas, ergo neque timor.

Dices in Christo, & Beatis est fuga circa peccatum, ergo & timor. Respondeo cum Montess. quod non quævis fuga est Timor, nisi sit circa futurum imminens, sed potest esse odium, vt etiam est in Deo circa malum, in quo impossibilis est Timor.

Dico secundò contra Caiet. & Valentiam, ad Timorem sufficit actus circa primum obiectum, sine secundo. Ita Montess. qui probat ex Diuo Dionysio cap. 13. *de cœlesti Hierarchia*, explicante illud Isaiæ. 6. *Seraphim velabant facies suas*, vbi venerationem istam vocat plenam horroris. Ratione probatur, nam contrahere se coram Deo, non audere aspicere maiestatem illius, formidare, scrutari secreta eius, sunt actus proprij Timoris, & nullus versatur circa malum, ergo actus primus sine illo secundo sufficit.

Dices primò, ergo iste timor non est eiusdem rationis cum timore filiali viatorum, qui habent vtrumq; actum. Respondeo negando sequelam, tantùm sequitur, quod in viatoribus sit aliquis actus circa malum qui non est in Christo, neque in Beatis, sicut in nobis & in Christo est virtus Temperantiæ eiusdem speciei, nam volumus mediocritatem cibi & potus, & tamen in Christo non est actus domandi passiones qui actus in nobis est.

Dices secundò, talis Timor versatur circa Deum, ergo est actus Theologicus charitatis, nam timor filialis ad charitatem spectat. Respondeo quod nō versatur immediatè circa Deū, sed circa suam maiestatem prout facit mirabilia, iuxta illd Abacuc 3. *Domine audiui auditionem tuam & timui*, & sic est actus humilitatis. Ita Scotus in 3. dist. 34. litera, O, vbi omnia dona Spiritus Sancti reducit ad quatuor virtutes Cardinales, & ad tres Theologicas; & est est sententia Augustini serm. *de Annuntiatione* vbi timorem opponit superbiæ, in quo sensu Scotus explicat illud Prouerb. 1. *initium sapientiæ timor Domini.*

Quærit Montess. si Christus non fuisset Beatus, posset habere actum timoris circa malum. Respondet quod si cognouisset non esse dissoluendam vnionem, non posset, quia ex vi illius erat impeccabilis. Nos verò dicimus quod si cognouisset semper manutenēdum esse, ne peccaret, non posset habere actum circa malum; si tamen hoc non cognouisset, posset habere talem actum, cum ex vi vnionis non reddatur Christus impeccabilis. Idem dico de Beato si non cognouisset manuteneri, nam beatitudo præcisè non reddit beatum impeccabilem, vt dixi Tractatu de Beatitudine.

DIFFICVLTAS QVARTA.

Vtrum in Christo fuerint omnes gratiæ gratis datæ?

GRATIA iustificans distinguitur à gratiis gratis datis, nam iustificans ordinatur in bonum habentis; at verò istæ gratiæ, siue sint actus, siue habitus, ordinantur in bonum aliorum. Nouem enumerantur, primæ ad Cor. 12. *Sermo Sapientiæ, Scientiæ, Fidei, Gratia sanitatum, Gratia Virtutum, Prophetia, Discretio Spirituum, Gratia linguarum, Interpretatio sermonum*: Licet aliæ sint vt *Sacramenti administratio*, de quibus agit Sanctus Thomas prima secundæ quæst. 111. art. 4. & secunda secundæ à quæst. 171. vsque ad quæst. 179. Fuisse has gratias in Christo Domino omnes Scholastici conueniunt cum Magistro in 3. dist. 3. Suarez, Lorca, Vasquez. Probatur ex August. epist. 57. ad Dardanum, *Sicut in capite*

vigent omnes sensus, ita in Christo omnes gratiæ.

Secundò probatur, quia istæ gratiæ non repugnant vnioni, & ordinantur in bonum aliorum; ergo Christus qui fuit præcipuus Doctor fidei, debuit omnes illas habere. Et confirmatur, quia vt constat ex ad Ephes. 4. Christus fuit dispensator harum gratiarum, ergo illas debebat habere; vnde ex Euangelio constat Christum vsum fuisse his gratiis, *Sermone sapientiæ*, declarando mysteria fidei per altissimas causas & æternas, vel declarando prima mysteria fidei: *Sermone scientiæ*, declarando per causas creatas mysteria, quæ ex primis mysteriis colliguntur: *Interpretatione sermonum*, enncleando reconditos Sacræ Scripturæ sensus, vt fecit in templo Doctoribus, & in via Emaus Discipulis, licet non transtulerit Sacram Scripturam ex vna lingua in alteram, sicut fecerunt Septuaginta senes in Ægypto, neque scripserit libros, quod est proprium huius gratiæ, nam conueniens erat, vt in cordibus omnium suam doctrinam scriberet: *Gratia sanitatum*, sanando infirmos: *Gratia virtutum*, faciendo stupenda miracula: *Discretione spirituum*, cognoscendo occultas cogitationes, Matth. 9. *quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Fuisse in Christo *Gratiam fidei* certum est, siue sumatur pro constantia in confessione fidei, siue pro eminenti mysteriorum notitia, vt aliis explicet talia mysteria, siue pro fiducia futuritionis miraculi, iuxta illud, Matth. 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, &c. non tamen fuit in Christo notitia obscura, vt dixi difficultate prima.

Difficultas esse potest, *de dono linguarum*, an illo Christus fuerit vsus, nam quantum ad habitum fuit in Christo, nam per scientiam infusam habuit notitiam omnium linguarum. Sanctus Thomas, art. 7. ad tertium, docet quod communiter tantùm lingua Hebraica prædicabat. Addo cum Suarez, Lorca, Montess. Hurt. &c. quod in colloquiis specialibus, variis linguis fuit vsus, nam locutus fuit proprio idiomate Gentilibus, Samaritanis, Cananæis, Ægyptiis: & Eusebius Cæsariensis lib. 1. historiæ, refert epistolam quam Christus idiomate Syriaco scripsit ad Agabarum Regem ciuitatis Edessenæ.

Maior difficultas est an Christus fuerit verè Propheta? Negat Abulensis cap 11. Num. quæst. 64. dicens quod tantùm putabatur Propheta à populo, sicut putabatur filius Ioseph, non tamen erat Propheta. Communis sententia affirmat, Lorca disp. 46. Suarez disp. 20. sect. 2. Vasq. dicens sententiam Abulensis esse temerariam. Pro explicatione nota quod ad Prophetiam non tantum spectat prædicere futura, sed annuntiare illa quæ procul sunt, siue tempore, siue loco, vt præterita, vel quæ fiunt modo Romæ. Vnde Propheta debet communicare in statu viæ cum illis quibus aliqua prædicit. Vnde quando Beatus, vel Christus post Resurrectionē aliqua nobis reuelat, non dicitur Propheta, quia nobiscum non communicat in via: si verò anima alicuius Patris Lyn bi vel Purgatorij aliquid nobis reuelet, ait sanctus Thomas secunda secundæ, quæst. 154. art. 2. quod dicitur verè Propheta, nam nobis communicat in via, & est procul ab illo statu illa cognoscere. Propter quod si vnus Beatus alteri aliquid reuelet, non dicitur Propheta, quia illud non est procul à communi statu Beatorum.

Hoc supposito probatur nostra conclusio Deuter. 18. *Prophetam suscitabit tibi Dominus sicut me*, quem locum Ecclesia. & ipsi Iudæi intelligunt de Christo Domino. Et Lucæ 7. *Propheta magnus surre-*

xit in nobis. Et confirmatur ex Patribus ex August. lib. 16. contra Faustum. c. 18. & aliis qui de Christo in toto rigore intelligunt verba Scripturę relata. Ratione probatur, nam Christus prędicebat illa hominibus quæ erant procul, vt destructionem Templi, aduentum Antichristi, ergo erat verè Propheta.

Obiicit primò Abulensis, Propheta est qui accipit reuelationem à Deo, Christus non accepit à Deo reuelationem, quia ipse erat Deus, ergo non est Propheta. Respondeo quod Christus in quantum homo accepit reuelationem à Deo, & ita fuit Propheta.

2. Obiicit, Christus fuit Beatus, Beati vt diximus non sunt Prophetæ, ergo neque Christus. Respondeo quod Christus fuit etiam Viator, & vt talis fuit Propheta, nam dicebat quæ procul erant à statu Viatoris.

3. Obiicit, Prophetia est cognitio obscura, in Christo non fuit cognitio obscura, ergo neque Prophetia: Maior probatur ex prima ad Corinth. cap. 13. vbi dicitur in patria euacuandam esse Prophetiam. Respondeo quod Prophetia abstrahit à cognitione clara vel obscura, & ita potest esse cum cognitione clara. Paulus loquitur de illo, quod communiter contingit in meris Viatoribus Prophetis, qui habent cognitionem obscuram, non de Christo. Vel secundò respondeo quod nomine Prophetiæ intellexit Apostolus in sensu lato, fidem.

4. Obiicit, Baptista fuit plusquàm Propheta, vt dicitur Matth. 11. ergo etiam Christus. Respondeo Ioannem fuisse plusquàm Prophetam, quia digito Christum demonstrauit, quem alij futurum prædixerunt; nec ex hoc sequitur non esse Prophetam, & propter hoc negauit se esse Prophetam, quia non erat more aliorum Prophetarum.

Petes, an Prophetia & cæteræ gratiæ gratis datæ fuerint in Christo per modum habitus? Et respondeo affirmatiuè cum Suarez, disput. 23. sect. 1. colligitur ex Hiero. Epist. ad Damasum: secus dicendum est de aliis Prophetis in quibus fuit Prophetia per modum transeuntis; & probatur de Christo, nã in illo Prophetia fuit scientia infusa, quæ fuit per modum habitus, vel fuit scientia beata, vt dicunt Diuus Thomas & Montess. & ita lumen gloriæ fuit in Christo lumen Propheticum. Rursus aliæ gratiæ erant habitus scientiæ infusæ, excipe gratias sanitatum & miraculorum, quæ consistebant in motione speciali Dei, & ita non fuit habitus; erat tamen in Christo permanenter, quia quotiescumque, & vbicumque volebat, patrabat miracula.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De gratia Christi, vt est caput Ecclesiæ.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum Christus vt homo, sit caput Ecclesiæ?

NOTANTER dixi vt homo, nam vt Deus est Caput omnium rerum, non per donum gratiæ, sed natura sua. Etiam vt homo est Caput Ecclesiæ. Est propositio de fide ad Ephes. 1. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*, vbi secundum humanitatem loquitur Paulus, nam dixerat, *suscitans eum à mortuis*, sic Patres & Scholastici, & probatur, nam omnia quæ conueniunt capiti in homine respectu membrorum, conueniunt per quandam Analogiam Christo; Primò Caput habet excellentiam situs, Christus est superior omnibus

hominibus & primus prædestinatus. 2. in capite vigent omnes sensus & virtus animalis, in Christo sunt omnes virtutes & gratiæ, & habet operationem capitis, scilicet meritum & satisfactionem pro cæteris membris. 3. ex capite deriuantur virtus & motus ad reliqua membra, de Christo deriuantur in nobis gratiæ, & omnes motus supernaturales, Ioan. 1. *de plenitudine eius omnes accepimus*, ergò Christus verè est caput Ecclesiæ.

Dices cor in homine influit in caput, ergò potius Christus comparandus est cordi quam capiti. Respondeo cum Sancto Thoma potiori ratione capiti comparatur, quia cor habet influentiam occultam, & ideò comparatur Spiritui Sancto, Christus habet visibilem influentiam, & ita sicut Ecclesia est visibilis, conuenit vt comparetur parti visibili, scilicet capiti influit Christus visibiliter per mortem & per sacramenta visibilia. Dices, capitis non non est caput, sed Christus habet caput 1. ad Corinth. 11. *Caput Christi Deus*, ergò Christus non est caput. Respondeo quod maior est vera in naturalibus, non in mysticis, nam vir est caput mulieris, & domus, & tamen est membrum Reipublicæ.

Petes, vtrum sicut Christus dicitur caput Ecclesiæ, etiam dicatur membrum Ecclesiæ? Altisiodorensis, Turrecremata, Vasq. disp. 48. num 5. affirmatiuè respondent. Nobis dicendum est cum Suarez disp. 23. Aluarez quæst. 8. art. 1. Hurtado disp. 7. diff. 21. Montess &c. quod licet Christus, respectu Dei, qui est supremum caput Ecclesiæ, dicatur membrum principale Ecclesiæ, quia à Deo accepit influxum, non tamen absolutè dicendus est membrum Ecclesiæ; Ratio est, quia de ratione membri est accipere influxum ab alio, sed Christus, vt homo, neque ab Ecclesia, neque ab aliis membris accepit influxum, ergo non est membrum.

Sed obiicunt 1. ad Corinth. 12. *Vos estis corpus Christi & membra de membro*, idest de Christo, Respondeo primò si *ly de membro* intelligatur de Christo, id est *membrum* respectu Dei. secundò respondeo, ly *de membro*, intelligitur de Paulo.

Obiicit secundò in animalibus caput etiam est membrum, ergo etiam Christus. Respondeo disparitatem esse, nam caput recipit influxum à corde, & ita dicitur membrum, at vero Christus nullum influxum recipit ab Ecclesia, neque à membris. Ex his colligere debetis quod Christus secundũ quod homo, non sit membrum sui ipsius, quia caput & membrum respectu eiusdem non possunt conuenire.

Petes secundò, an Christus sit caput Ecclesiæ secundum animam vel secundum corpus? Respondeo cum Sancto Thoma quæst. 8. art. 2. & Scholasticis quod secundum vtrumque; ratio est, quia est caput ratione vnionis, saltem tanquam ratione inadæquata, & vtrũque fuit vnitum, secundò quia influxit per merita & satisfactionem, ad quæ vtrumque concurrit: ex quo patet quod non tantum animæ, sed etiam corpora hominum sunt membra Christi; nam anima recipit à Christo gratiam; Corpus motus bonos externos, quibus animæ seruit. Probatur 1. ad Corinth. 6. *nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi*? Rursus post Resurrectionem corpora nostra ex meritis Christi habebunt beatitudinem, ad Philip. 3. *qui reformabit Corpus humilitatis nostræ, &c.* tantum est difficultas quorum hominum sit caput.

DIFFICVLTAS SECVNDA.
Vtrum Christus vt homo, sit caput omnium hominum?

Dico primò quod Christus est caput Iustorum siue præcedentium Christi aduentum, siue subsequẽtium. Probatur, nam illis influit fidem & gratiam & alia dona. Difficultas est an fuerit caput Primorum Parentum in statu innocẽtiæ? Negant Vasq. disp. 48. cap. 2. Ragusa quæst. 8. art. 3. Hurtado disp. 22. quia nihil in eos influxit.

Nobis dicendum est cum Suarez disp. 23. sect. 1. Lorca disp 45. Montess. & iuxta dicta cap. 4. diffic. 1. Christum fuisse caput Primorum Parentum in statu innocentiæ. Probatur ex Augustino in Psalmum 36. dicente omnes qui secuti sunt aduentum Christi & qui præcesserunt sunt membra Christi. Secundò Primi Parentes pertinebant ad Ecclesiam Iustorum, sed Christus est caput super omnem Ecclesiam, ergò est caput Primorum Parentum. Tertiò, nam sequeretur Primos Parentes prius fuisse membra Diaboli per peccatum, quàm membra Christi per gratiam, quod est inconueniens. Quartò quia Christus fuit prædestinatus ante peccatum Primorum Parentum, ergò in illos influxit fidem & gratiã. Quintò sicut Christus secundũ Vasq. in Angelos influxit illustrationes, & ita est caput illorum, quare non influxit in Primos Parentes aliquas illustrationes, vt ita sit caput illorum?

Dico Tertiò, Christus est caput fidelium existentium in mortali. Probatur nam influit in illos auxilia, & est per fidem coniunctus cum illis, ergo. Dices esse membra mortua & in naturalibus membrum mortuum non est actu neque vniuocè membrum. Respondeo quod in naturalibus membrum non habet ab anima, quæ dat vitam, esse membrum, sed à forma corporeitatis; ita in mysticis membrum nõ habet esse membrum à gratia quæ dat vitam, sed à fide, & ita membrum mortuum & viuum tam in naturalibus quàm in mysticis est vniuocè membrum.

Dico quartò, Christus est caput in potentia, non in actu, hominum Infidelium, siue prius habuerint fidem, siue non, etiam si posteà non sint habituri fidem. Ratio est, quia caput actuale est per coniunctionem fidei, cum ergo illam non habeant Infideles, non sunt Christi mẽbra actualia sunt tamen in potentia, quia quando aliquis in mundo viuit non est exclusus à salute.

Dices, Christus influit in adultos Infideles gratiam excitantem, ergo est eorum caput actu. Respondeo negando consequentiam, quia non influit vt caput, sed vt instrumentum diuinitatis ab Infidelibus separatũ. Idem dico de pueris decedentibus in vtero materno, cum Suarez, Hurtado, Montess. &c. Nam tantum est caput in potentia, nam fides, qua isti carent, est forma per quam vniuntur cum capite.

Dico quintò quod Christus est caput hominum Beatorum. Probatur, nam illis influit gloriam quæ est gratia consummata; etiam est caput animarum Purgatorij & Patrum existentiũ in Lymbo antè Christi aduentum, nam habent fidem & charitatem ex meritis Christi, & sunt istæ animæ Christo coniunctæ. At verò respectu damnatorum & Puerorum Lymbi, neque actu neque potentia est caput; non actu, quia nihil in illos influit; non potentia, quia in inferno nulla est redemptio.

Dices quod damnati ex meritis Christi puniuntur citra condignum, & in die Iudicij ex meritis Christi omnes resurrecturi sunt. Respondet Suarez nihil horum esse ex meritis Christi se-

cundò respondet Montess. quod etiam si hæc sint ex meritis Christi, & fortè etiam ex meritis Christi pueri Lymbi habituri sint aliquam cognitionem naturalem, tamen non est illorum caput, quia non est illis vnitus per fidem, sed tantum influit vt instrumentum separatum.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Vtrum Christus vt homo sit caput Angelorum?

De fide est Christū secundū diuinitatem esse caput Angelorum ad Coloss. 2. *qui est caput omnis Principatus & Potestatis*: Etiam est de fide habere secundum humanitatem excellentiam superioritatis super Angelos Math. vltimo *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*; & ad Ephes. 1. *Suscitans eum à mortuis, & constituens eum ad dexteram suam in Ecclesijs super omnem Principatum & Potestatem*; colligitur ex Scoto in 3. dist. 7. quæst. 3. Littera, c, hoc videtur esse contra Altisiodorensem lib. 3 summæ cap. 4. qui negat Christo omnem rationem Capitis non tamen est contra Diuum Bonauenturam, Driedonem, vt falsò citat Hurtado diff. 23. Nam isti tantū negāt influxum, de quo est cōtrouersia inter Scholasticos.

Obiicies primò Chrysostomum, Theodoretum, & Theophilactum dicentes Christum secundum Diuinitatē esse caput Angelorum, & secundū humanitatem hominū. Respondeo quod loquuntur secundum accommodationem: nam secundum Diuinitatem, quæ est spiritus, est caput Spirituum, secundum humanitatem quæ est caro, est caput hominum carne constantium.

Secundò obiicies, Caput debet esse eiusdem rationis cum membris, Christus, vt homo, non est eiusdem ratio nis cum Angelis; ergo non est illorum caput. Respondeo concedendo in naturalibus non in mysticis, nam Deus est caput omnium creaturarum, & non est eiusdem rationis cum ipsis, rursus Christus ratione animæ, est & eiusdem rationis genericæ cum Angelis, quod sufficit.

Difficultas tantum est an Christus sit caput quoad influxum gratiæ & gloriæ? Negatiuè Respondet Alens. Bonauentura, Durandus, Paludanus, Siuiling *de Deo vno*, Tractatu 3. disp. 6. quæst. 10. num. 663. Becanus cap. 14. quæst. 9. Vasq. disp. 49. cap. 2. & Hurtado, qui duo fatentur, Christum influxisse aliquas illuminationes & illustrationes.

Nobis dicendum est Christum esse caput Angelorum secundum influxum meritorium. Ita Suarez disp. 42. sect. 1. Valentia quæst. 8. puncto 3. Montess. Lorca disp. 45. quamuis iste tantum fateatur influxum per modū causæ finalis, vel obiectiuè & negat meritorium, probatur 1. ex c. 4. diff. 1. nam si Christus est primus Prædestinatus, & tunc habuit merita ante mortem & passionem præuisam, ergò illis meritis meruit Angelis gratiam & gloriam, nam ad excellentiam Christi hoc spectat. 2. probatur Christus est caput Ecclesiæ per influxum, sed Angeli sunt membra Ecclesiæ, ergò recipiunt influxū. Probatur Minor Lucæ 15. *de parabola ouium*, vbi per 99. oues, intelliguntur Angeli, per centesimā homines, & omnes oues dicuntur pertinere ad hoc ouile eiusdem Pastoris. Deindè probatur ex Cyrillo lib. 5 in Isayam, in illud capitis 54. *Lætare sterilis*, dicēte, *per ipsum Christum, omnis fructificatio spiritualis tum in sanctis Angelis, tum in nobis ipsis insita est*, & August. in Psal. 36. concione 3. *Christus caput est, cuius membra sunt omnes qui ab initio fuerunt iusti, coniuncti etiam legionibus*

bus Angelorum & exercitibus, & Laurentius Iustinianus serm. de Ascensione Virginis. *Nemo illi inuidebat, fructus quippè ventris eius totam illam ciuitatem repleuerat sanctitatis*: quibus verbis non habet locum solutio Vasq. & Hurtado dicentium quod loquitur de Christo secundum Diuinitatem.

Ratione probatur, nam secundum Vasq. inter homines & Angelos, est vnum vinculum fidei & charitatis in via, & vnus finis supernaturalis, scilicet fruitio beata, & est commercium inter illos vt Angeli homines custodiant, & homines Angelos colant, ita vt ex vtrisque fiat vna Ecclesia, cuius caput est Christus; sed Christus in homines influit gratiam & fidem, ergò in Angelos, vt vniformis sit influentia. Respondet Vasq. sufficit vt Angeli habeant illuminationes ex meritis Christi. Sed contra, quia sequeretur Infideles esse etiam actu membra Ecclesiæ, nam in illis infunduntur illuminationes ex meritis Christi, ergo si non sunt membra Ecclesiæ, ex eo est quod in via, Fides, & in patria, visio est forma constitutiua membri Ecclesiæ, ergò saltem ista habent Angeli ex meritis Christi.

Secundò probatur, Angeli secundum Vasquez 1. parte disp. 215. cap. 1. vt dixi tractatu de Angelis, habuerunt fidem Incarnationis, sed nulla alia ratione illis proponeretur Christus nisi vt in illo, vt in capite, ponerent suam fiduciam, vt illud adorarent iuxta illud ad Heb. 1. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius*, ergò ex meritis Christi habuerunt fidem & gratiam, nam non collocabant spem in Christo, vt in causa phyfica, sed vt in causa morali. Vasq. negat consequentiam, sed contra; quia negare non potest hoc fuisse possibile, ergò cum cedat in gloriam Christi, illi de facto est concedendum.

Pro prima sententia obiicit plura Vasq. 1. Lucæ 15. parabolam 99. ouiū quibus relictis, Pastor quærit centesimam, id est, hominem relictis Angelis, ergo solis hominibus meruit gratiam, non Angelis. Respondeo concedendo ita esse intellectam parabolam ab Ambrosio, Gregorio, Beda &c. sed potius est pro nobis, nam omnes oues Christus pascit fide & donis gratiæ, sed dicitur quærere centesimā, quia illam redemit, & propter illam & peccata illius venit passibilis, non propter Angelos.

Secundò obiicit ad Heb. 2. *qui sanctificat & qui sanctificantur ex vno omnes*; id est omnes qui sanctificantur ex vno Christo, sunt nati ex Adam, ergò Angeli non sanctificantur ex Christo. Respondeo 1. quod sub his qui sanctificantur, intelliguntur Angeli, nam ly *ex vno*, explicat Anselmus, Ambros. Sanctus Tho. *ex vno deo*, 2. Respondeo quod loquitur Paulus *ex vno* id est, *Christo*, & sermo est de solis hominibus qui sanctificantur per modum redemptionis, nam Angeli non sunt redempti, vt docuit Aug. in Enchiridio cap. 61. & epistola 157. & Fulgentius &c. Nam redimere est iterum emere, ergò qui sunt redempti, prius erant sub potestate Diaboli, vel saltem cum debito incidendi in illius potestatem, vel proximè, vel remotè vt Beata Virgo. Rursus Christus redemit satisfaciendo pro his quos redemit, sed nō satisfecit pro bonis Angelis, quia nullam culpam habuerunt, ergo neque eos redemit. Vnde si aliqui Patres, vt Bernardus & Dionysius, dicant Angelos fuisse redemptos, debent benignè explicari, scilicet loqui de redemptione pro satisfactione.

Vnde ex eodem Augusto. dico cum Suarez disp. 42. sect. 2. Christum non

fuisse mortuum pro Angelis. Colligitur ex 2. ad Corinth. 5. *si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*, sed Angeli non fuerunt mortui, ergo neque Christus pro illis. Ratio est quia mors Christi fuit sacrificium & expiatio pro peccatis, & ita decreta, vt si Adam non peccaret, tali morte non moreretur, ergo cū Angeli non peccarunt, neque pro illis Christus fuit mortuus: Vnde cum Angeli fuerint nigri, neque dealbauerunt stolas in sanguine Agni.

Tertiò obiicit, Christus meruit gratiam & gloriam Angelis, ergo sua morte. Probatur Apocal. 12. vbi dicitur bonos Angelos vicisse draconem per sanguinem Agni, ergo mortuus est pro illis, quod est contra dicta & Patres. Respondeo 1. quod meritis quoad substantiam, scilicet actibus charitatis, meruit Angelis, non meritis passionis & mortis, & hoc vult Scotus in 3. dist. 19. citatus ab Siuising: ita etiam Suarez. Dicitur quod Angeli vicerint Draconem per sanguinem Agni, quia illa opera charitatis Christi, quæ fuerunt ante peccatum præuisa & elicienda in Christo passibili, fuerunt secundario ordinata in gloriam & gratiam Angelorum, quæ prius fuerat data ex meritis Christi prædestinati quo ad substantiam, sicut eadem substantia Incarnationis fuit secundò ordinata in remedium peccati, & hoc significat illud ad Heb. 5 *vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos*, non tamen sequitur ex hoc quod mortuus fuerit pro Angelis, sicut neque mortuus fuit pro illis, merendo ipsis illuminationes, neque pro se fuit mortuus merendo sibi gloriam corporis & exaltationem Nominis, quod totum etiam verum est, si secundò respondeamus cum Suarez & Monteff. quod Christus suam mortem, qua consummatū fuit omne meritum, ordinauit in gloriam & gratiam Angelorum: legantur dicta cap. 4. diff. 1. & 2.

Obiicies quartò, si gloria Angelorū fuit ex Christi meritis, passionis & mortis, saltem aliquo modo, ergo non fuerunt gloriam adepti vsque ad mortem Christi. Respondeo negando consequentiam, nam cum Angeli non peccauerint, non fuit illis ianua clausa, sicut nobis per Adæ peccatum. Idē quod dictum est de Angelis, dicendū est de primis Parentibus in statu innocētiæ; ex quibus soluta manet difficultas an Christus meruerit gratiā & gloriam Angelis, & primis Parentibus, nam si Christus est caput omnium illorum, influendo illis gratiam & alia dona per modum meriti, meruit illis.

Petes vtrum Christus vt homo sit caput omnium creaturarum naturalium: & suppono Christum propter vnionem habere dominium & excellentiā super omnes creaturas, & quod illi omnia obediūt probatur *omnia subiecisti sub pedibus eius*, suppono etiam quod non est caput creaturarum, sicut est Ecclesiæ, infundendo gratiam & gloriam, nam omnes creaturæ nō sunt horum donorū capaces. Sed difficultas est an Christus dicendus sit caput omnium creaturarum per alium influxū?

Negant Suarez disp. 23. Vasq. disp. 48. Hurtado disp. 7. diff. 24. Monteff. quia Christus omnibus creaturis nihil meruit, vt ait Augustinus Epistolà 103. *Christum meruisse nobis vt iusti essemus, non vt homines essemus.* Sed hoc non conuincit, nam vt Christus sit caput, sufficit vt omnia sint facta propter Christum tanquam causam finalem, vt docet Scotus in 3. dist. 32. §. *tertium patet*, litera, g, ac per consequens quod omnia sint in hoc sensu effectus nostræ prædestinationis, quod tenent noster Galatinus lib. 7. *de arcanis*, Catharinus

Faber disp 18 num. 13 & dis licet Lorcæ, licet merito dicat, quod non est in vsu dicere creaturas esse corpus Christi. Probatur conclusio, nam ad Coloss. 1. dicitur Christus primogenitus omnis creaturæ, 2. D. Hylarius lib. de Synodis refert ex Concilio Syrmiési quod Christus sit *Caput omnis creaturæ*, & ratio est, quia Christus est finis omnium, ergò saltem vt finis influit in omnes creaturas. Dices ergo etiam Christus erit caput Dæmonum & Damnatorum. Respondeo concedendo in sensu dicto, & quantum ad esse naturale illorum, non verò, vt negauimus diffic. secunda.

DIFFICVLTAS QVARTA

Quæ sit gratia Capitis in Christo?

Ex difficultate præcedenti constat dupliciter posse dici Christum caput Ecclesiæ: 1. ob superioritatem supra membra, & hoc modo certum est ratione vnionis, esse superiorem & caput, quia vt sic est primogenitus omnis creaturæ, vt dixi. Secundo modo, ob influxũ in membra, & hoc sensu Redemptorem & Sanctificatorem mébrorum esse, & de hoc modo est difficultas ratione cuius gratiæ est caput. Prima sententia dicit gratiam habitualem esse gratiam capitis in Christo. Ita noster Alensis 3 parte quæst. 3. membro 3. Diuus Bonauen. Caiet. & plures Thomistæ, Faber disput. 28. num. 11. Secunda sententia est Palacios in 3. diff 13 disp. 1. Suarez disp. 23. sect. 2. Vasq. disp. 48. cap. 4. Lorca disp. 46. Hurtado disp. 7. diffic. 27. dicentium primario esse gratiam vnionis, secundario esse gratiam habitualem.

Nobis dicendum est vtrãque gratiam, ex æquo esse in Christo gratiam capitis. Probatur nam ad hoc quod opera Christi in nos influant, requiritur vt sint sancta, & hoc habent à gratia habituali, nam per illa Christus est sanctus, vt dixi ca. 11. diff. 2. Secundò requiritur vt habeant summum valoré, & hunc habent ab vnione, vt dixi cap. 3. diffic. 2. & vnum sine altero non sufficit, ergo vtraque gratia requiritur. Ex quibus locis citatis facilè soluta manent fundamenta aliarum sententiarum.

Petes primò an esse caput Ecclesiæ possit alteri à Christo conuenire? Et Respondeo esse caput quoad gubernationem externam, etiam competit Papæ totius Ecclesiæ, quoad internum influxum, de potentia Dei poterit etiam homini vel Angelo competere; Nam vt dixi cap. 2. diffic. 2. potest purus homo satisfacere pro peccatis totius naturæ: tamen opera Christi habebant congruentiam ex dignitate suppositi, quam non habebant puræ creaturæ, neque habere poterant.

Petes 2. vtrum Diabolus sit caput omnium malorum? Respondeo cum Sancto Thoma quæst. 8. art. 7. affirmatiuè quantum ad gubernationem externam operum malorum, quia omnes peccant per suggestionem Diaboli, vel saltem ad imitationem illius, & hoc sufficit vt dicatur caput.

Dubitant Thomistæ quid intelligatur hic per diabolum. Caiet & Vasq. dicunt non intelligi aliquem determinatè, sed congregationem omnium Dæmonum: Suarez & Montess dicunt quod intelligitur Lucifer, quod magis placet 1. quia hoc dixi tractatu de Angelis 2. quia ad imitationem Luciferi, cæteri Dæmones peccauerunt. Deinde licet homines peccent ex tentatione aliorum Dæmonum, tamen Dæmones in tentandis hominibus obediunt Lucifero, vt capiti. Ex quo

patet quod Fidelis qui peccat mortaliter, est membrum Christi vt fidelis, & membrum Dæmonis ratione peccati.

Petes 3. vtrum Antichristus futurus sit caput omnium malorum? Respondeo affirmatinè respectu hominum existentium suo tempore, & hoc quantum ad externam gubernationem: ita S. Thomas art. 8.

CAPVT DECIMVMQVARTVM

De merito Christi Domini.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum Christus actu charitatis meruerit?

CONVENIVNT omnes Theologi Christum apud Deum meruisse, quod colligitur ex Trident sess. 6. capite 7. vbi dicitur, Christum fuisse causam meritoriam nostræ iustificationis, & ratio est, quia operi Christi conueniunt omnes conditiones requisitæ ad meritum, nam sunt opera bona, Elicita ab homine iusto, facta in obsequiū Dei, & ab homine viatore, quæ conditio tantū requiritur ex pacto Dei, vt dixi tractatu de merito: erant etiam opera libera, & erat pactum Dei, Isayæ 53. *si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longæuum*, ergò saltem aliqua opera Christi erant meritoria.

Dices primò, opera Christi erant à Deo præ definita, ergò non erant libera. Respondeo negando consequentiam, nam nulla prædefinitio tollit libertatem; vt dixi tractatu de Auxiliis. Dices 2. Christus præuidebat actus suos futuros; ergò non poterat declinare ab eo quod certò cognoscebat futurum. Respondeo negando consequentiam, nam nulla præscientia etiam Dei tollit libertatem, vt dixi loco citato.

Difficultas est an Christus meruerit actu dilectionis, qui duplex est, vnus qui sequitur scientiam, alter qui regulatur à scientia beata. Prima sententia est Caiet. Ferraræ, Suarez disp. 36. sect. 2. Lorcæ disput. 72. dicentium Christum mereri per actum dilectionis secutum ad scientiam infusam, non verò per actum secutum ad scientiam beatam. Differunt hi Auctores inter se, nam Lorca ait quod tantum actu quo diliguntur bona extrinseca Dei vt honor, laus &c. merebatur, non verò quo diliguntur intrinseca, vt Trinitas, bonitas & cæteri Auctores de omnibus obiectis loquuntur.

Secunda sententia est Vasquez disp. 74. Hurtado disput. 14. difficult. 2. negantium meritum actui dilectionis, siue secutæ ad scientiam beatam, siue infusam, nam tantùm dicunt Christum meruisse per actum dilectionis proximi, & per actus aliarum virtutum & quod ad actum ad scientiam beatam secutum, citat Vasquez Scotum in 3. dist. 18. § *in ista quæst.* Immeritò tamen, nam litera. d, tantum ait *quod est difficile teneri propter alios beatos.*

Tertia sententia absolutè docet Christum per actum dilectionis beatæ meruisse, & meritò ita Scotus citatus, omnes Scotistæ, Faber disp. 44. c. 3. Pytig. art. 3. dubio 1. & art. 2. conclusione 2. Gabriel, Maior, Almainus, Capreolus, Altissiodorensis &c. & probatur quia si talis amor non est meritorius, vel quia est actus Beati, vel quia nō est liber; nō 1. quia est etiā actus viatoris; nō 2. quia vbi volūtatas, ibi libertas, nam secūdum August. lib. 1. *de libero arb. c. 3. voluntas igitur nostra, nec voluntas*

esset nisi esset in nostra potestate; sed Christus & Beati habent voluntatem, ergo est in illorum potestate, ac per consequens libera. Et hoc probatur ratione Scoti; in voluntate nulla est mutatio intrinseca facta per hoc quod reguletur per scientiam beatam, ergo si ante illam est libera, ergo & post illam: Antecedens probatur, nam præsentia obiecti clari tantum est quid extrinsecum voluntati, quod illam necessitare nequit, de quo dixi latè Tractatu de Beatitudine.

Obiicies primò, in Deo cognito per visionem nulla inuenitur ratio mali; ergo nequit actus beatificus esse liber. Respondeo primò, quod si voluntas potest velle malum sub ratione mali, vt est probabile in Scoto, & dixi Tractatu de Beatitudine, argumentum est nullum. 2. Respondeo quod ad libertatem exercitij, quæ sufficit ad meritum, non est necessarium quod in obiecto vel exercitio actus, ratio mali vel boni attendatur, sufficit libertas ipsius voluntatis, nam cum non sit actus, sed suspensio illius, non indiget noua ratione in obiecto.

2. Obiicies per manutenentiam Dei determinatur Christus ad amandum, ergo non est liber in amore. Respondeo, vt diximus ibi, manutenentiam esse auxilium efficax, quod non tollit libertatem.

3. Obiicies, quia vt actus sit meritorius debet esse liber, amor beatificus est perfectissimus, ergo necessarius. Probo consequentiam, nam amor quo Deus se diligit, propter suam perfectionem, est necessarius, ergo amor quo Christus diligit Deum, etiam erit necessarius propter suam perfectionem. Respondeo quod amor quo Deus se diligit est necessarius, quia voluntas diuina est infinitè recta, & est circa obiectum infinitum, at verò voluntas Christi humana non est infinitè recta, sed defectibilis.

4. Obiicies, voluntas Christi creata non tantùm est libera, sed est natura, ergo in aliquod obiectum fertur naturaliter, sed non est aliud nisi Deus clarè visus, ergo. Respondeo quod voluntas est natura quæ essentialiter est libera, & ita liberè fertur in quodcumque obiectum.

Petes, meruit Christus diligendo Deum, vel diligendo creaturas in Deo visas? Respondet Scotus ante literam, E, quod vtroque modo, sed maxime vt actus tendit in obiecta creata; visa in Verbo. Addit Scotus litera, H, quod hic actus est distinctus ab illo qui terminatur ad Deum, & iste erit necessarius, & alter erit liber, quod idem potest dici, etiam si sit vnus actus, nam Deus vnico actu diligit se necessario, & creaturas liberè, actus ille Christi, vt liber, dicitur actus Viatoris, licet fundetur in visione, quæ est actus Comprehensoris, nam vt respicit creaturas, non est fruitio, sed vsus.

Dices, quare de facto hoc actu non merentur Beati? Respondet Scotus ante literam, E, quia Deus noluit ita acceptare, & reddit congruentiam, nam Beati sunt in termino, tàm secundum affectionem iustitiæ, quàm secundum affectionem commodi, Christus verò non erat in termino secundum affectionem commodi, nam contra illam operabatur ieiunando, orando, &c.

Dices, ergo tantum actu qui contra affectionem commodi Christus merebatur, ac per consequens non merebatur actu beatifico. Respondeo negando sequelam, nam vtroque actu merebatur, sed ex eo quod non esset in termino secundum affectionem commodi, est congruentia, vt hoc subiectum, Christus, esset in statu merendi,

Dico 1. Christus meruit per amorem secutum ad scientiam infusam. Probatur nam per scientiam infusam proponitur sufficienter voluntati obiectum dilectionis liberæ & supernaturalis; ergo cum talis actus sit Viatoris, erit in Christo meritorius. Probatur consequentia à Scoto litera, B, nam radix omnis meriti est actus amoris, affectionis, iustitiæ, quo respicitur Deus, vel eius attributa ex complacentia ipsius, sicut primum peccatum quod fuit in Angelo amor amicitiæ, vt dixi Tractatu de Angelis, fuit radix cęterorum, si ergo in hoc actu non est meritum, ergo neque in reliquis operibus Christi.

Respondet Lorca, quod actus tantum est liber, & meritorius quando terminatur ad bona Dei extrinseca, (verbi gratia) ad honorem & laudem Dei ex complacentia ipsius Dei, non tamen quando actus Christi terminatur ad intrinseca Dei attributa, nam circa ista, sicut neque circa Deum, non est actus liber, benè tamen circa bona Dei extrinseca, nam talia bona etiam Deus liberè vult; at verò se & sua attributa necessario. Sed contra, quia actus charitatis & primus debet immediatè respicere Deum, & postea ex complacentia Dei, velle illi bona, ergo si talis primus actus qui respicit bona intrinseca Dei non est liber, nec meritorius, neque radix omnis meriti, ergo neque secundus actus, qui respicit extrinseca Dei, erit meritorius nec liber. Neque obstat quod primus actus immediatè Deum, & illius intrinseca respiciat, nam etiam amor charitatis viæ, hæc respicit, & est liber, & meritorius; actus Dei circa seipsum propter summam suam rectitudinem est necessarius, & circa extrinseca & finita est liber, quod in nobis non contingit cum simus defectibiles, & nostra voluntas non sit summè recta.

Obicit Lorca, quia Deus vt obiectum charitatis non cognoscitur nisi per fidem, quæ non est in Christo, vel per scientiam beatam, & ita erit amor beatificus, qui non erit liber, & si cognosceretur per scientiam infusam, actus charitatis, qui illam sequitur, non distingueretur ab actu beatifico, nam est idem obiectum à quo, vt etiam ait Vasq. & Hurtado, volitio specificatur, & si isti actus voluntatis distinguerentur, vterque esset necessarius, nam est amor finis vltimi, clarè cogniti, ac per consequens nullus actus erit meritorius. Respondeo quod Deus diligendus potest proponi per speciem, qua cognoscatur Deus quidditatiuè abstractiuè, vt dixi Tractatibus de Visione & Angelis, & amor secutus ad hanc scientiã, esset realiter & specie distinctus à fruitione beata, quę est obiecti præsentis, vt præsentis, & esset liber adhuc secundum plures Thomistas, ac per consequens meritorius, nam secundùm Scotum sæpe, & Suarez & alios, actus non tantùm distinguntur specie ab obiectis, sed ex modo attingendi illa, ac per consequens licet isti amores respiciant Deum, diuerso tamen modo, & ita non solum specie distinguntur, sed etiam si actus beatificus esset necessarius (quod non concedo) alter amor esset liber.

2. Obiicit Vasquez, & Hurtado, quod scientia infusa non potest mouere ad amorem in præsentia visionis beatæ, sicut non mouet me ad amandum aliquid pulchrum, eo quod Petrus dixerit, si ego video tale pulchrum.

Respondeo negando antecedens & exemplum; nam visio & fides possunt esse simul de potentia Dei, de quo Tractatu de Fide, & saltem secundum

Vasq. prima parte disp. 4. cap. 2. fides & scientia abstractiua sunt simul, & obiectum fidei mouet in præsentia scientiæ.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Vtrum Christus meruerit per opera præcepti?

LORCA disp. 37. docet Christum non meruisse per opera præcepti, quia cum esset impeccabilis ex vi vnionis, non habebat libertatem, propter quod eruditè satis deffendit in Christo non fuisse præceptum moriendi, sed tantum habuisse insinuationem voluntatis Patris, de quo postea.

Communis tamen sentētia Scholasticorum recentiorum (nam antiqui hoc non tetigerunt) asserit Christum meruisse per opera præcepti. Insinuat Scotus in tertio, disp. 18. §. *ad primum principale*, Vasq. disp. 74. c. 4. & 5. Valde laborant Thomistæ vt rationem reddant, cum dicant Christum impeccabilem esse, ex vi vnionis. Nos verò Scotistæ cum Scoto, Diuo Bonauentura, Marsilio, Argentina, facilè hoc componimus, nam dicimus Christum solum fuisse impeccabilem ex manutenentia Dei, quæ est auxilium Dei efficax quod non tollit libertatem, ac per consequens cùm Christus semper maneat liber, potuit mereri per opera præcepti.

Aliqui Thomistę vt hoc componant, dicunt Christum meruisse, nam licet opera, quibus præceptum adimpleuit Christus, fuerint necessaria in sensu composito, fuerunt tamen libera in sensu diuiso. Sed contra, quia vt illi hos sensus explicant, hoc tantum est dicere, quod ablato præcepto, actus esset liber, & de hoc non est difficultas, sed posito præcepto & in sensu composito; ergo si vt sic non est liber Christus, non meretur per opera præcepta.

Dices, quod positio præcepti pendebat ex voluntate Christi acceptantis tale præceptum. Sed contra primò, quia positio præcepti naturalis non pendebat ex acceptatione Christi. Secundò quia si hoc est verum, Christus mereretur in acceptatione præcepti, non verò in adimpletione illius, cum ad hoc non esset liber.

Secundò alij dicunt, quod præceptum non est aliquid intrinsecum voluntati, sed extrinsecum; & ita non aufert libertatem. Sed contra, quia necessitas hæc prouenit à visione, & ab vnione quæ intrinseca sunt humanitati, extrinsecè verò tantùm prouenit à præcepto, inducendo conditionem quandam in obiecto, vt sit medium vnicum & necessarium ad conseruandam amicitiam Dei, quam habet necessario Christus ex vi vnionis & visionis.

Tertiò Vasquez ait operationem Christi esse liberam, nam licet præcipiatur actus quoad substantiam, non tamen quoad affectum & quoad finem. Addit Hurtado, disp. 14. diff. 3. quod Christo non fuit præceptus hic numero actus, neque hoc determinato tempore, & ita fuit libertas in his, vt possit dici Christum mereri.

Sed contra primò, quia illud quod dicit Vasquez de affectu & fine, non habet locum in actu charitatis (de quo habuit Christus præceptum) qui fieri debet ex complacentia Dei. Secundò, quia si operatio solùm est libera quia facta est in tali tempore, vel cum tali circumstantia, vel cum tali numero actu, & quoad substantiam non est libera; ergo neque quoad substantiam meritoria, ac per consequens non erit verum dicere, quod Christus meruet ꝑ quia mortuus fuit pro hominibus, sed

quia mortuus fuit ex tali motiuo, tali tempore, & tali numero actu, quod iudico incōueniens, cum sacra Scriptura absolutè laudet substantiam mortis Christi ad Heb. 12. *Proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta.* Et Isayæ 53. *Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longæuum.* Tertiò, quia Christo fuit præceptum moriendi, vt pro nobis satisfaceret, ergo non fuit liber in actu & in fine.

Respondet Hurtado, quod eo ipso quod actus præceptus possit fieri in hoc vel illo instanti temporis, est libera substātia actus, nam potest pro illo instanti operari vel non operari, nam indifferentia in circumstantia temporis redundat in indifferentiam substantiæ operis. Sed contrà primò, quia ex hoc tantùm sequitur quod actus sit liber, quoad circunstantiam temporis, non verò quoad substantiam actus. Secundò, si circunstantia temporis refunditur in substantiam rei, ergo qui meretur circunstantiam temporis meretur substantiam rei, quod est falsum. Probatur, nam Christus & Patres meruerunt circunstantiam temporis Incarnationis, & tamen non meruerunt substantiam Incarnationis. Alios modos dicendi omitto.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Quo tempore Christus meruerit?

SVB hoc titulo plura examinanda sunt dubia.

DVBIVM PRIMVM.

A quo tempore Christus incepit mereri?

PRIMA sententia dicit Christum non meruisse in primo instanti suæ conceptionis, sed in tempore sequenti, nam operatio præsupponit *esse*. Ita Alensis 3. p. qu. 17. memb. 2. & faciliorem, & probabiliorem reputat Diuus Bonauentura in 3. dist. 18. art. 1. qu. prima. tenent qui dicunt Angelos non posse mereri, nec peccare in primo instanti. Sed hoc Tractatu de Angelis probaui esse falsum, neque necesse est operationem supponere *esse* prius tempore, nam operatio spiritualis hoc non indiget, imò neque materialis; nam Sol in eodem instanti in quo est, illuminat; tantùm requiritur vt, *esse*, prioritate naturæ præcedat *operari*. Hanc sententiam aliter alij probant, nam libertas requirit indifferētiam, quæ non est sine tempore futuro, quia in eodem instanti in quo est operatio, cum sit determinatio voluntatis, nequit esse indifferentia. Sed contra ex Scoto in 3. dist. 18. §. *ad primum* litera, H, quod ad indiferentiam sufficit prioritas naturæ, & in illo priori, ita contingenter & liberè agens producit actum, ac si per diem præcessisset ipsum actum.

Alij probant, quia ad deliberationem requiritur discursus & consultatio, ad quæ tempus est necessarium: sed hoc fundamentum etiam est falsum, nam ad deliberandum sufficit simplex apprehensio, aliàs Deus & Angeli (qui Angeli secundum Thomistas non discurrunt) non possent deliberare, etsi aliquando discursus requiritur, est propter imperfectionem, vt docet Scotus. §. *est igitur*, nam perfectus Cytharædus non indiget discursu ad pulsandum cytharam.

Alij dicunt, quod primus actus debet esse naturalis, quod verum est, quia actus voluntatis semper præcedit actus intellectus qui est naturalis; falsum si intelligant de primo actu voluntatis; Nam in illa, neque primus, neq; secundus, neque vltimus est naturalis, sed omnes sunt liberi, saltem essentialiter.

Secunda

Secunda sententia est Durandi, in 3. dist. 18 quæst. 2. dicentis probabile esse Christum non meruisse in primo instanti, neque vsque quo organa corporis & phantasiæ quibus vti debebat in operando essent perfecta ad vsum rationis, nam ait quod per opera secuta ad scientiam beatam non potuit mereri. Sed hæc sententia reiicitur vel tanquam erronea, vel tanquam temeraria, nam primò est contra Isayam 8. cap. *antequam sciat puer vocare patrem aut matrem, auferentur spolia Samariæ.* Secundò quia contra Patres dicentes Christum in Natiuitate, Circuncisione, & cætera, meruisse. Nam licet Christus non habuisset (de quo posteà) vsum rationis ministerio sensuum, & conuersione ad phantasmata, habuit tamen intellectum ab instanti conceptionis per scientiam beatam, & per scientiam infusam.

Nobis cum communi sententia dicendum est Christum incepisse mereri in primo instanti conceptionis. Ita Scotus §. *est igitur*, sanctus Thomas, 3. parte, quæst. 19. art. 3. Vasq. disp 75. Lorca disp. 74. Faber disput. 44. n. 29. Probatur à Scoto, nam tunc habuit perfectam voluntatem & gratiam, & obiectum præsens, tàm per scientiam beatam quàm per infusam, & nihil obstat, vt vidimus, vt Christus operetur, & est excellentia ipsius, ergo illi concedenda.

DVBIVM SECVNDVM.

An Christus tempore inter medio, inter instans conceptionis, & instans mortis, meruerit?

SVPPONO, vt certum, Christum semper sine interruptione meruisse, & patet in nostra sententia, nam semper erat in amore beatifico, imò per scientiam infusam semper fuit in perpetua vigilia: Itaque dormire in Christo fuit meritorium, vt ait Lorca citatus, num. 19. cum Caietano.

Quærunt aliqui, an Christus habuerit plura, an vnum meritum? Aliqui Recentiores dicunt esse vnum tantùm, quia omnes operationes Christi processerunt ab vna voluntate satisfaciendi pro nobis. Sed hoc non obstat, nam sufficit quod sint diuersa opera elicita à diuersis virtutibus, sicut qui vna voluntate ieiunat & dat Eleemosynam, habet duplex meritum. Propter quod dicendum est cum communi sententia, in Christo fuisse plura merita; Ita Alensis, Diuus Bonauentura, sanctus Thomas, Lorca num. 20. Hurtado disp. 14. diff. 6.

Obiic. si Christus habuit plura merita, quare satisfactio nostra tribuitur, à sacra Sriptura solù morti & passioni eius? Respondeo, aliis omissis à Vasq. & Lorca adductis, cum Scoto in 4. dist. 1. qu. 3. quod tribuitur morti, non quia cætera opera non sint meritoria & summi valoris, sed quia Christi meritum fuit consummatum & completum in morte, primò quia Deus sic ordinauit, vt non compleretur meritum vsque ad mortem. Secundò, quia Christus non obtulit singula merita, sed omnia simul vna oblatione, ad Heb. 11. *Vna oblatione consummauit sanctificatos.* Itaque sicut vna actio habens latitudinem gradus, etiam si quilibet gradus sufficeret ad meritū, dicitur vnum meritum; ita omnia opera Christi simul cum morte dicuntur vnum meritum, etiam si plura sint, & quodlibet sufficiat, neque vni merito correspondet vnum præmium, & alij aliud præmium, sed omnibus meritis vnum præmium, licet quodlibet meritum, sit sufficiens & superabundans pro omnibus præmiis.

TERTIVM DVBIVM.

An Christus post mortem aliquid meruerit?

CONVENIVNT Scholastici Christum post mortem non meruisse, probatur ad Heb. 11. *Vna oblatione cõsummauit sanctificatos.* Et ratio est, quia ita Deus decreuit, cuius voluntas colligitur ex loco citato. Solum potest esse dubium, an meruerit in instanti mortis, ita vt verum sit dicere Christum meruisse vsque ad instans mortis inclusiuè.

Respondeo negando, nam homo definit esse extrinsecè per primum sui non esse, vt docet Scotus quodlibet. 11. litera, L, ita vt dicatur nunc non est homo, & immediatè anteà fuit, & ita in illo instanti non potuit mereri: sic communiter Theologi, Vasq. disp. 76. in fine, Lorca num. 28.

Dices, Christus sua morte nos redemit, ergo tunc meruit. Respondeo cum sancto Thoma, quæst. 50. art. 6. quod sensus est, Christus meruit toto tempore quo passus est, vsque ad instans mortis exclusiuè.

Obicies secundò, vulnus lateris Christi fuit causa nostræ redemptionis, vt est communis sensus Ecclesiæ, *Quo vulneratus insuper mucrone diro lancea, vt nos lauaret crimine, manauit vnda & sanguine.* Ita Leo primus, Augustinus, Beda & Clementina vnica, *de summa Trinitate* in Cõcilio Viennensi, vbi definitur illud vulnus fuisse Christo illatum post mortem, cõtra Petrũ Ioannis dicẽtem fuisse Christo illatũ ante mortem; & quod Ioannis 19. *Cum vidissent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea eius aperuit.* Ita, inquit, enarrat Ioannes per recapitulationem: qui Petrus damnatus fuit in Viennensi citato. Si ergo vulnus Christi fuit causa nostræ Redemptionis, ergo fuit meritorium & post mortem.

Respondeo, tale vulnus non fuisse meritorium, nam licet in vita Christus habuerit voluntatem illud acceptandi, tamen talis acceptatio quando fuit exercita, non fuit actio vitalis, neque hominis, ac per consequens non fuit subordinata præcedenti voluntati, quod requiritur ad meritum: fuit tamen & pertinuit ad nostram redemptionem tripliciter; Primo per modum Redemptionis, quia fuit solutio pretij. Secundò per modum satisfactionis, nam fuit oblatio pretij in compensationem. Tertiò per modum sacrificij, nam fuit oblatio humanitatis, ad cuius destructionem vulnus pertinuit, & ad omnia ista sufficiebat, quod fuerit iniuria corpori Christi illata, & quod anteà Christus illam offerret. Ex quo intelliguntur Patres dicentes ex latere Christi fluxisse sacramenta, id est, signa sacramentorum, nam aqua & sanguis sacramentorum signa erant: vel fluxerunt sacramenta, quia ab illo sanguine & aqua simul cum aliis actionibus Christi, sacramenta virtutem acceperunt, non à sanguine & aqua per modum meriti, sed per modum satisfactionis, redemptionis & sacrificij.

DIFFICVLTAS QVARTA.

An Christus sibi aliquid meruerit?

CALVINVS & alij noui Hæretici, dicunt Christum nihil sibi meruisse, sed solum nobis. Ex eo probant, quod in Sacra scriptura dicitur solum pro nobis natus & passus: sed falso, nam scriptura Sacra solùm vult explicare motiuum nostræ redemptionis, non tamẽ negat fuisse alios fines impulsiuos. Ex Catholicis Albertus Magnus in 3.

dist. 13. qu. 4. Maior, Altissiodo ensis, dicunt Christum meruisse sibi gloriam essentialem animæ, quam habuit in primo instanti conceptionis.

Dico 1. Christus Dominus de facto non meruit sibi gratiam habitualem, nec dona quæ simul cum illa fuerunt illi infusa. Est communis sententia; probatur, nã gratia habitualis est principiũ omnis meriti Christi, vt dixi c.11. diff.2. sed principium meriti non cadit sub meritum, ergo gratiam non meruit.

2. Probatur, nam ordo naturalis petit vt potentiæ prius constituantur in actu primo, quàm operẽtur, sed gratia & cęteri habitus cõstituunt potẽtias in actu primo, ergo prius sunt quam operationes, ac per cõsequẽs non cadũt sub meritum. Et confirmatur, quia gratia non est Christo infusa, quia operatus est, sed infunditur vt operetur. Vnde. 1. infunditur gratia & alij habitus, & posteà sequitur operatio. Ex quo cũ Suarez disp. 39. reiicio Vasq. dicentẽ, disp. 79. n.12. Christum meruisse scientiam infusam, quia meruit Iudiciariam potestatem ad quã necessaria erat infusa scientia; nam cõtra est, quia ex eo quod meruerit potestatem Iudiciariam, nõ sequitur, quod meruerit scientiam infusam, nam etiam intellectus est necessarius ad Iudiciariam potestatem; & tamen Christus non meruerit suum intellectum.

Dico 2. Christus non meruit suam gloriam essentialem animæ. Sic Scotus in 3. dist. 28. §. *hoc viso*, & communiter Auctores, qui variè probant conclusionem 1. S. Tho. Gabriel & Almainus, dicũt quod nõ potuit mereri suam gloriam, nam meritũ debet tempore præcedere prçmiũ, & in tali tempore Christus gloria careret, quod est inconueniẽs. Sed contra, quia sufficit secũdum Scotũ, & secũdum rationem, quod meritum prioritate naturæ præcedat præmium, nam Iustus in eodem instanti in quo meretur augmentum gratiæ, illi tribuitur. Ex quo reiicitur Vasq. disp. 78. c.3. dicẽs prædictam rationem esse Scoti. Sed instat Lorca disp. 75. num. 4. quod iam Christus in aliquo instanti naturæ careret gloria, quod est inconueniens. Sed contra, quia instans naturæ non est *in quo*, sed *à quo*, vel præsuppositionis, in quo non verificatur quod caret, vel non caret.

Secundò alij probant, nam si Christus mereretur suam gloriã, sequeretur Christum habuisse gloriam infinitam, cum meritum eius esset infinitũ, quod est falsum. Sed cõtra, quia sicut non sequitur, quod gloria nostra sit infinita etiã si fundetur in merito Christi infinito, ita non sequeretur de gloria Christi, sed poterat à Deo pro sua libertate limitari.

3. Henricus probat, quod Christus nõ poterat mereri suam gloriam, quia erat illi debita titulo vnionis. Sed contra, quia etiam gloria corporis erat Christo debita, & directè illam Christus meruit secundum ipsum.

4. Alij probant, nam si Christus meruit suam gloriã, sequeretur illã nõ habere nisi post mortẽ, nam tunc cõsummauit suum meritũ. Sed contra primò, quia poterat Deus decernere, quod solo primo actu mereretur gloriam. Secundò poterat in sententia plurium, dare gloriam solutione anticipata.

5. Alij probant, nam si Christus mereretur suam gloriam, posset tunc habere spem ipsius gloriæ; quod est contra dicta cap. 12. diff. 1. Sed contra, nam ad spem requiritur carentia præmij, quam non haberet Christus, si in eodem instanti in quo meretur glo- gloriam, illi daretur.

Vera ratio est Scoti. §. citato. Ex natura rei volitio finis est prius, quã eorũ quæ sunt ad finem, sed fruitio est actus circa finem, ergo fuit prius in Christo

quam alius quicumque actus. Deinde meritum debet præcedere præmium, ergo nullus est actus, qui sit meritorius fruitionis beatæ, cum nullus sit actus qui eam præcedat.

Dices, gloriosiùs esset Christo habere gloriā ex meritis quàm sine illis. Respondet Scotus verum esse de præmio, quod potest cadere sub meritū, sed præmiū Christi est ita excellens, vt nō possit cadere sub meritum, cum sit primus actus ad quem nullus alius præcessit, & nobiliùs est habere præmium ex liberalitate Dei, & sine meritis, quàm habere præmium debilius ex multis meritis præcedentibus. Hoc probat Scotus hac conguentia, nā sicut sunt creaturæ, quæ dependent à causis secundis, vt ignis ab igne, & sunt creaturæ, quæ à solo Deo depēdent, vt Angeli; ita congruit, vt sit gloria quæ dependeat à meritis, vt est nostra, & sit gloria quæ non dependeat ab illis, vt gloria Christi.

Secundò respondet, quod potuit gloria Christi cadere sub meritū, & quamuis gloriosiùs sit habere præmium ex meritis quàm sine illis, tamen in præsenti absolute non fuit gloriosius, quia decens est & gloriosius statui beatitudinis, vt aliquis sit in gloria sine merito, vt ita sint in gloria omnes gradus beatitudinis, ad quod ponit hanc secundam congruentiam; nam sicut ad excellentiam gloriæ spectat, vt sint in illa qui nunquam fuerunt Dei inimici per peccatum actuale, vt Innocentes, & etiam sint in gloria aliqui qui fuerunt inimici per peccatum actuale, & postea pœnitentes, vt Petrus, & etiam sic in gloria, quæ nec fuit inimica per actuale, nec per originale, fuisset tamen, si non fuisset præseruata, vt Beata Virgo; ita decens fuit, vt esset beatitudo seu gloria, sine omni merito, vt beatitudo Christi, quæ est excellentior beatitudine omnium creaturarum.

Dices secundò contra rationem Scoti, potuit Christus eligere actum circa finem, qui actus [illegible] secutus ad scientiam infusam, [illegible] actus mereretur suam gloriam. Respondeo verum esse de possibili, sed non erat decens de facto, nam naturæ Verbo vnitæ conueniens erat, vt inciperet à perfectissimo actu, qualis erat fruitio.

Ex dictis colligo ex Scoto, quod de potentia Dei potuit Christus mereri suam gloriam. Ita Suarez, disp. 40. Becanus cap. 14. quæst. 8. Hurtado disp. 14. difficult. 7. Rada controuers. 12. art. 2. 1. p. Addo cum Becano & Hurtado, quod etiam gratiam habitualem. Nam in eodem instanti temporis in quo Christus habuit gloriam, potuit cum prioritate naturæ habere actum dilectionis secutum ad scientiam infusam & prouenientem, vt à principio, à natura humana vnita Verbo, quæ vnio poterat esse sanctitas in sententia Scoti, in qua gratia non iustificat ex natura rei, vt dixi Tractatu de Iustificatione, qui actus dilectionis mereretur gratiam habitualem & gloriam. Ex quo reiicio Fabrum disp. 44. cap. 6. dicentem in sententia Scoti, Christum non potuisse de potentia absoluta mereri suam gloriam, nam Scotus de hoc nihil habet expresse, imò oppositum colligitur ex loco citato, & eius principiis.

Dubitabis, an Christus meruerit continuationem suæ gloriæ & gratiæ? negat Vasquez, disput. 78. num. 19. Hurtado disput. 14. diffic. 10. probat Vasquez, quia Christus non erat in statu merendi quia beatus, aliàs meruisset augmentum gratiæ & gloriæ, quod non meruit. Sed ista non conuincunt, nam Christus meruit plura alia, non obstante etiam beatitudine, neque potuit mereri augmentum

gratiæ & gloriæ, nam habuit summam gratiam & summam gloriam, & supra summum nihil est dabile.

Propter quod cum nullam inueniam repugnantiam, & sit excellentia Christi; Dico meruisse vtrumque, legantur dicta c. 9. diff. 5. Addo quod sicut secundum Vasq. 1. 2. disput. 220. cap. 1. possumus mereri cōtinuationē gratiæ habitualis, hoc est ne eam amittamus aliquo peccato mortali, eodem modo posset Christus mereri continuationem gratiæ, cum nihil obstet.

Dico tertiò Christus meruit exaltationem sui nominis. Probatur ad Philip. 2. *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen.* Vnde Aug. tract. 34. in Ioannem exponens hæc verba, ait, *humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium.* Et Apocalyp. 5. *dignus est agnus qui occisus est accipere diuinitatem, &c.* Idest manifestationem diuinitatis, vt omnis lingua confiteatur quod sit filius Dei.

Dico quartò, Christus meruit gloriam sui corporis. probatur Lucæ 24. *Nonnè oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* & ratio est, quia cum labore Christus consecutus est hanc gloriam, ergo illā meruit. Dices quod gloria corporis & exaltatio nominis erat Christo debita, ergò illam non meruit. Respondeo cum Vasq. & Hurtado quod solum erat debita debito cōgruitatis, & ita potuit illam mereri. 2. Respondeo, etiam si sit debita debito connaturalitatis & iustitiæ, adhuc poterat illam mereri, nam eadem res potest esse debita duplici titulo, vt gloria nostra est in adultis debita titulo hæreditatis & titulo mercedis.

Difficultas est an Christus meruerit gloriam corporis directè? Scotus §. *hoc viso*, littera, g, Rada conclusione 8. Faber cap. 7. dicunt Christum solùm indirectè meruisse gloriam corporis, scilicet merendo amotionem impedimenti quo gloria animæ detinebatur ne flueret in corpus. Probat Scotus, quia illud quod infuisset in aliqua persona, (si non fuisset per miraculum impeditum) quantum est ex ratione sui, ante omnem actum illius personæ, non cadit super meritum illius; sed gloria corporis infuisset in primo instanti vnionis in Christo, nisi per miraculum fuisset impedita, ergo illam non meruit directè, sed solum indirectè, merendo amotionem impedimentorum.

Suarez disp. 40. sect. 3. indicat hanc doctrinam Scoti temerariam, quia contra Scripturam, Patres, & Scholasticos. Respondetur, potius ipse temerariè loquitur qui doctrinam satis probabilem, & grauissimorum Authorum, & Diui Cyrilli lib. 3. temerariam vocat: neque est contra Patres & Scripturam, dummodò dicamus Christum meruisse gloriam corporis siue directè siue indirectè, quia de hoc nihil dicunt Scriptura nec Patres.

Obiicit secundò Suarez quærens quid intelligat Scotus per ablationem impedimenti; vel intelligitur conditio corporis passibilis quæ ex dispensatione Dei fuit cum gloria animæ, vel intelligitur dispositio diuina, quæ statuit quod gloria animæ non redundaret in corpus vsque ad resurrectionem; sed primum non potest esse impedimentum, quia erat corporis conditio quæ per gloriam perficiēda erat, & si sit impedimentum, mereri ipsum tolli, nihil est aliud quàm gloriam corporis mereri diuinam dispositionem, ac per consequens potius dicendum est directè mereri gloriam corporis, & indirectè ablationem impedimenti, sicut qui redimit captiuum, directè mereretur libertatem, & indirectè vt remoueantur

impedimenta vinculorum, nam primò intendit libertatem, sicut ignis primò intendit calefacere aquam, & secundariò expellere frigiditatem.

Respondetur quod per impedimentum, intelligitur miraculum quo gloria animæ non redundabat in corpus, quæ gloria corporis solo concursu generali, siue aliquo speciali, erat Christo debita. Exemplum nihil valet, nam si eo ipso quod remouerentur vincula, debita esset libertas, qui tolleret vincula directè, indirectè daret captiuo libertatem, quod accidit in nostro casu, & non contingit in exemplo redimentis captiuum, nam gloria corporis necessario emanat à gloria animæ ablato miraculo: neque exemplum de igne est ad rem, nam vt expellat frigiditatē formaliter, prius est quod producatur forma, quàm quod expellatur contrarium; in nostro casu cum detur gloria, eo ipso quod tollitur impedimentum quod directè meretur, est ablatio impedimenti, & indirectè gloria corporis, & ita exemplum si aliquid valet potius est pro nobis.

Ex dictis reiicio Vasq. disp. 79. ca. 1. dicētem doctrinam Scoti esse veram loquendo de impassibilitate animæ, non de impassibilitate corporis; nam ait quod posita fruitione & visione in anima Christi, non poterat esse in illo tristitia nisi per miraculum, at verò gloria corporis non ita erat debita Christo, sed tantum ex congruitate.

Sed contra, nam sicut lætitia debita erat animæ Christi, ac per consequens quod tolleretur omnis tristitia, ita similiter gloria corporis erat illi debita, ergo de vtraque eodem modo est philosophandum, & ita si indirectè meruit Christus impassibilitatem suæ animæ, ita etiam meruit impassibilitatem sui corporis.

Dico quintò, Christus sibi meruit iudiciariam potestatem, nempè vt esset Iudex viuorum & mortuorum, colligitur ex Ioannis 5. *potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*, id est, quia operatus est vt filius hominis. tenet Augustinus de *verbis Domini*, sermone vigesimo, loquens cum Christo, *iudicium causamque recipias*.

Etiam meruit Christus Ascensionem in cœlum, deferendo secum captiuos, quod colligitur ex Patribus explicantibus illud Psalmi 23. *quis est iste rex gloriæ?* quos adducit Vasq. 1. p. disp. 215. art. 2.

Dico sextò, Christus non solum meruit vt ad nos mitteretur Spiritus Sanctus, sed etiam vt ipse ad nos mitteret spiritum Sanctum, hoc secundum est contra Vasquez disp. 6. ratio est, quia hoc potuit cadere sub meritum Christi, & est prærogatiua illius, ergo est illi concedenda.

Obiicit Vasquez, mittere spiritum Sanctum dicit formaliter actum spirationis actiuæ notionalis, quam Christus mereri non potuit, ergo &c. Respondetur negādo antecedens, nā missio hoc dicit de connotato, & de formali dicit respectum ad extra, vt dixi tractatu de Trinitate contra eundem Vasquezium, & quosdam ex nostris; vndè sufficit quod Christus mereatur formale, etiam si non mereatur connotatum, vt absolutè dicatur mereri missionem. Deindè non bene capio quomodo Christus mereatur Spiritum sanctum esse missum, & non mereatur missionem actiuam.

Dico septimò, Christus non meruit esse Caput Ecclesiæ, neque dignitatem Regiam, neque Sacerdotalem, neque potestatem spiritualem, neque Ecclesiasticā. Probatur nā omnia ista fundantur in vnione, & esse caput Eccesiæ etiam fundatur in gratia habituali; sed Christus neutrum meruit, neque vnio-

nem, neque gratiam habitualem, ergo neque meruit has dignitates, ita Vasquezius num. 14. diff. 9. Hurtado.

DIFFICVLTAS QVINTA.

Quid nobis meruerit Christus Dominus?

De fide est Christum meruisse nobis gratiam iustificantem. definitur in Trid. sess. 6. cap. 7. probatur 1. Ioan. 2. *sanguis eius emundat nos ab omni peccato.* Difficultas esse potest de fide & de dispositionibus cæteris ad gratiam. Capreolus in 3. dist. 18. art. 3. Driedo, Adā, dicunt dona antecedentia ad iustificationē, vocationem ad fidē, & fidē vltimam dispositionē ad gratiam, non dari ex Christi meritis, sed ex liberalitate Dei: Idem dicunt de administratione sacramentorum quibus prima gratia causatur: si tamen actus fidei & aliarum virtutum fiant ab homine iusto, dicunt esse ex meritis Christi, nam inquiunt, meritum Christi non prodesse nisi solis iustis. Sed hi Auctores licet catholici, lapsi sunt, nam omnia dona & auxilia esse ex meritis Christi non tantùm est cōmunis sententia, sed colligitur ex sacra scriptura & Conciliis vt de fide, ad Ephes. 1. *qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Et 2. Petri 1. loquendo de Christo, *omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam & pietatem donata sunt.*

2. Probatur ex Can. 4. Concilij Mileuitani, vbi contra Pelagium definitur omne opus bonum conducens ad vitā æternam, à fidei initio vsque ad perseuerantiam, esse ex Christi meritis. Idem habet totum Arausicanum, præcipuè can. vltimo, vbi expresse loquitur de fide. Denique Trident. sess. 6. præcipuè cap. 5. ait, *ipsius iustificationis initium in adultis à Deo, per Christum Iesum, præueniente gratia sumendum esse*, hoc est, ab eius vocatione. & patet ex vsu Ecclesiæ quæ omnia petit, *per Iesum Christum.* Et probatur ratione, nam merita Christi erant præuisa ante quodcumque donum nostrum & auxilium, & erant sufficientia pro quocumque, ergo cum sit excellentia Christi, ipsi est concedendum omnia meruisse.

Prima sententia ob. Ioannis 6 *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*, vbi nulla fit mentio de Christo. Respondeo quod his verbis solum explicatur necessitas gratiæ, & non excluditur Christus qui aliis locis exprimitur, Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt.*

2. Ob. Augustinum 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 5. *homo quisque ea gratia fit Christianus, qua homo ille ab initio factus est Christus*, sed Christus factus est Christus absque meritis propriis, vel alienis, ergo & homo est Christianus absque merito Christi. Respondeo Augustinum tantum comparasse gratiam, qua nos sumus Christiani, cum gratia qua Christus fuit Christus, in eo quod vtraque est absque propriis meritis, nil dixit de alienis.

3. Ob. nam infideles non sunt membra Christi per fidem, ergo auxilia quæ illis dantur non sunt ex meritis Christi. Respondeo, sufficit vt sint membra in potentia, nam Christus etiam *extendit manus ad populum non credentem.*

4. Obiicies etiam si Christus non venisset, Deus daret auxilia, ergo non sunt data ex Christi meritis. Respondeo quod sicut non daretur causa reconcilians, ita neque ex vi præsentis decreti darentur auxilia: quod fuisset tunc ex vi alterius decreti, ignoramus.

5. Quia merita Christi, fuerunt causa indifferenter oblata pro omnibus, & vt sint efficacia debent applicari ad determinatas personas, sed causæ determinantes sunt dispositiones & vsus Sa-

cramentorum, ergo ista non sunt ex meritis Christi. Respondeo concedendo merita Christi esse causam vniuersalem, quantum ad sufficientiam, & particularem quantum ad efficaciam respectu aliquorum quos Deus prædestinauit, quæ applicatio etiam fuit ex meritis Christi, & à Deo applicante his & non aliis, quia ita voluit.

6. Obiicies si prima gratia datur ex meritis Christi, ergo non datur nobis gratis, quod est contra sacram scripturam & Concilia Respondeo quod respectu nostri est gratis, respectu Christi est præmium & iustitia.

Vltimò Obiicies, Christus venit vt ea quæ Adam perdidit ipsi & nobis recuperaret, sed Adam non perdidit fidem, ergò Christus nobis non meruit auxilia ad fidem. Respondet Vasquez disp. 78. cap. 4. Adam amisisse fidem, saltem dubitando an verba serpentis, *nequaquam moriemini*, essent vera, contra verbum Dei, *in quacumque hora comederis, &c.* Ita Ambros. Prosper. 2. Respondeo, quod licet Adam non amiserit sibi fidem, nobis verò amisit, nam amisit nobis omne donum gratiæ, nam per peccatum sumus indigni omni dono: propter quod Arausicanum ait, per peccatum Adæ ita fuit liberum arbitrium extenuatum, vt sine gratia credere non posset.

petes 1. an Christus meruerit nobis vitam æternam immediatè? Vasq. 1. 2. disp. 222. cap. 3. dicit quod tantùm mediatè & remotè, merendo nobis ea quibus illam à Deo obtinemus, nam homini decedenti in statu gratiæ plenè purgato, non fit noua gratia in retributione gloriæ. Respondeo cū Hurtado diff. 1. & aliis Auctoribus, quod Christus immediatè meruit nobis gloriam, nam est noua gratia pro gratia, sicut est noua gratia augmentum gratiæ quod de condigno meretur, quo pacto meritum excellimus.

Petes 2. gratia data antiquis Patribus ante Christi aduentum fuit ex meritis Christi? Respondent omnes Theologi affirmatiuè, ita Scotus in 3. dist. 19. §. *sed hic sunt*, non meritis exhibitis, sed præuisis, tanquam solutione anticipata. Probatur ad Rom. 3. *in ostensione iustitiæ suæ, in remissionem præcedentium delictorum*.

Obiicies, quia effectus meritorum Christi tribuitur passioni & morti Ioan. 12. *nunc Princeps huius mundi eiicietur foras*; ergò ante mortem nihil meruit. Respondeo negando consequentiam, tribuitur morti Christi effectus meritorum, 1. quia tunc exhibitum est pretium, quod antea fuit præuisum. 2. quia tunc erat reserata Ianua cœli, nam anteà Patres detinebantur in Lymbo.

Petes 3. an prædestinatio nostra ad gloriam, sit ex meritis Christi? Respondeo cum Scoto citato, non esse ex meritis passionis Christi, nam prius fuerūt prædestinati quam passio Christi. Addo quod fuit ex meritis quoad substantiam: patet ex dictis cap. 4. diff. 1. Nam merita Christi, vt sic, fuerunt prius præuisa quam nostra prædestinatio, & Probatur ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso* (id est Christo) *ante mundi constitutionem, vt essemus sancti*, quod Patres intelligūt de electione efficaci ad gloriā.

Dices quod ly *in ipso*, significat causam finalem, non verò meritoriam, resp. quod quando ly *in*, coniungitur accusatiuo significat causam finalem, vt quando ait Paulus, *prædestinauit nos in ipsum*; at verò quando adiūgitur ablatiuo, significat causam meritoriam ad Ephes. 1. *gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem, & in quo & sorte vocati sumus*: quem modum loquendi vsurpauit Trid. sess. 6. ca. 16. dicens, *operata in Christo facta*, id est, *ex meritis Christi*.

Aliqui

Aliqui Auctores distingunt dilectionem à prædestinatione vel electione, & dicunt Christum meruisse dilectionem nostram, non verò electionem. Sed frustrà hoc distingunt, vt optimè notauit Lorca, disp 76. num. 13. Nam vel sunt idem, vel si distinguntur, si Christus non meruit electionem, neque dilectionem, quæ tanquam superior includitur in electione seu prædestinatione.

DIFFICVLTAS SEXTA.

De diuersis Christi appellationibus.

APPELLATIONES diuersæ conueniunt Christo ratione suorum operum, & dicitur Merens, Satisfaciens, Redemptor, Mediator. Christus dicitur Satisfaciens pro nostris peccatis, vt vidimus capite 3. nam in compensationem nostrorum peccatorum obtulit suas actiones & passiones, quibus etiam meruit. Distinguitur meritum à satisfactione; nam meritum respicit præmium ex iustitia debitum, satisfactio respicit debitum ex iustitia solutum, & ita ex parte actionum latius patet satisfactio quam meritum, nam vulnus lateris est satisfactorium, & non est meritorium, vt dixi diff. 4. ex parte termini latius patet meritum quàm satisfactio, nam ista tantum est pro debito peccati & pœna; at verò meritum respicit gloriam animæ, & gloriam sui corporis, per quam satis fecit.

De redemptione dixi loco citato, & cap. 1. diff. vltima quæ consistit in hoc, quod Christus nos eripuit à potestate Diaboli, soluendo superabundanter debitum contractum per peccatum. Distinguitur à satisfactione, nam ista respicit personam cui fit satis; at verò redemptio respicit personam quæ liberatur, & captiuitatem à qua eripitur. quomodo Christus sit Redemptor dixi cap. 1. diff. 8.

Difficultas tantum esse potest, an esse Redemptorem posset alteri à Christo conuenire: pro quo nota quod dupliciter potest quis esse Redemptor, 1. offerendo mediatè & remotè pretium redemptionis, quatenus quis est auctor & causa vt alius immediatè offerat; & in hoc sensu tota Trinitas dicitur Redemptrix, quia suo decreto & auctoritate facta est redemptio. 2. modo offerendo proximè & immediate pretium redemptionis, & hoc modo solus Christus fuit de facto Redẽptor.

Dices secundum communem sententiam, vnus homo potest satisfacere de condigno pro pœna temporali contracta per peccatum alterius, ergò iste aliquo modo est Redemptor. Respondeo hoc non sufficere, sed requiritur quod satisfaciat pro culpa & pro pœna æterna, vt fecit Christus ratione cuius culpæ est seruus Diaboli, à qua seruitute liberet, & hoc non potest purus homo de facto, benè tamen de potentia Dei, vt dixi cap. 2. diff. 6.

Christum esse Mediatorem inter Deum & homines docet Paulus 1. ad Thi. 2. *vnus mediator Dei & hominum*, & probatur, nam Christo conueniunt quatuor conditiones, quæ requiruntur ad officium Mediatoris; prima vt sit iudex ad componendam litem. & hoc significant verba Pauli, secundum Ambrosium. 2. vt mittatur vt legatus, vt nuntius; ita fuit Christus proferens pacta Dei ad nos, Malachiæ. 3. *Angelus noui Testamenti*. Sic Chrysost. hom. 6. in Epistol. ad Hebr. 3. vt impetret precibus ab vno ad alterum, quod etiam fecit Christus vt omnes fatentur 4. vt soluat pretium quod fecit Christus 1. ad Tim. 2. *qui dedit semetipsum redemptionem pro multis* de hoc late Vas-

quez disput. 85. capite primo.

Ex quibus colligitur quod in Christo esse Redemptorem, Mediatorem, meruisse, & satisfecisse sunt idem, nam in his omnibus officium Mediatoris exercuit. 2. colligitur quod nullus fuit Mediator sicut Christus, cum superabundanti satisfactione, nam licet Sancti vocentur Mediatores, vt Moyses ad Gal. 3. inter Deum & homines, quia orant & intercedunt pro populo, non tamen tribuunt condignum pretium pro nostris peccatis, vt Christus.

Dubium est, secundum quam naturam, istæ appellationes conueniant Christo, & idem dicendum est de officio Sacerdotis. Circa quod fuit primus error Stantarij dicentis Christum fuisse Mediatorem &c. ratione naturæ humanæ. Primò ita vt sic ad actiones excluderet suppositum. 2. vt independenterà valore suppositi sit mediatrix. Secundus error Caluini dicentis substantiam actionis conuenire naturæ humanæ, efficacitatem illius naturæ diuinæ: itaq; esse Hostiam tribuebat humanitati, esse Sacerdotem diuinitati, & ponebat quasi duo agentia, & in errorem Nestorii incidebat.

Veritas catholica est Christum secundùm vtramque naturam esse Mediatorem &c. Sic Vasquez capite 3. Lorca disput. 77. num. 10. Hurtado disput. 19. difficult. 2. Ita vt vnus qui est Deus & homo, exerceat omnia ista munera, ita vt substantia actionis proueniat ab humanitate, & dignitas à personalitate. & probatur ex sacra Scriptura, vbi frequenter dicitur, cum qui nos redemit, fuisse Deum & hominem. *proprio filio suo non pepercit*: & Ratione probatur, quia hoc quod est mori, satisfacere &c. non possunt conuenire Christo secundū diuinitate. Rursus, neque esset distinctio inter satisfacientem, & eum cui fit satisfactio: neque possunt conuenire præcise secundum humanitatem, nam ipsa non habebat præcise sufficientem valorem, ergo ex vtraque natura conflante vnam personam in duabus, & ex duabus naturis debet componi.

Obiicies Augustinum, Bedam, Anselmum, &c. apud Recentiores, tribuentes has appellationes Christo vt homo est, nulla facta mentione Dei. Respondeo, non ita clarè loquuntur Patres, tantum enim intendunt quod ad satisfactionem necessaria est natura humana, nam Deus solus nequit satisfacere: plura quæ obiicit Vasquez pro erroribus faciè soluuntur, nam sacra Scriptura aliquando loquitur de Christo, vt homine, aliquando vt Deo, quia vtrumque est necessarium. Quantum ad modum loquendi, hæc propositio tam specificatiuè quàm reduplicatiuè est vera, *Christus in quantum homo est Mediator, Redemptor, Sacerdos*; nam cum sumatur in concreto, non excludit suppositum. hæc etiam est vera, *Christus est Mediator, Redemptor &c. in quantum Deus, & homo*, scilicet copulatiue; nam vtrumque concurrit ad completam rationē Mediatoris. hæc est falsa, *Christus in quantum Deus est Sacerdos, Redemptor &c.* Nam excluditur natura humana, propter quod etiam hæc est falsa, *Christus est Redemptor secundum solam naturam humanam*, nam cum vtraque natura includatur in his appellationibus, propositiones excludentes aliquas, sunt falsæ.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De scientia beata animæ Christi.

DIFFICVLTAS PRIMA

Vtrum scientia beata fuerit in Christo ab instanti suæ conceptionis?

TRACTATV de beatitudine dixi contra Hug. de S. Vict. & alios, Beatos non posse beatificari visione Dei increata; idem modo dico de Christo, & ratio est, nam videre, est actio vitalis, quæ saltem debet inhærere principio vitali, & petit ab illo procedere, sed neutrum potest conuenire visioni increatæ Dei, ergo &c. propter quod modo de facto de fide est, in Christo fuisse scientiam, Ioan. 8. *scio eum, & sermonem eius seruo.* vbi de Christo secundum quod homo, dicitur, quod seruat sermonem & cognoscit Patrem. & confirmatur ex cap. 12. diff. 3. vbi dixi de fide esse, in Christo esse dona Spiritus sancti, quæ sunt aliquid creatum, vt scientia, Fides &c. quæ spectant ad intellectum. Neque obstat, quod sicut personalitas Verbi vnitur humanitati, ita scientia increata potest vniri intellectui Christi, vel sicut essentia diuina gerit vicē speciei impressæ, potest gerere speciei expressæ, nā respondeo quod personalitas vnitur, non informans, sed terminans, species impressa concurrit effectiuè, ad quod non requiritur informatio; at verò species expressa concurrit formaliter & vitaliter, ad quod necessaria est inhærentia & informatio, quod nequit scientiæ Dei competere.

Suppono de fide esse Christum à morte sua fuisse beatum, *hodie mecum eris in paradiso*, quod euidenter colligitur ex Resurrectione gloriosa corporis difficultas est de instanti conceptionis, Buzerus, Caluinus & Luterus negant, ponentes in Christo ignorantiam aliquarum rerum.

Dico 1. Christus vidit Deum in hac vita mortali, quod negare erit errori proximum. ita Suarez disp. 25. sect. 1. Lorca disp. 47. Montess. & Hurtado. probatur Ioan. 8. *Ego quæ vidi apud patrē loquor*: & alibi sæpe, sed Christus de Trinitate loquebatur, ergò illā videbat. Et confirmatur, nam in Transfiguratione Christus gloriosus apparuit, ergo fuit ex redundantia animæ etiam gloriosæ. Rursus hæc est maxima Christi perfectio, ergo illi non est deneganda.

Dico 2. Christus fuit beatus ab instanti conceptionis. Ita Scotus in 3. diff. 18. §. *hoc viso*, & omnes Theologi; ita Patres apud Recentiores: sufficiat Ric. de S. Victore lib. 2. de Emanuele cap. 22. *quod nos accepturi sumus in vita futura, ille accepit in vita ista, quod nobis dabitur in consummatione, illi datum est ab initio conceptionis suæ.* Probatur ex illo Psal. 64. *beatus quem elegisti & assumpsisti*, nam in instanti conceptionis humanitas fuit assumpta, ergo beata. Ratione probatur, nam Christus fuit beatus in vita mortali, sed non est assignandum tempus in quo incœperit, ergo cum sit Christi excellentia, dicendum est quod ab instanti conceptionis, nam sicut tunc habuit gratiam habitualem, congruum fuit vt haberet gratiam consummatam, scilicet gloriam, præcipuè qui erat caput Angelorum, qui tunc habebant gloriam, debebat in hoc illis conformari, ne esset aliqua perfectio in membris, quæ non esset in capite, propter quæ Scholastici negare, hanc conclusionem censent ad minus temerarium.

Hæretici obiiciunt 1 Ioan. 10. *clarifica me Pater, claritate quam habui apud temetipsum antequam mundus fieret*, vbi Christus petit beatitudinem quam habuit ab æterno. Respondeo cum Ambrosio, tantum postulare, vt cognosceretur ab hominibus vt verus Deus, sicut ab æterno fuit cognitus, & exaltationem sui nominis.

2. Obiiciunt, *oportet Christum pati & ita intrare in gloriam suam*, Lucæ 23. ergo carebat gloria 1. Respondeo verum esse caruisse gloria corporis, non gloria animæ.

3. Obiiciunt ad Heb. *decebat eum per passionem consummare*, vbi consummatio significat beatitudinem. Respondeo non significare nisi consummationem muneris Redemptionis, quod officium per mortem consummabatur ex decreto Dei.

4. Obiiciunt Psal. 15. *non derelinques animam meam in inferno &c. sed adimplebis me lætitia cum vultu tuo*, vbi sicut Christus expectabat resurrectionem, ita videtur expectasse beatitudinem. Respondeo, quamquam alii hæc verba intelligant de Iustis, de Christo intelliguntur ad litteram, vt probat Petrus Act. 2. & Paulus Act. 13. tamen non refertur ad gloriam animæ Christi, sed Ecclesiæ quæ est corpus eius: ita Aug. & Hieronimus: vel loquitur de gloria accidentali & cumulo lætitiæ, quem habiturus erat ex gloria sui corporis.

5. Obiiciunt, si erat beatus, quomodo in passione habuit tristitiam quæ non compatitur cum beatitudine? Respondeo quod ex Dei dispensatione.

Petunt Recentiores, an Christus habuerit lumen gloriæ, & speciem impressam? Resp. de Christo dicendum est sicut de aliis Beatis, vt dixi Tractatu de Visione, nam nihil habuit per vnionem ratione cuius his non indigeret.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Quæ & qualis sit scientia beata animæ Christi?

QVÆ, substantiã quærit, circa quã 1. inquiro an scientia beata Christi sit eiusdẽ speciei cum scientia hominum beatorum? Et Respondeo affirmatiuè. Probatur ad Rom. 8. *hæredes Dei, cohæredes autem Christi*, id est, gloria eiusdem rationis est in Christo ac in cæteris hominibus; & ratio est, nam omnia principia, scilicet obiectum, lumen gloriæ, & intellectus, sunt eiusdem speciei, ergo & effectus.

Inquiro 2. an visio animæ Christi sit eiusdem speciei cum scientia beata Angelorum? Negant aliqui Scotistæ, Siuising, de Deo vno tractatu 2. disp. 6 num. 269. Pytig. in 3 dist. 14. quæst. 1. art. 4. dicens esse sent. Scoti ibidem. sed nihil de hoc Scotus ibi. tenent quidam ex nostris, dicentes esse sent. communem Scoti, & nullum Scoti locum adducunt. fundamentum est, quia actus non tantum specificantur ex obiectis, sed ex principiis elicitiuis, quæ in præsenti sunt intellectus; sed intellectus Angeli & hominis specie distinguuntur, ergo & visiones.

Nobis dicendum est, vt dixi Tractatu de Visione, quod licet verũ sit quod intellectus distinguantur specie in quantum identificantur realiter cum essentiis à quibus emanant, tamen vt sunt principia elicitiua suorum actuum, sunt eiusdem speciei, ac per consequẽs visio animæ Christi, & visio Angeli, nõ distinguuntur specie, ita Scotus in 2. disp. 1. quæst. 6 litera, d, & in reportatis in 3. dist. 13. quæst. 3. §. *ad 3 quæstionem*, his verbis, *teneo quod fruitio animæ & Angeli* non sunt alterius speciei. Pilosus de visione disput. 24. articul. 4. Lichetus, Tartaretus, & omnes

Thomistæ Recentiores. Fundamentum est, quia omnia principia sunt eiusdem speciei. Secundò probo ex Scoto, nam sequeretur visionem Angelorum perfectiorem esse visione animæ Christi, & perfectius esse membrum (scilicet Angelum) in visione, quàm caput (scilicet Christum) quod mihi inconueniens est, & Scoto.

Respondent cum Maiore, quod visio Angeli est imperfectior in intensione, propter quod, cùm visio Christi sit intensior, absolutè dicenda est perfectior, sicut multitudo argenti, preciosior est quam parùm auri. Sed contra, quia quantumuis crescat argentum, nunquam accidit ad perfectionem auri, quamuis pluris æstimetur quàm parum auri; ergo quantumuis crescat in intensione visio animæ Christi, non accedet ad perfectionem visionis Angelicæ, si specie distinguuntur ex quo patet ad fundamentum primæ sententiæ.

De qualitate, hoc est de intensione visionis, conueniunt omnes in Christo esse intensiorem visionem quàm in hominibus & Angelis, imo aliqui existimant hoc esse de fide. Primò, quia est traditio Ecclesiæ; secundò probatur ad Ephes. 1. *constitutus est caput super omnes Principatus.* In quo sensu Theologi & Patres intelligunt illud symboli, *sedet ad dexteram Dei Patris*; Id est, in beatitudine excedit omnes Beatos. Et ratio est, quia sicut Christo fuit data summa gratia, ita perfectior visio, vt docet Scotus in 3. dist. 13. quæst. 4. §. *ad 3. quæstionem* litera, O, vbi ait, quod si voluntati Angeli daretur summa gratia, sicut fuit data Christo, quod Angelus eliceret perfectiorē fruitionem, propter perfectiorem potentiam, tamen de facto fruitio Christi perfectior fuit, nam principium conflatum ex gratia & voluntate Christi, excedebat principium compositum ex voluntate Angeli & eius gratia; & idem dicendum est de intellectu & lumine gloriæ. Si verò dicamus quod ad fruitionem, Christus, vel ad visionem non se habuit elicitiuè, sed solùm passiuè, quod mihi in Scoto satis probabile videtur, dicendum est Christum habuisse summam fruitionem & visionem possibilem, vt dixi de gratia Christi, cap. 11. diff. 4. nam ad recipiendum æqualem capacitatem habet homo cum Angelo. Ita Scotus citatus.

Quærunt hîc Recentiores, an Christus compræhenderit Deum? & respondetur negatiuè, quia Deus est infinitè cognoscibilis, & ita nisi à cognitione diuina & infinita comprehendi non potest.

Obiicitur Isidorus, cap. 42. in Exodum, *Trinitas sibi soli integrè nota est & humanitati suscep'æ.* Respondeo quod in nostris codicibus legitur, *humanitas suscepta*, & facit hunc sensum, mysterium Trinitatis & Incarnationis, solus Deus compræhendit. Difficilius est, quod addit Isidorus, nempè, *Christus est tertia in Trinitate persona*; sed hoc debet ita intelligi, est vna ex tribus personis, non verò quod sit tertia origine, cum sit secunda, & Spiritus Sanctus sit tertia.

Petes secundò, an sit de fide, Christum non posse Deum compræhendere. Vasquez prima parte disp. 52. cap. 2. & noster Pilosus disp. 24. art. 2. num. 5. dicunt non esse de fide, sed esse tantùm contra torrentem Scholasticorum. Ita tenet Hurtado disput. 8. difficult. 4.

Nobis dicendum est cum communi sententia, Suarez disp. 26. sect. prima. Lorca de beatitudine, sect. prima, disp. 33. num. 2. Sumsing. esse de fide. Probatur Hieremiæ 32. *Magnus consilio, & incomprahensibilis cogitatu*, & cap. *firmiter de summa Trinitate. Nos credimus & confi-*

temur, quod vna quædam summa res est incomprehensibilis & ineffabilis.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Vtrum Christus per hanc scientiam videat in Verbo omnes creaturas, quas Deus videt?

DE quantitate visionis agimus in præsenti, scilicet de numero obiectorum cognitorum à Christo; pro quo suppono, vt dixi Tractatu de Visione, Beatum videre creaturas in Verbo formaliter, non causaliter, idest, non per proprias species infusas, vt dicunt Vasq. & Hurtado, nam hoc est potiùs videre eas in proprio genere quàm in Verbo, sed videre in Verbo, vt in obiecto mouente, & hoc eodem actu quo videtur essentia diuina, vt dixi cum Scoto eodem Tractatu.

Dixi etiam ibi omnes Beatos videre ea quæ ad suum statum spectant: Ex quo colligo Christum videre in Verbo omnes creaturas existentes, præteritas, & futuras, quia cum sit iudex viuorum & mortuorum, & etiam sit Dominus omnium, *omnia subiecisti sub pedibus eius*, omnia ista spectant ad statum Christi. Difficultas tantum est an videat omnes creaturas possibiles?

Prima sententia, dicit Christum non posse videre omnia possibilia. Ita communiter Thomistæ, Caiet. Montess. Suarez disp. 26. sect. 2. Vasq. disp. 50. Loica diput. 48. Becanus, cap. 9. quæst. 7.

Secunda sententia, docet Christum videre omnia possibilia, diuersimode tamen explicatur ab Auctoribus; Nam Diuus Bonauentura in 3. dist. 14. art. 2. quæst. 3. Henricus & alij, dicunt quod intellectus Christi constituitur in actu primo per quemdam habitum, potens, vt pro sua libertate videt, modo hoc, modo illud obiectum. Quem modum dicendi reiicit Scotus in 2. dist. 3. quæst. 10. §. *Ista opinio*, & in 3. dist. 14. quæst. 2. §. *Contra istud*, nam si per talem habitum cognoscit Christus infinita; ergo est infinitus intensiuè, sed hoc est impossibile, vt probaui cap. 11. diff. 4. ergo. Maior probatur, ad cognoscendum maiorem pluralitatem obiectorum, requiritur maior perfectio, ergo ad cognoscendum infinitam pluralitatem, vt sunt possibilia, necessaria est perfectio infinita. Respondent Diuus Bonauentura, & Henricus, quòd habitus est finitus, licet dicat respectum ad infinita obiecta. Sed contra obiicit Scotus, ergo etiam poterit anima Christi cognoscere actualiter omnia possibilia (quod isti negant) non sufficit adhoc actus finitus cum respectu ad infinita. Alia plura obiicit Scotus, videatur, de quibus dixi Tractatu de Angelis loquendo de speciebus Angelorum.

Alij aliter explicant dicentes Christum videre in Verbo omnia possibilia actualiter. Tenent Magister, Alensis, & probabilem iudicat Rada 3. parte contro. 9. art. 3. conclusione 5. Pytigianus in 3. dist. 14. quæst. 2. art. 4. tenent quidam ex nostris citantes Scotum in 3. dist. 14. quæst. 2. §. 3. *modo*; sed immeritò, nam ibi tantùm probabiliter loquitur, & supposito quod intellectus merè passiuè se habeat. Quidam ex illis citat Scotum in secundo, dist. 3. quæst. 9. §. *ex eisdem*, versiculo *consimiliter*, sed Scotus nihil habet in hoc loco, fortè est quæst. 11. vbi Scotus, ait Christum omnia videre in Verbo, sed an sit actualiter, vel habitualiter, non disputat.

Propter quod magis placet dicere Christum videre omnia possibilia habitualiter in Verbo, non actualiter, scilicet quod per aliquem actum videt

Verbum, & per illum actum omnia relucentia in Verbo sunt sibi præsentia in actu primo, & per hoc habitualiter sibi nota. Sic Scotus in 3. citato. §. *sed si ista via*, & in reportatis §. 4. *potest*, ait Scotus, *& istum modum teneo*. Tenet Faber in 3. disp. 35. cap. 4. Pitig. Smising. num. 194 & probabiliorem reputat Rada conclus. 6. ex Theologis Salas prima secundæ, quæst. 3. Tractatu 2. disp. 4. sect. 7. Etice disp. 51. cap. 4.

Quod habitualiter omnia possibilia videat probatur; nam hęc est perfectio Christi, & non repugnat, ergo illi concedenda, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*, & cui gratiæ non sunt datæ ad mensuram. Quod actualiter non videat omnia possibilia, probat Scotus. Primò intellectus finitus, quò pluribus attendit, eò imperfectiùs attendit singulis, vt experimur, ergò simul non potest attendere ad infinita perfectè.

Respondent Scotistæ, quod si illa infinita vniantur in vnico obiecto, eminenter continente omnia, vt est essentia diuina, in nostro casu; & cognoscantur vnica cognitione, non minuitur attentio ex pluralitate obiectorum, secus si non vniantur in vnico obiecto, vel cognoscantur infinitis cognitionibus. Sed contra, quia adhuc vnita in vnico obiecto, & cognita vnica cognitione, cognoscuntur vt plura, & ad omnia in particulari terminatur cognitio, ac si in se ipsis cognoscerentur, ergò si sunt plura, minuitur attentio, cum sit finita & limitata.

Secundò respondebis, quod diuinitùs potest intellectus finitus attendere ad infinita, quia sicut lumine gloriæ finito & limitato videtur Deus infinitus; Ita idem lumen potest efficere, quod intellectus ad infinita attendat: Sed contra, nam ad cognoscendum infinitum obiectum, vt est Deus, non requiritur cognitio infinita, vt patet in beatis; at verò ad cognoscenda infinita obiecta, cognitio & infinita attentio est necessaria: & ratio est, quia attentio non augetur propter perfectionem obiecti, cum possit intellectus minus attendere circa perfectius obiectum, quàm circa imperfectius; at verò propter perfectionem obiecti augetur perfectio specifica actus, non vero hac proportione, quod si obiectum sit infinitum, quod actus sit infinitè perfectus; attentio verò Arithmeticè augetur vt experimur, nam si ad quinque obiecta est necessaria attentio vt quinque, ad decem obiecta attentio vt decem, & cum talis attentio sit perfectio in actu, siue sit intentio, vel influxus potentiæ, vel aliquid aliud, & non possit dari perfectio creata infinita, hinc est quod neque cognitio vna infinitorum obiectorum, nam esset infinite perfecta, quod repugnat; Nam, vt ait Scotus, perfectio animæ Christi in infinitum excederet perfectionem alterius animæ, quod videtur inconueniens.

Probat secundò Scotus, vna visio infinitorum obiectorū eminenter continet visiones infinitas numero, ac per consequens esset infinitè perfecta; sed in anima Christi (secundum Aduersarios) non possunt esse infinitæ cognitiones numero distinctæ, ergò neque vna, quæ omnes contineat. Probatur Maior, nam quando superius potest præstare munus inferioris, optimè colligimus, quod superius eminenter continet inferius; ergo si illa visio facit, quod infinitæ visiones efficerent, continet perfectionem infinitarum visionum, & ita esset infinita.

Obiicit prima sententia, nam si anima Christi cognosceret omnia possibilia, comprahenderet Deum, quod

est impossibile, vt dixi dist. 2. Probatur sequela, nam ex Augustino, cognitio comprehensiua est illa per quam nihil obiecti latet cognoscentem. Secundò Lorca, Montess. & Gonzalez probant sequelam, nam creaturæ videntur in Deo, vt in causa, ergo si omnes creaturæ videntur, est ex penetratione & comprehensione causæ, nam cognoscens adæquatè effectus alicuius causæ, vel conclusiones alicuius principij, adæquatè & comprehensiuè cognoscit causam & principium.

Respondeo ad comprehensionem requiri, quod nihil obiecti extensiuum, & intensiuum lateat cognoscentem, ita quod tanta sit cognitio, quanta est cognoscibilitas obiecti, vt docuit Scotus littera, F, ex Augustino l.13. de Ciuit. Dei cap.18. & habet sanctus Thomas, prima parte, quæst 11. art.7. in Corpore; in Deo ergo est aliquid intensiuum cognoscibile, quod non cognoscitur à Christo Domino, etiam si omnia possibilia cognoscat, solus enim Deus se comprehendit, vt pulchre Fulgentius in libro responsionum ad Fernandum Diaconum, *quia anima non nouit Deitatem, ita vt ipsa deitas fit, Deitatem non comprehendit.* Deinde in nostra sententia, creaturæ non cognoscuntur ex vi visionis, neque plures ex maiori comprehensione causæ, sed ex Dei voluntate, nam Deus est obiectum voluntarium, & ita nullo modo colligitur comprehensio, benè tamen in sententia Thomistarum, contra quos sic arguo. Præstantior est cognitio effectus per causam, quàm causæ per effectum, sed secundum Thomistas, Christus cognoscens omnia possibilia, quæ sunt effectus Dei, comprehendit Deum; ergo multo magis quilibet Beatus cognoscens omnipotentiam secundum minimum gradum intensionis, cognoscet omnia possibilia. Patet, nam quilibet gradus omnipotentiæ est sufficiens causa respectu omnium possibilium. videatur Faber, cap.1. & 2. qui Thomistas optimè redarguit.

Secundò obiiciunt, ad videndum aliquas creaturas requiritur lumen, ergo ad videndum plures, maius, ergo ad infinitas infinitum; sed in Christo non est infinitum lumen, ergo neque visio omnium possibilium. Respondeo cum Vasq. 1. parte disp. 50. cap.5. eodem argumento probaretur ad videndum Deum requiri infinitum intellectum, nam ad videndum perfectius obiectum requiritur perfectior intellectus, ergo ad videndum infinitum, necessarius est intellectus infinitus, quod est falsum. 2. Respondeo, quod maior vel minor visio creaturarum, non sumitur ex perfectione luminis, sed ex Dei voluntate, & ita minimum lumen sufficeret ad videnda omnia possibilia, sicut sufficit vt Deus videatur, qui infinitus est. Addo quod in nostra sententia nunquam cognoscuntur actualiter omnia possibilia, & ita nunquam dicenda est cognitio infinita.

Tertiò Ægidius, & Cabrera 3. parte, quæst.10. art. 2. disp.3. obiiciunt dicentes nostram sententiam esse errori proximam, quia in Directorio Inquisitorum, 2. parte quæst.11. damnatur Arnaldus de Villanoua Medicus Tarraconensis, dicens quod anima Christi comprehendit diuinam essentiam, vel cognoscit omnia quæ latent in eius potentia, sed idem nos dicimus, ergo. Respondeo cum Recentioribus nostram sententiam esse satis probabilem; & addit Montess. esse veram in ea opinione quæ asserit creaturas non videri ex vi visionis. Alnaldus damnatus fuit primò inconsulto Papa. Secundò damnatur non propter propositionem nostram, sed propter fundamentum Arnaldi, nam dicebat quod

in Christo non erat alia cognitio nisi increata, quod erat error Monothelitarum, vt vidimus, cap. 10 diff. 3.

Pro Scotistis obiiciunt primò Rada, & Pilosus, intellectus creatus est receptiuus cuiuslibet visionis in Verbo diuisim, ergo coniunctim; Probatur consequentia, quia tales visiones non sunt inter se oppositæ, ergò non repugnant simul. Respondeo ex Scoto, §. *potest dici*, quod bene potest intellectus infinitas visiones recipere, non tamen producere, nam ad hoc requiritur, quod intellectus esset infinitè perfectus, vt ibi docet Scotus.

Obiicies secundò, anima Christi videt omnia possibilia habitualiter secundùm nos, ergo actualiter; Probatur, videre habitualiter, secundum Scotum, est videre illo actu quo videt Verbum, sed posito tali actu, impossibile est quod non reddat suum effectum formalem, qui est omnia actualiter repræsentare, ergò omnia actualiter videt. Respondeo quod ille actus qui est actualis visio Verbi, est actus primus & aptitudo proxima ad videndum in actu secundo omnia possibilia, sicut habentem habitum perfectum Theologiæ, & actu non contemplantem aliquam propositionem, dicimus scire omnem Theologiam, non quia actu contempletur, sed quia pro suo libito potest contemplari quod voluerit, quia habet omnia requisita, vt posset exire in actum secundum.

Dices, cùm nihil sit volitum quod non fuerit præcognitum, quomodo poterit Christus velle videre in Verbo (verbi gratia) Antichristum quem anteà non cognouit? Nam scientiam beatam nulla alia scientia præcedit. Respondeo quod sufficit cognitio habitualis, vt possit velle prorumpere in actum quorumcumque possibilium, vt sufficit habitus perfectus Theologiæ, vt possit Tholugus contemplari hanc, vel illam propositionem.

Dices secundò, ergo de facto quilibet Beatus videt omnia possibilia habitualiter, nam habet actum secundum circa Verbum, ac per consequens est proximè expeditus, vt possit exire in actum secundum circa quæcumque possibilia. Respondet Scotus littera, O, quod Verbum cuilibet alij Beato, cum sit speculum voluntarium, repræsentat determinatas creaturas, vltra quas non potest velle ordinatè videre alias; sed Christo Verbum est speculum repræsentans omnia, & ita poterit ordinatè velle videre, quamcumque ex infinitis possibilibus, sicut si essent sibi præsentes per proprium habitum, vel per aliquem actum primum cognoscitiuum, qui possit dici habitus.

Tertiò obiiciunt Suarez, & Montess. ex Medina, beatitudo est inuariabilis, ergo modò non videntur aliæ creaturæ, modo aliæ. Rursus frustra esset potentia ad videndum omnia si nunquam simul videntur. Respondeo quod beatitudo est inuariabilis in ordine ad obiectum primarium, scilicet Deum, non tamen circa obiecta secundaria, vt sunt creaturæ, nam secundum omnes, potest Deus aliquid de nouo reuelare Beato non obstante inuariabilitate beatitudinis: neque frustra est illa potentia cum successiuè possit Christus videre omnes creaturas.

Quartò obiicies, si Christus successiuè omnia cognosceret, posset numerare infinita vnum post aliud, quod est impossibile, & contra Aristotelem .. Met. tex. 13. Respondeo, quod licet infinita numerando pertransiri non possint, cum infinitum sit sine numero, bene tamen in intelligendo, nam Deus infinita cognoscit. Rursus ad numerationem requiritur infinita attentio, quæ non potest esse in an-

ma Christi, quæ finita est.

Quintò obiicies, Christus est iudex viuorum & mortuorum, qui in instanti omnes debet iudicare, sed cogitationes omnium hominum sunt infinitæ, ergo actu cognoscit infinita, non ergo necessaria est attentio infinita; Et confirmatur, quia Christus comprehendit ignem (verbi gratia) ergo cognoscit omnes effectus, qui ab illo prouenire possunt, qui sunt infiniti, ergo, &c. Respondeo cum Lorca, disp. 48. & Montess. tales cogitationes non esse infinitas, sed finitas. Ad confirmationem Respondeo quod ad comprehensionem ignis, sufficit cognoscere confusè infinitos effectus, nam non requiritur cognitio distincta illorum.

Sed instabis, ad perfectionem & dignitatem iudiciariam Christi, spectat non tantum cognoscere cogitationes bonas vel malas, sed etiam cognoscere supplicia & gloriã, tàm reproborum, quàm prædestinatorum, sed ad pœnam & gloriam accidentalem pertinent, in bonis cogitationes bonæ, & in reprobis cogitationes malæ, quæ futuræ sunt post diem iudicij; sed istæ sunt infinitæ, ergo cognoscit Christus actu infinita. Respondeo fatendo esse infinitas in actu cum Suarez disp. 26. sect. 3. Vasq. disp. 51. Mõtess. Aluarez, Cabrera, &c. contra aliquos dicentes solum esse infinitas in potentia, sed omnia ista cognoscit Christus habitualiter non actualiter. Ex quo constat Christum cognoscere infinita in actu, nam licet in se talia futura non sint simul, sed successiuè, cognoscuntur tamen à Christo simul, non actualiter, sed habitualiter, nam illi sunt in Verbo præsentia. Quod tales cogitationes sint actu infinitæ, patet. nam semper restant aliæ & aliæ accipiendæ, quæ est definitio infiniti in actu, quod distinguitur ab infinito in potentia, quod in isto partes quæ restant accipiendæ non sunt in quanto, sed in ordine ad numerantem; at verò in infinito in actu, partes accipiendæ sunt actu in ipso quanto, verbi gratia, in continuo sunt actu infinitæ partes diuisibiles.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De scientia infusa animæ Christi.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum in anima Christi fuerit scientia infusa?

PRÆTER scientiam beatam, alia datur scientia in proprio genere, id est per proprias species rerum, quæ scientia est triplex; prima est acquisita, quæ proprio labore acquiritur ministerio intellectus agentis. Secunda est per se infusa quæ nullo alio modo haberi potest, nisi à Deo infundatur, quia natura talis scientiæ petit hanc infusionem. Tertia est per accidens infusa, & est scientia quæ licet acquiri possit, tamen à Deo infunditur: & de secunda & tertia scientia est præsens difficultas. Circa quam omnes Theologi conueniunt in Christo, præter scientiam beatam, dari scientiam in proprio genere & infusam. Primò, quia Christus erat viator, & debet esse in illo scientia propria viatorum. Secundò, quia etiam hæc scientia datur in Beatis secundùm Augustinum 11. & 12. de Genesi ad literam, qui illis cõcedit scientiam matutinam, id est beatam, & vespertinam, id est in proprio genere, ergo etiam Christo cõcedẽda est. *In quo sunt omnes thesauri sapiẽtiæ & scientiæ Dei*, & cui ratione vnionis debita est omnis scientia possibilis

Dices, Christus per scientiam beatam omnia cognoscebat; ad quid ergo necessaria erat sciētia in proprio genere? Respondeo, vt cognoscantur obiecta à Christo omnibus modis, quæ est perfectio Christo concedenda.

Difficultas est, an scientia per se infusa fuerit in Christo? Prima sententia negat, pro qua referuntur à Recentioribus nostris, Alensis, Bonauentura, Ricardus, & Scotus in 3. dist. 14. quęst. 3. §. *contra conclusionem*, & §. *ad quæstionem*. Sed hos Auctores excusat Lorca, disp. 49. n. 9. sed quidquid sit de aliis, Scotus pro hac sentētia immeritò citatur, nam ibi tantū impugnat D. Tho. ex eo quod dicat, quod circa obiecta, circa quæ acquiri possunt species, dentur in Christo Domino per se infusæ, nam circa talia obiecta tantùm concedendæ sunt species per accidens infusæ, vt optimè notauit Faber, disp. 36. cap. 3. vt insinuat Rada 3. parte contro. 9. art. 4. §. 6. *obserua*, & est conforme principiis Scoti, qui in 3. dist. 36. non concedit virtutes morales per se, sed tantùm per accidens infusas, quia tales virtutes possunt acquiri circa talia obiecta. Deinde Scotus, dist. illa 14. quæst. 4. species infusas Christo concedit.

Propter quod, cum Scoto & communi sententia, Suarez disp. 25. sect. 3. Vasq. disp. 52. cap. 2. Ragusa disp. 85. Lorca, Aluarez, Becano, Hurtado, &c. dicendum est dari in Christo scientiam per se infusam; ratio est, quia ita decet, vt Magister & Doctor omnium, cognosceret res in proprio genere, sed plura sunt obiecta de quibus non poterat Christus abstrahere species, ergo habebat scientiam per se infusam talium obiectorum.

Petes, negare Christo scientiam per se infusam, estne dignum aliqua censura? Respondet Suarez negatiuè, dummodò negans fateatur in Christo scientiam per accidens infusam, nam per illam ab instanti conceptionis cognoscet omnia obiecta. Sed hoc non placet, quia per scientiam per accidens infusam, non nouit Christus mysteria gratiæ, nec Trinitatis, ac per consequens concedenda est scientia per se infusa. Propter quod dico, quod si verum est, quod Auctores primæ sententiæ (vt ait Lorca) non negant hanc scientiam per se infusam, erit temerarium illam negare, quia contra Scholasticos, & contra Christi dignitatem, vt optimè docuit Medina 3. parte, quæst. 9. art. 6. immeritò repræhensus à Suarez.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Vtrum per scientiam per se infusam cognouerit Christus Deum trinum & vnum?

PRIMVM, quod inquiri potest in præsenti difficultate, est an per hanc scientiam, cognoscatur Deus vt vnus, quantùm ad *an est*, ex effectibus creatis. Negant Vasquez disput. 53. cap. 1. Hurtado disp. 8. diffic. 11. Ratio est quia cognitio per se infusa, non est discursiua, sed per propriam speciem, at cognitio Dei ex effectibus est discursiua, ergo non est per se infusa. Sed hoc fundamentum falsum est. Primò, quia scientia per se infusa est discursiua, vt posteà dicam. Secundò quia sicut Angelus sine discursu (secundum ipsos) cognoscens se, cognoscit Deum vt causam sui, ita poterat Christus sine discursu.

Propter quod dico cum Suarez disput. 27. Aluarez, Ragusa, &c. posse Christum ex effectibus cognitis scientiâ per se infusâ, cognoscere Deum quo ad *an est*; Ratio est quia potest fieri sine discursu, vt

Thomistæ fatentur de Angelis. Secundò, quia discursus non impedit hanc scientiam.

Dices, potiùs dicenda est talis cognitio acquisita quàm per se infusa, sicut conclusio illata ex principiis fidei non dicitur fides, sed scientia Theologica. Propter hoc dico, quod difficultas potiùs videtur de nomine quàm de re, tantùm affirmo quod ex effectibus cognitis scientia per se infusâ, cognoscitur Deus quoad *an est*.

Maior difficultas est, vtrum per hanc scientiam cognoscatur mysterium Trinitatis. Negat Vasquez citatus, & disp. 115. Lorca disp. 50. Hurtado dist. 8. diff. 12. adhuc quoad *an est*. Communis tamen sententia affirmat, Caietanus, Medina quæst. tr. art. 6. Suarez disput. 27. Aluarez disp. 52. Pitig. in 3. dist 14. quæst. 3. art. 2. conclusione 2. Becano, Ragusa Montes. &c.

Dico primò, Christus cognouit per hanc scientiam mysterium Trinitatis, tàm quo ad *an est*, quàm quo ad *quid est* per speciem propriam huius mysterij. Ita colligo ex Scoto in 2. dist. 3. quæst. 9. §. *ad quæstionem*, vbi ponit in Angelis talem cognitionem, & speciem infra visionem beatam, ergo Christo est concedenda. 2. Nam sequeretur Christum, vt viatorem habere imperfectiorem cognitionem quàm nos; Probatur, nam nos per fidem cognoscimus Deum trinum, saltem quo ad *an est*, ergo cum Christus non habeat fidem, ne hoc dicamus, debemus illi concedere scientiam per se infusam Trinitatis. 3. Christus vt viator orabat ad Patrem, & loquebatur de hoc mysterio, vt constat ex Sacra scriptura; ergo illud cognoscebat, non aliâ scientiâ nisi per se infusâ, ergo. Minor probatur, nam scientiâ acquisitâ, vt de se patet, non poterat cognoscere tale mysterium, neque scientiâ per accidens infusâ, nam istâ tantùm cognoscuntur obiecta de quibus naturaliter possunt acquiri species, & de Trinitate non sunt naturaliter acquisibiles.

Quod detur talis species abstractiua Trinitatis, Tractatibus de visione, de Angelis, & de Trinitate ostendi, quod iterùm repeto; quæ sunt dispersa in inferioribus possunt in aliquo superiori coniungi, sed cognitio abstractiua & intuitiua dispersæ sunt, nam abstractiua est in sensibus internis, intuitiua in externis; ergo vtraque reperitur in intellectu, qui est potentia superior, ac per consequens cognitio abstractiua Trinitatis. Et confirmatur, nam in intellectu est scientia perfecta & distincta de quidditate Dei, quæ scientia non est intuitiua, cùm abstrahat ab existentia & præsentialitate Dei, ergo abstractiua. 2. Probatur, nam Paulus videns Deum in raptu, illo transacto, recordabatur Dei per speciem à Deo derelictam, vt testatur secundæ ad Corinth. 12. sed talis recordatio est cognitio Dei quidditatiua, non intuitiua, cùm non sit obiecti præsentis, ergo abstractiua.

Sed obiicit Vasq. & Thomistæ, nam quælibet cognitio quidditatiua Dei est intuitiua, cum Deus sit existens & præsens vbique, & talis cognitio quidditatiua Dei terminabitur ad Deum existentem & præsentem, quod requiritur ad cognitionem intuitiuam. Respondeo quod hæc species abstractiua, etiam si repræsentet existentiam, & præsentiam Dei, non tamen petit produci à tali præsentia & existentia, sed ipsa eadem manet, siue obiectum sit præsens, siue non, vt docet Scotus quodlibet 13. vt patet in specie impressa Diui Pauli quâ recordabatur Dei: at vero species intuitiua essentialiter petit produci à tali existentia & præ-

sentia, & hæc diuersa conditio prouenit ab entitatibus illarum specierum.

2. Obiicit Vasquez, Astrologus qui cognoscit eclypsim per propriam speciem in alio Hemisphærio existentem, vel futuram in proprio, est beatus tali cognitione, ergo non requiritur præsentia obiecti. Respondeo 1. negando antecedens, nam vt sit beatus debet cognoscere perfectissima cognitione, quæ est intuitiua, quæ terminatur ad rem realiter existẽtem. Respondeo 2. quod beatitudo Astrologi consistit in cognitione rei futuræ, at verò beatitudo nostra in possessione Dei, ad quam requiritur præsentia.

3. Obiicit, hæc species non est supernaturalis, nam vt ait Scotus in 2. dist. 3. quæst. 19. litera, E, ponitur vt Angelus habeat beatitudinem naturalem, ergo non est per se infusa. Respondeo ex eodem Scoto quod talis species supernaturalis est, nam tantum à Deo producibilis est, & operante vt agente supernaturali, nam tunc non supplet Deus aliquod principium physicum potens illam producere, vt supplet in restitutione visus, quæ est supernaturalis quoad modum; neque est aliqua natura quæ hanc speciem petat connaturaliter, vt petitur creatio animæ quando materia est disposita, sed dicitur naturalis à Scoto, quia non est in ordine gratiæ & gloriæ, vt charitas & lumen gloriæ, & quia illa posita naturaliter tendit Christus, vel Angelus in obiectum.

Dico 2 Christus non cognouit mysterium Trinitatis, adhuc quoad *an est*, per aliquem effectum creatum qui sit cognitus, & se habeat, *vt quod*, ita Scotus quodlibet, 14. littera EE. & communiter Scotistæ, ita Auctores primæ sententiæ. Probatur, nam nullus est effectus qui per se dependeat à Deo Trino, ergo non est vnde Trinitas cognoscatur. Respondẽt Thomistæ quod visio beata & fides nostra dependent à Deo Trino. Sed contra Scotus litera HH. §. *ad ista* primo, quia licet verum sit quod visio sit ratio formalis cognoscendi Trinitatem respectu intellectus cui inhæret, non tamen respectu intellectus cui non inhæret, respectu cuius solum est obiectum *quod* cognitum, & licet, vt sic, repræsentet Trinitatem, solum est materialiter, non tamen formaliter, nam formaliter tantum Deum vt vnum repræsentat: ita in sententia Scoti visio Dei esset beatifica si solum terminaretur ad Deum vt vnum, ac si ad Deum vt Trinum terminetur, ac per consequens in visione beata Trinitas non repræsentatur per se, sed per accidens & materialiter, sicut de facto creaturæ dependent à Deo Trino, & tamen ex cognitione creaturæ, non cognoscitur Trinitas, sed tantum Deus vnus, nam ad productionem creaturæ, per accidens se habet Trinitas personarum: ita licet visio à Deo Trino dependeat, per illam vt obiectum cognitum tantum cognoscitur Deus vt vnus, non tamen vt Trinus. Sed quia Thomistæ hanc doctrinam non admittunt, sed dicunt quod Trinitas personarum est de essentia obiecti beatifici.

2. Aliter dico cùm Scoto litera FF. quod in visione & in actu fidei, est entitas absoluta, & est relatio imaginis repræsentantis obiectum, quæ relatio non cognoscitur nisi cognoscatur terminus illius, vt docet Augustinus 15. de Trinitate cap. 24. & ita optimè stat quod cognoscatur visio & actus fidei quo ad entitates absolutas, non cognita Trinitate.

Dices quod cognita creatura, etiam si non cognoscatur Deus anteà, cognoscitur tunc per ipsam creaturam, & cognoscitur relatio dependentiæ, ergo

non requiritur ad cognitionem relationis, quod prius cognoscatur terminus. Respondeo quod ista relatio identificatur cum fundamento, & ita hoc cognito, scilicet creatura, cognoscitur relatio, & Deus quoad *an est*, qui est terminus.

Dices 2. relatio imaginis necessario consequitur naturam visionis, ergo cognita visione cognoscitur relatio, secluso quocunque alio, ac per consequens, & terminus. Respondet Scotus quod talis relatio non consequitur necessario ex fundamento præcisè, sed etiam ex termino, & ita est necessarium quod cognoscatur terminus & fundamentum ad hoc quod cognoscatur relatio.

Obiicies cum Caiet. quod ex euidentia testificationis, cognouit Christus hoc mysterium hoc syllogismo, quidquid Deus reuelat est verum, sed Deus reuelat se esse Trinum, ergo verum est Deum esse Trinum: vbi consequentia euidenter sequitur. Maior est nota lumine naturali, minor non est neganda Christo, cum sit eius excellentia, & potuerit Deus illi hoc reuelare. Respōdeo, quod vt dicitur Tractatu de Fide cum euidētia in attestante, & reuelationis, adhuc manet obiectum reuelatum obscurum, & fidei, nam in Angelis fuit fides, cum hac euidentia in attestante, nam testificatio est medium extrinsecum respectu rei testificatæ, & ita non facit euidentiam talis rei, fides ergo non est concedenda Christo, vt dixi capite 12. difficult. 1.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Vtrum anima Christi nouerit per istam scientiam mysteria gratiæ, & creaturas spirituales?

ET respondeo quod per scientiam per se infusam cognouit Christus Angelos, animam rationalem, existentiam corporis sui in Eucharistia, lumen gloriæ, & illa omnia mysteria gratiæ quæ non dicunt ordinem ad aliquid increatum. Et ratio est primò, quia pertinet ad Christi excellentiam. 2. quia de illis, de quibus non potest Christus acquirere species, datur scientia per se infusa, sed de his omnibus non potest acquiri species à Christo, (quidquid sit de Angelis, de quo dixi tractatu de Angelis,) ergo de illis habuit Christus scientiam per se infusam.

Dices, Christus Dominus post resurrectionem, potuit acquirere species horum obiectorum, ac per consequens scientia illorum tunc esset per accidens infusa, quod videtur inconueniens; nam est mutare naturas specierum quæ sunt inuariabiles etiam per variationem statuum, ergo absolutè dicendum est quod scientia horum obiectorum semper fuit per accidens infusa in Christo, etiam ante eius resurrectionem. Respondeo non esse necessarium hoc concedere, nam tales species non mutarentur physicè, sed tantum haberent denominationem quandam nouam penes ordinem ad statum, in quo species possent acquiri, nam tunc denominarentur per accidens infusæ, quod nō iudico incōueniens: Et si velitis dicere species à Deo infusas Christo, esse in statu ita perfecto, vt nullo modo possint in tali perfectione acquiri, ac per consequens esse in hoc sensu per se infusas; non inficiar, sed videtur mihi difficultas magis de nomine quàm de re.

Difficultas esse potest de obiectis supernaturalibus quæ dicunt ordinem ad aliquid increatum, vt visio & fruitio beata, mysterium Incarnationis &c. Aluarez disp. 61. Ragusa disp. 92. & Vasq. asserunt Christum per hanc scientiam non cognouisse ista, quia dicunt essentialem ordinem ad Deum, qui

ordo non cognoſcitur ignoto termino, & Deus non cognoſcitur per hanc ſcientiã. Nobis dicendũ eſt iuxta Scoti principia, & cum Suarez diſp. 27. ſect. 3. Monteſſ. affirmatiuè, & ratio eſt, quia poteſt à Deo infundi ſpecies quæ repræſentet entitatem abſolutã, ſed etiã relatiuam & terminũ ipſius, vt dixi difficultate præcedenti. 2. quia antecedẽter cognito termino ſcilicet Deo, poſteà optimè cognoſci poteſt relatio per ſpeciem tantum ipſius, vt docet Sotus quodlibeto 14.

3. Contra Vaſquez, nam ſequeretur Chriſtũ nullo modo cognoſcere hæc obiecta, nam per ſcientiam acquiſitam non potuit cognoſcere, neque ſecundum ipſum per ſcientiam infuſam, neque per beatam, nam ſecundum ipſum nulla creatura videtur in viſione beata. Reſpondet quod hæc obiecta cognoſcit Chriſtus per vtrãque ſcientiã, ſcilicet per viſionem beatam, Deum qui eſt obiectum, verbi gratia, fidei, & per ſcientiam per ſe infuſam ipſam fidem. Sed contra, quia inconueniens eſt, & voluntarium dicere, ſcientiam beatam indigere ſcientiã infuſã, & ſcientiam infuſam indigere ſcientiã beatã. ex dictis patet ad fundamentum primæ ſententiæ.

Petes 1. cognoſcit Chriſtus ſuam viſionem beatam per ſcientiam per ſe infuſam? Reſpondet probabiliter Suarez, negatiuè, dicens quod cognoſcitur per ipſam viſionem. Sed hoc non diſplicet, quia hoc dixi Tractatu de Vine contra Smiſing.

Petes 2. an iſta obiecta quæ Chriſtus cognouit per hanc ſcientiam, cognouit ſecundum rationes communes tantum, an etiam ſecundum rationes particulares? Aliqui imponunt Scoto in 3. diſt. 14. quæſt. 3. §. *ad quæſtionem*, dicenti non cognoſci iſta ſecundum rationes particulares, ſed tantum ſecundum rationes communes. Sed immeritò, nam Scotus tantum ait quod ſpecies naturæ vniuerſalis non eſt ſufficiens ad cognoſcenda ſingularia, vt ſentiũt Thomiſtæ, & ratio eſt, quia ſingularia dicunt aliquid ſupra vniuerſalitatem, quod per ſpeciem vniuerſalis nõ poteſt repræſentari. Ita Rada 3. parte contro. 9. art. 4. concluſione 2. vnde ſingularia per ſpeciem propriam cognoſcuntur.

DIFFICVLTAS QVARTA

Vtrum per hanc ſcientiam cognouerit Chriſtus futura contingentia libera?

ANTEQVAM de futuris liberis ſit ſermo, ſciendum eſt vtrum Chriſtus per hanc ſcientiam, cognouerit ſingularia quę cadunt ſub iſta ſcientia, vt exiſtentia ſub hac vel illa temporis differentia, ideſt, vt præſentia, præterita vel futura?

1 Thomiſtæ communiter affirmant, nam concedũt ſpecies vniuerſales, quæ non tantum repræſentant quidditates obiectorum, ſed indiuidua & accidentia ipſorum, & differentias temporum, ſed has ſpecies latè reieci Tractatu de Angelis.

Quidam ex noſtris, dicit dari in Chriſto ſcientiam infuſam abſtractiuam ſingularis exiſtentis pro quauis temporis differentia, negat tamen ſcientiam intuitiuam: probat primum, nã dari poteſt duplex ſpecies, vna repræſentans ſingulare exiſtens, altera repræſentans præſentiam illius pro tali tempore, & dicit eſſe ſententiam Scoti quæſt. 3. citata; Radæ & Fabri. Sed immeritò, primò quia Scotus, & Scotiſtæ potius negant cognoſci differentiã temporis. ſecundò quia contra principia Scoti negantis ſpeciem, quæ repræſentet modo rem præſentem in hoc tempore, poſteà præſentem in alio tempore, cum ſpecies ſit cauſa naturalis; de quo latè

dixi Tractatu de Angelis.

Propter quod dico cum Scoto in 3. dist. 14. quæst. 3. §. *ad quæstionem*. Rada 3. parte contro. 9. art. 4. conclusione 5. Fabro disp. 36. cap. 2. quod respectu obiecti actualiter existentis, datur in Christo cognitio perfecta intuitiua, vel per speciem acquisitam ministerio intellectus agentis (si est obiectum ex quo acquiritur species) vel per speciē à Deo infusam (si est obiectum ex quo non potest acquiri species) ex qua cognitione relinquitur species in intellectu Christi, quæ dicitur memoria, per quam cognoscit obiectum vt præteritum; quæ cognitio dicitur imperfecta intuitiua: non tamen per speciem infusam potest cognosci obiectum vt præteritum, vel vt futurum, sed tantū cognoscitur quantum ad suam entitatem abstrahentem à differentia temporis. Quod probatur, nam talis species, quæ cūque illa sit, naturaliter repræsentat, & non ad nutum intelligentis; ergo si Christus habet speciem, verbi gratia futuri, semper repræsentabit obiectum futurum, etiam si sit præsens vel præteritum, nam nequit eadem species naturalis repræsentare modo hoc, modo illud, sine variatione intrinseca illius, de quo latè dixi tractatu de Angelis, ex quo patet quod Christus non poterit cognoscere præterita quæ anteà non cognouit (si fortè essent aliqua) per speciā præteriti, sed per visionē beatā.

Circa futura contingentia est præsens difficultas, & suppono Christum cognouisse futura naturalia per hanc sciētiam, nam cognouit causas naturales, talium futurorum compræhensiuè, & consequēter cognouit talia futura. Circa contingentia est prima sententia, dicens Christum illa cognouisse per hanc scientiam. Sic communiter Thomistæ, Suarez disp. 27. sect. 2. Vasq. disp. 52. cap. 2. Hurtado diff. 10. Montess. quos sequitur quidam ex nostris citans Scotum, sed immeritò vt videbimus. tenēt Rada 3. parte conclusione citata, & Faber vt probabilem disp. 37. num. 16. dicentes cognosci talia futura, non præcisè per hanc scientiam, sed simul per reuelationem diuinam.

Nobis dicendum est per hanc scientiam, non posse Christum cognoscere futura contingentia. Ita Scotus in 2. d. 3. quæst. 11. §. respondeo versiculo *confirmatur*, loquens de Angelis. Respōdet Scotista, quod Scotus arguit contra Thomistas ponentes species vniuersales, & dicentes vnica specie posse cognosci futurum contingens, quod est falsum, benè tamen, (ait Scotista,) poterit cognosci duplici specie; vna, qua cognoscantur termini, altera qua cognoscatur contingentia illorum, & hoc colligit ex versiculo *præterea secundò*, vbi Scotus petit speciem distinctam ad cognoscendam existentiam & tempus, & alteram speciem ad cognoscendam singularitatem obiecti: Et quia concludit Scotus quod aliundè habenda est notitia futuri contingentis, quod (inquit Scotista) impossibile est, nisi per scientiam per se, vel per accidens infusam.

Sed contra, quia frustra hic Scotista retorquet sensum Scoti, primò, nam sequeretur quod Angeli cognoscant futura contingentia, quod est falsum, & contra Scotum. 2. nam ex eo quod nō dentur species vniuersales, optime colligit Scotus quod non possit Angelus cognoscere futura, nā eadē species inuariata nō potest repręsētare modo rē præsentē anteà præteritā, & postea futuram, & etiam si detur alia species, vt ait Scotista, quæ representetur contingentia rei, idest quod possit esse, vel nō esse, non tamen potest dari species quæ repræsentet quod res erit, quod est esse futurā, nam cum repræsentatio sit naturalis, etiam quando res actu existit representabit

repręsentabit quod erit, quæ est repræsentatio falsa. vnde patet quod aliundè habenda est cognitio futuri, vt ait Scotus, scilicet vel per visionem beatam, vt in Christo, vel per reuelationem, vt in aliis.

2. Nostra sententia est Scoti in 3. dist. 14. quæst. 3. § *ad quæstionem*, ante literā, b, & versiculo *&si dicatur*. Respōd. quod Scotus loquitur de cognitione intuitiua, imò ait, ex hoc colligitur quod possit dari species abstractiua futuri, nam quod negat de intuitiua, anteà fassus fuit de abstractiua. Sed contra, nā futurum non cognoscitur, nisi cognoscatur singulare, & Scotus negat cognitionem abstractiuam omnium singulariū, imò futurorum non potest esse species infusa, sicut neque præsentium, nā species infusæ, vt ait Scotus, eodem modo repræsentāt siue res sit præsens, siue futura, siue non, cùm enim Scotus loquitur de cognitione abstractiua, non loquitur de futuris, nec præsentibus, sed tantum de possibilibus, quia cū illa dicant suas temporis differentias, impossibile est quod repræsententur per abstractiuam speciem, tantum possibilia & quidditates per illam cognoscuntur: cum ergò species infusæ sint abstractiuæ, non possunt repræsentare has temporis differentias.

Ratione probatur nostra sententia, nā non est in quo possit Christus cognoscere talia futura contingentia per hanc scientiam, nam non cognoscit in causa, scilicet in voluntate nostra, cùm ista sit indifferens, & ita non cognoscitur magis futurum quàm non futurum. 2. neque futura cognoscūtur in aliquo effectu eorum, nam cum futura nondùm existant, nullū possunt habere effectū. 3. neque cognoscuntur quia sint præsētia in æternitate, 1. quia secundum Scotum, vt futura, non sunt æternitati præsētia, 2. quia licet essent æternitati præsentia, non cognoscerentur à Christo, quia cognitio eius nō mensuratur æternitate, sed æuo, & sic non poterit ad illam terminari sicut terminatur diuina cognitio 4. non cognoscuntur in decreto Dei, nam licet possint in illo cognosci per cognitionem intuitiuam & beatam, non tamen per abstractiuam quæ habetur per scientiam infusā, nam ista solū cognoscit quidditatē decreti.

5. neque cognoscuntur per reuelationem Dei, vt aiunt Rada, Faber, Lorca disp. 50. n. 13. quia iam in Christo esset fides, quod est imperfectio, imò impossibilis est in Christo qui habebat cognitionem beatam talium futurorum, cum qua impossibilis est fides. Respondet primò Suarez quod talis cognitio Christi non erit fides, quia habebat euidentiam attestantis. Sed contra, quia cum tali euidētia, optimè stat fides rei reuelatæ, vt dixi. Respondet 2. Suarez, quod quando reuelans & res reuelatæ cognoscuntur diuersis cognitionibus, optimè stat, quod sit cognitio euidens reuelātis, & obscura rei reuelatæ, quādo verò cognoscitur vtrūque eadem cognitione, vt nouit Christus, erit cognitio euidens vtriusque. Sed contra primò, quia ad cognoscēdam rem reuelatā, non est necesse cognoscere vt *quod* reuelantem, sufficit cognosci vt *quo*: propter quod Tractatu de Fide dicitur, non dari vnum primū credibile vel creditum. 2. nō est necesse vt vtrūque cognoscatur eadē cognitione. 3. si quādo diuersis cognitionib⁹ cognoscūtur, potest dari cognitio obscura rei, & clara reuelantis; & ita etiā si sit vna cognitio, potest esse obscura prout terminatur ad rē, & clara vt terminata ad reuelātē.

6. Neque cognoscuntur per proprias species, vt aiunt Caiet. Vasq. Montess. & Hurtado: nā est contra Scotū, nam tales species tantum repræsentant quidditates, non verò differentias tempo-

ris, & solum possunt repræsentare extrema complexionis contingentis, nō vero ipsam complexionem, vel futuritionem contingentem: primò quia cū sit repræsentatio naturalis, repræsentaret futurum quod est præsens, & ita esset falsa, quod non est dicendū. 2. quia nulla esset ratio, quare si darentur species futurorum, Angeli non cognoscerent talia futura cum sint entia naturalia, ac per consequens cognitio illorum esset Angelis debita. quod respondent ad hoc, latè reieci Tractatu de Angelis.

Auctores 1. sententiæ obiiciunt primò Ioan. 17. *hoc dixi vobis priusquam fiat, vt cum factum fuerit credatis.* vbi ostendit Christus se cognouisse futura, & esse Prophetam; sed Prophetæ per scientiā infusā cognoscunt futura, ergo & Christus. Respondeo ex hoc tantum probatur Christū cognouisse futura, ad quod sufficit scientia beata, alij vero Prophetæ cognouerunt per reuelationem, quæ non est concedenda Christo.

Dices, ergo modò Christus in patria est Propheta, nam modo habet scientiā beatam. Respondeo primò negando consequentiam, nam ad prophetiā requiritur, vt dixi cap. 12. diff. 4. quod Propheta communicet in statu viæ cū illis quibus aliqua prædicit, & Christus in patria hoc non habet. 2. Respondeo retorquendo argumentum, Christus modo in patria habet scientiam per se infusam, ergo est Propheta.

2. Obi. in Christo fuit summa prudētia, ergo debebat cognoscere omnia futura contingentia vt perfectè esset prudens. Respondeo cum Lorca, & Fabro, ad hoc sufficere cognoscere futura per scientiam beatam, nam hæc sciētia practica est, vt dixi Tractatu de Visione: & licet esset speculatiua, non obstabit; nam cognitio agibilium requisita ad prudentiam, præsupponitur ad prudentiam, & potest esse speculatiua.

3. Obiic. Christum cognoscere hæc futura per scientiam per se infusam est perfectio, ergo illi concedenda. Respondeo quod est perfectio impossibilis, si talis species est permanens & nō transiens, & ita illam non concedimus.

4. Obi. futurū cōtingens est ens, ergo cognoscibile, ergò datur species illius, ergo per talem speciem cognoscetur à Christo. Respondeo primo, eodem argumento contra omnes, probari Angelos cognoscere talia futura, nam illis debitæ sunt species omnium rerum naturalium, imò secundum Thomistas, illas habent ab initio congenitas. 2. Respondeo esse cognoscibile per visionem beatam, vel per reuelationem, non tamen per speciem permanentem, nā esset falsa quando obiectū existeret.

5. Obiic. nā sequeretur quod in sententia Scoti non daretur scientia per se infusa de obiectis actu existentibus, nā non daretur species quâ cognoscerentur talia obiecta, ac per consequens, nō cognosceret Christus secreta cordium quæ actu existebant, quod est plusquā falsum. Respōdeo quod Scotus litera, B, antecedens concedit, nam ait quod per scientiam infusam tantùm cognoscuntur quidditates, vt abstrahunt ab existentia actuali, quod intelligo de scientia quæ eadem manet, siue obiectū sit præsens, siue absens; nam ibi Scotus docet non dari cognitionem intuitiuā per speciem, sed quod omnis cognitio per speciem est abstractiua, quod esse probabile in sententia Scoti docui Tractatu de Angelis: in qua sententia [illegible] dum est Christum non cognouisse cogitationes cordium existentes & præsentes per species per se infusas, sed tātum per scientiam beatam; at verò in alia sententia in qua potest dari cognitio intuitiua per species, dicendum est quod illas cognitiones cognouit per scientiam per se infusam: In quo casu

necessarium est quod species harũ cogitationũ quas Christus habuit ab instanti conceptionis, habeant modò aliquã variationẽ cum terminẽtur ad obiecta præsentia quæ anteà nõ repræsentabãt, vt præsentia, sed tantũ repræsentabãt quidditates illarũ cogitationum.

DIFFICVLTAS QVINTA.

Vtrum per hanc scientiam cognouerit Christus entia materialia?

PRIMA sententia affirmatiuè respõdet; ita S. Thom 3. parte q. 11. art. 1. Ibi Thomistæ, Suarez d. 27. Vasq. d. 53. c. 2. & quidã ex nostris citans Scotũ in 3. dist. 14. quæst. 3. §. *ad quæst.* sed immeritò, vt vidimus & videbimus.

Secunda sententia & communis inter Scotistas, docet Christum cognoscere hæc obiecta tantùm per scientiam per accidens infusam, ita Scotus citatus §. *contra conclusionem*, vbi docet quod non datur sciẽtia infusa & acquisita de eodẽ obiecto, nam essent in eodẽ intellectu duo accidentia tantum numero distincta. Respondet Scotista quod Scotus arguit ex dictis opinantis, idest Diui Thomæ, dicentis quod actus specificãtur ex obiectis, & negantis duo accidẽtia numero distincta posse esse in eodẽ subiecto, quod in sententia illius euidẽter colligitur, si circa idem obiectũ esset scientia infusa & acquisita; nam tũc solum numero esset distincta. Sed contra quia licet hoc verum sit, etiam Scotus arguit contra conclusionẽ in se sic, *Et si duæ cognitiones eiusdem speciei possint simul esse in eodẽ intellectu, non tamen duæ perfectæ eiusdem obiecti, & secundũ eandem rationem, quia vtraque illarum cognoscit obiectũ perfectè quantum est cognoscibile, & tunc altera superfluit, aut non; & tunc neutra est perfecta.* tenet Pitig. art. 1. Faber disp. 36. ca. 3. Durandus quæst. 4. & probabile reputat Lorca disp. 49. & 50.

Probatur à Scoto, eiusdẽ obiecti materialis nõ potest dari duplex species diuersa, ergo neque duplex sciẽtia in proprio genere specie diuersa. Antecedẽs probatur, primò in sentẽtia D. Thomæ vbi species & scientia penes obiecta distinguntur, si ergò obiectum est idem, ergo & scientia, & species illius obiecti. 2. in omni sententia, quia si specie distingũtur tales species, maximè quia vna est infusa à Deo, & altera acquisita; sed hoc non est sufficiens, inquit Scotus, aliàs homo genitus & homo creatus specie distinguertẽur, quod est falsum: ergo sicut homines isti, tantum numero & accidentaliter distinguntur, ita istæ species, & infusa, tantum erit per accidens infusa & supernaturalis quoad modum, sicut est restitutio visus.

Probatur 2. Nam circa obiectum materiale potest Christus acquirere species, ergo quæ à Deo illi datur est per accidens infusa, nam quæ acquiritur, & quæ à Deo datur, in essentia & substantia non distinguntur. Respondet Scotista quod licet alia species talis obiecti possit acquiri à Christo, non tamen quæ à Deo illi infunditur, nã hæc petit à Deo, vt agente supernaturali, produci, & ita specie distinguitur ab acquisita, quia secundum Scotum in 4. dist. 49 q. 12. & quodlibet 13. art. 2. Scientiæ circa idem obiectum per ordinem ad efficiens distinguntur, quæ efficientia in nostro casu sunt specie diuersa. Sed contra, idem dicã de homine creato qui specie distinguetur à genito, nã licet alius homo sicut ille possit generari, non tamen homo creatus, nã petit Deum supernaturaliter producentẽ, quod totum est falsum. deindè Scotus loquitur quando substãtia scientiæ petit agẽs supernaturale, non tamen quãdo modus, vt in præsenti casu, in quo solũ modus est supernaturalis, neq; est vnde colligatur substantiã talis speciei esse specie diuersam, etiã si talis species infusa habeat aliquam maiorem perfe-

ctionem indiuidualē, quàm acquisita.

Sed confirmatio valdè torquet aduersarios Thomistas, & variè explicant quomodo species per se infusa distinguatur specie, ab specie acquisita eiusdē obiecti. Vasq. ait quod per speciē infusam obiecti materialis habetur scientia quidditatiua rei in se, at verò per speciē acquisitam tantum habetur sciētia per extrinseca, & per effectus, & ita specie distingūtur Sed contra primo ex Lorca, quia licet homines pro hoc statu, propter dependētiam ab organis, paucarum rerum quidditates cognoscant; tamen aliquas cognoscunt, scilicet essentias rerum per se sensibilium, & hoc per proprias & particulares species earum, & similiter cognoscunt essentias rerum, per accidens sensibilium secundū rationes cōmunes, in quibus cū sensibilibus per se vniuocè conueniunt, vt dixi 3. de anima, & ita cognoscere, cōnaturale est hominibus. 2 quia in Adā & Salomone fuit scientia horū obiectorū per accidens infusa, & eiusdē speciei cū acquisita, ergò similiter nostræ sciētiæ erunt eiusdem speciei. 3. quia Angeli & anima separata possunt quidditatiuè horum obiectorum quidditates naturaliter cognoscere, ergò species infusa & species acquisita in illis nō distinguerētur specie, quod intendimus.

Secundò, Alij respondent, quod istæ species distingūtur specie, quia species infusæ sūt vniuersales, & repræsentant naturas; at verò acquisitæ tantū vnā naturam repræsentant. Sed cōtra quia, vt dixi Tractatu de Angelis cum Scoto in 2. d. 3. quæst. 10. species vniuersales impossibiles sunt, nam qualibet natura petit suam speciem.

Tertiò Alij respondent quod Angeli & animæ separatæ nò vtūtur speciebus infusis cū conuersione ad phantasmata, nos verò speciebus acquisitis vtimur cū conuersione ad phantasmata, & ita specie distinguntur Sed contra, quia tales species hoc non petūt, sed est per accidēs, quia Angeli & animæ separatæ nō habent phantasmata: vnde S. Thomas 1. parte q. 89. art. 5. & 6. ait animā separatam habere easdem species numero, & eosdem habitus scientiarum quos habuit coniūcta, & tamen separata non vtitur illis cum conuersione ad phantasmata: vnde frustrà laborant qui volunt specie has scientias distinguere.

Sed prima sentūtia obiicit primò, circa idem obiectū est actus intellectus, & actus sensus qui specie distinguntur, ergo circa idem obiectum materiale est scientia per se acquisita, & scientia per se infusa distincta. Respondeo concedendo antecedens, negando consequētiam, disparitas est, nam principia, scilicet intellectus & sensus, specie distingūtur, & ita etiā actus specie distingūtur: at verò scientiæ acquisita & infusa circa idē obiectū non distinguntur specie, ac per consequens neq; actus illarū.

2. Obiicit Suares, nā sequeretur sciētiam Christi in proprio genere, imperfectiorem esse scientia Angelorū circa idem obiectum, sicut scientia acquisita Christi est imperfectior scientia acquisita Angelorum, quia intellectus Christi imperfectior est intellectu Angelico, & species per accidens infusæ dantur in illa perfectione in qua possunt acquiri, vnde intellectus perfectior perfectiores acquirit species: vnde Suares ait Scotū inconstantē esse & reprætensione dignū, siquidē non admittit circa entia materialia in Christo scientiā per se infusam, & ex alia parte in 3. dist. 14. q 4. quærit an Christus in proprio genere perfectius cognouerit entia materialia, quam Angeli, nam certū est, ait, quod scientia per se acquisita, & per accidens infusa imperfectior est in Christo quam in Angelis. Respondeo negando sequelam, nam licet intelle-

ctus Christi imperfectior sit Angelico, tamen species Christo datæ, licet sint per accidens infusæ & eiusdē speciei cum speciebus Angelis concessis, sunt perfectiores, & tantò, quantò intellectus Angeli perfectior est intellectu Christi: & ita Scotus non fuit inconstans, vt Suarez, illum non intelligens, inconsideranter illi imposuit. Sed optimè quęrit quæ sciētia sit perfectior an Christi, vel Angeli. Nam intra latitudinem perfectionis specierum acquisitarū, perfectiores datæ sunt Christo, scilicet summè perfectæ, & ita scientia illius perfectior est de quo statim. Addo quod habitus Christo datus est perfectior, quā Angelis concessus.

Tertiò obiicit Scotista, circa idem obiectum dantur scientiæ specie diuersæ, vt est scientia matutina & vespertina, ergo etiam dantur circa idem obiectum materiale, scientia per se acquisita, & per se infusa. Respondet Scotus negando consequentiam, nam hic Scotista arguit pro se, quod Scotus contra se; nam istæ scientiæ solùm penes causas efficientes distinguntur, sicut homo genitus & homo creatus; & secundùm Augustinum & Ambrosium, disparitas ortus non facit distinctionem naturæ, vt patet de Adam & nobis: vespertina cognitio respicit obiectum, vt in se præsens, matutina vt præsens in Verbo, & ita sunt cognitiones specie diuersæ.

DIFFICVLTAS SEXTA.

De numero obiectorum, quæ Christus cognouit per hanc scientiam.

PRO intelligentia nota, cum Scoto in 3.dist,14.quæst.3. §. *ad quæst.* quod duplex est cognitio, vna abstractiua quæ per se non respicit existentiam obiecti, sed tantùm quidditatem illius, altera intuitiua quæ per se respicit existentiam, & præsentiam obiecti quæ adhuc duplex est, vna perfecta quæ terminatur ad obiectum præsentialiter existens in suo esse reali, altera imperfecta, qualis est in memoria, cognitio obiecti præteriti, & qualis est opinio futuri.

Loquendo de cognitione abstractiua, prima sententia dicit Christum per hanc scientiam non cognouisse omnes possibiles quidditates, ita Suarez disput. 27. sect. 4. Lorca disp. 50. Montes. &c.

Secunda sententia docet Christum cognouisse omnia possibilia. Dico primò, Christus cognouit per hanc scientiam omnes quidditates possibiles; Ita Scotus citatus littera, A; Rada 3. parte controu. 9. art.4. conclusione 2. Faber disput. 36. num.21. Pytig. art. 5. Probatur, nam species & quidditates sunt numero finitæ ac per consequens deueniendum est ad vltimam, vt probat Scotus, 2. Meta. quæst. 4. & 5. & aliàs est perfectio Christi omnes illas cognoscere, *in quo sunt omnes thesauri scientiæ Dei*; ergo, &c. Deinde hoc est possibile, vt fatetur ipse Suarez, quia cum hæc cognitio, sit abstractiua non est Dei compræhensiua, nam lateret Deus vt in se est, ergo non est cur Christo non concedatur talis cognitio.

Obiicit Mōtess. quod obiectum omnipotentæ Dei compræhenderetur, quod est inconueniens. Respondeo nullum est inconueniens cum hoc obiectum sit finitum, sicut neque est inconueniens Christum cognoscere omnia possibilia per scientiam beatam, vt dixi cap. 15. diff. 3.

Dico secundò, Christus non cognouit distinctè omnia indiuidua possibilia, ita probabilius sentit Scotus ante litteram, V; Rada citatus, Faber disp. 37. num. 10. Pytig. art. 6. nam ait Scotus, quod aliqua singularia possibilia cognouit per proprias species, scilicet

quæ Deo placuerunt, & conueniebant ad Christi dignitatem, reliqua verò singularia, si erant actu præsentia, cognouit abstrahendo species, & tales species conseruabat absentibus singularibus, vt dixi Tractatu de Angelis cum Scoto in 2. dist. 3. quæst. vlt. Probatur, quia infinitæ cognitiones infinitorum obiectorum, & infinitæ species in intellectu arguunt in illo infinitum lumen, & infinitam perfectionem, quod est impossibile in intellectu creato Christi, vt Scotus docuit in 3. dist. 14. quæst. 2. §. *potest dici*, littera. M, dicens esse contra sanctos & philosophos, ponere infinitas entitates in intellectu finito.

Obiicitur primò non sequi intellectum, vel lumen esse infinitum, nam ista proportionantur, cum cognitione, quæ est finita, non verò debent proportionari cum obiecto, nam Deus infinitus videtur intellectu & lumine finito. Respondeo verum esse quando cognitio est tantum vnica & finita, & terminatur ad obiecta finita; quando verò sunt infinitæ cognitiones requiritur in agente virtus infinita; propter quod secundum Scotum adhuc in Verbo non possunt cognosci omnia possibilia infinitis cognitionibus, alia quæ Suarez obiicit, ex dictis soluta sunt.

Secundum dubium esse potest, quæ cognouerit Christus per cognitionem intuitiuam: Prima sententia docet Christum per hanc scientiam cognouisse omnia singularia existentia pro quauis temporis differentia; ita sanctus Thomas 3. parte quæst. 11. art. 1. ibi Thomistæ, Suarez, disp. 27. sect. 2. Vasquez disp. 35. Montesl. &c.

Nobis dicendum est cum Scoto citato, Lorca, Fabro, Pytig. Christum non cognouisse hac scientia, siue perfecta, siue imperfecta omnia singularia, pro quauis temporis differentia. De scientia intuitiua perfecta probatur, nam hæc terminatur ad obiectum præsentialiter existens, sed omnia singularia non fuerunt Christo præsentia secundum suum esse reale, ergo omnia illa non cognouit per scientiam intuitiuam perfectam, & ita, vt ait Scotus, Christus secundum hanc scientiam profecit, iuxta illud Lucæ 11. *Iesus proficiebat sapientia & ætate*, & ad Heb. 5. *didicit ex his quæ passus est obedientiam*, nam decursu temporis diuersa obiecta fuerunt Christo præsentia, tàm ex his quæ per scientiam acquisitam cognoscuntur, quàm ex his quę per scientiam per se infusam agnouit. De intuitiua perfecta probatur, nam hæc est memoria præteriti, & cogniti scientia intuitiua perfecta, sed, vt probaui, omnia singularia non fuerunt perfecta scientia intuitiua à Christo cognita, ergo neque de omnibus habuit memoriam. De futuris probaui difficultate 4.

Prima sententia obiicit, nam si Christus profecit in hac scientia, ergo habuit ignorantiam aliquorum obiectorum, quæ non est Christo tribuenda. Respondeo negando sequelam, nam ignorantia est de his quæ quis potest & tenetur scire, & non scit per aliquam scientiam; Christus omnia sciebat per scientiam beatam, deinde per scientiam infusam non poterat omnia ista singularia agnoscere, alia quæ obieci ex dictis sunt soluta.

DIFFICVLTAS SEPTIMA.

Vtrum in hac scientia detur habitus distinctus à speciebus?

HVc vsque de obiectis huius scientiæ egimus: nunc de habitu illius disputandum est, in quo est

prima sententia dicens, præter species infusas dari in intellectu duplicem habitum, vnum vt illuminet potentiam, alterum vt illuminet obiectum, vt fiat actu intelligibile, sicut intellectus agens facit obiecta sensibilia actu intelligibilia. Quæ sententia communiter reiicitur, nam ad hoc sufficit, vel species intelligibilis, vel sufficit habitus; nam ex eo quòd intellectus agens producit speciem intelligibilem obiecti materialis in intellectu possibili, facit obiectum intelligibile; vel sufficit habitus, nam quia essentia diuina respectu intellectus creati secundùm proprias vires eius, non est intelligibilis, proportionatè ponitur habitus luminis gloriæ, qui confortet intellectum, & faciat illam actu intelligibilem & proportionatam, & in hoc sensu illam illuminet; ergo non est necessarius alius distinctus habitus ad obiecta illuminanda.

Secunda sententia, negat omnem habitum infusum setenentem ex parte intellectus, sed ait sufficere species obiecti, siue illud sit naturale, siue supernaturale, ita Vasq. disp. 53. cap. 2. Hurtado disp. 8. diff. 21. tenet Valentia loquendo de obiectis naturalibus; probabilem docent, Medina qu. 11. art. 6. Et nostri Tartaretus in 3. dist. 14. quæst. 1. propositione 7. & Smising de Deo vno, disp. 6. q. 4. num. 69. tenent quidam ex nostris, qui citant Scotum, sed immeritò, vt videbimus.

Tertia sententia, quæ communis est, præter species ponit habitum setenentem ex parte potentiæ. Ita Caietanus, & Aluarez quæst. 11. art. 6. Suarez disp. 29. sect. 2. Lorca disp. 51. Ragusa disp. 100. Becanus cap. 9 quæst. 4. Montess. Herice, Granados, Arubal, &c. est Scoti loquendo de lumine gloriæ in 1. dist. 17, quæst 2. § *ad primum de secunda via*, littera Q Q. & dist. 3. mihi quæst. 7. §. *ad quæstionem*, littera, M, & in quarto, dist. 49. quæst. 11. littera, G.

Dico primo secundum hanc sententiam, licet detur in Christo præter species, habitus scientiæ infusæ ad cognoscenda obiecta naturalia, tamen absolutè non fuit necessarius talis habitus de facto. Probatur prima pars, nam sine tali habitu tales actus non essent ita perfecti, ergo vt ponatur actus perfecti, ponendus est habitus de facto.

Obiicit Vasquez, in Angelis non ponitur talis habitus distinctus ab speciebus, ergo neque est ponendus in Christo. Respondeo primò negando antecedens. Secundò respondeo quod Angelus de se est proportionatus cum omnibus obiectis naturalibus, de quibus acquirit species, Christus verò saltem quoad spiritualia non habet proportionem adæquatam, & ita vt proportionetur, ponitur habitus, sicut in nobis ponitur habitus circa prima principia per se nota, secundum sententiam Theologorum, & Aristotelis 6. Ethicorum.

Quod talis habitus non sit necessarius, probatur, nam obiecta sunt naturalia, ergo sufficit intellectus cum speciebus. Dices actus circa talia obiecta est supernaturalis quoad modum, ergo est necessarius habitus. Respondeo negando antecedens, nam licet productio specierum sit supernaturalis, non tamen actus, nam speciebus productis, potest intellectus Christi ex viribus naturæ producere actum naturalem circa tale obiectum, sicut etiam datur visio naturalis Dei in sententia Scoti, vt dixi Tractatu de Visione.

Dico secundò, ad actus supernaturales circa obiecta supernaturalia huius scientiæ, ponendus est habitus distinctus ab speciebus, vel auxilium supplens vicem habitus. Probatur,

nam actus iste in Christo debet esse perfectissimus, ergo supernaturalis quo ad substantiam, etiamsi possit esse supernaturalis quo ad modum, vt probabiliter defendi Tractatu de Gratia, loquendo de actibus fidei, spei, &c. sed omnis actus supernaturalis quoad substantiam, petit habitum vel auxilium ex parte potentiæ (verbi gratia) actus fidei, etiam si detur species, ergo & iste actus. Probatur minor, nam quælibet cognitio naturalis, præter concursum speciei, requirit actiuitatem completam potentiæ, sed intellectus Christi, sine habitu vel auxilio non habet completam, & proportionatam potentiam, ergo ponendus est habitus. Patet, nam potentia est naturalis, actus qui est effectus est supernaturalis, & effectus nequit esse perfectior sua causa.

Respondet Vasquez speciem gerere duo munera, & repræsentare obiectum, & eleuare potentiam, & ita superfluit habitus. Sed contra primò, quia species naturâ suâ supponit potentiā sufficiētem in ratione potentiæ, & eius officium est supplerere actiuitatem obiecti, vt docet Scotus in 2. dist. 3. quæst. 8. vt ita solum in esse intentionali & repræsentatiuo potest potentiam eleuare, cum hoc sit esse illius; sed intellectus debet eleuari in esse rei, & ita proportionari, cum efficienter physicè & non tantùm intentionaliter concurrat ad actum supernaturalem, ergo hoc nequit fieri à specie, sed ab habitu.

Secundò, in actu intellectus ordinis supernaturalis, species impressa non est tota ratio intelligendi, sed intellectus sua partiali virtute concurrit ad intellectionem, ergo in ordine supernaturali, species non est tota ratio, vt intellectio sit super naturalis, sed requiritur supernaturalitas ex parte potentiæ.

Tertiò, ad actum supernaturalem voluntatis, non sufficit quod obiectum sit supernaturaliter cognitum, sed requiritur habitus; ergo ad actum huius scientiæ etiam necessarius est habitus. Neque obstat, quod in actu voluntatis obiectum non concurrit efficienter, sicut concurrit ad actum intellectus; nam talis concursus efficiens non se tenet ex parte potentiæ, sed obiecti, & ita potentia improportionata manet, siue obiectum efficienter, siue finaliter concurrat.

Secundò contra Scotistam probo: In sententia Scoti dantur actus fidei & visionis naturales & supernaturales, & in vtroque actu, tàm naturali, quàm supernaturali dantur species impressæ; ergo in hoc solum distinguitur actus supernatutalis à naturali, quod in naturali solum dantur species obiecti, in supernaturali datur etiam ex parte potentiæ habitus vel auxilium, ergo in sententia Scoti non sufficit species.

Tertiò contra Vasq. obiicio, quia secundum ipsum prima parte disp. 42. num. 21. ideo non datur lumen gloriæ distinctum à specie impressa Dei, & datur habitus fidei distinctus à speciebus, quia in fide, præter appræhensionem obiecti ad quam dantur species, est assensus, & iudicium ad quod datur habitus vel auxilium, quia assensus non datur in visione; sed in scientia Christi infusa prçter appræhensionem obiecti, datur etiam assensus & iudicium, ergo etiam datur habitus, vel auxilium distinctum ab speciebus.

Quartò contra vtrumque, nam in donis Spiritus Sancti, quæ pertinent ad intellectum, & in prudentia infusa non tantùm dantur species infusæ, sed habitus distincti à speciebus, ergò etiam in hac

in hac scientia per se infusa.

Obiicit prima sententia, intellectus per species constituitur in actu primo ad agendum, ergo non est necessarius habitus. Respondeo quod ad actum supernaturalem non est adæquatè in actu primo, nisi potentia sit proportionata per habitum, sicut etiam si aër recipiat species intentionales, non tamen est in actu, primo ad videndum ex defectu virtutis.

Secundò obiic. intellectus concurrit ad omnes intellectiones, tanquam causa vniuersalis & determinabilis, sed per species huius scientiæ determinatur, ergo prẹter illas & intellectum non requiritur habitus. Respondeo, determinatur ad cognitionem huius obiecti, concedo, ad cognitionem supernaturalem, nego, nam ad hoc requiritur principium ex parte potentiæ.

Tertiò, non est ponendum aliquid ex parte causæ ad agendum, nisi in ipsa actione aut effectu aliquid illi correspondeat, sed omne quod est in actu huius scientiæ sufficienter correspondet intellectui & speciei, ergo non est necessarius habitus. Probatur minor, nam vitalitas actus correspondet intellectui, supernaturalitas talis correspondet tali speciei, & nihil aliud est in actu, ergo superfluit habitus. Respondeo, quod in re totus effectus correspondet toti causæ, & cuilibet parti illius, nam supernaturalitas actus est vitalis, & vitalitas est supernaturalis; tamen per accommodationem dicimus, quod vitalitas respondet intellectui, supernaturalitas verò in tali specie & specificans actum, tribuitur speciei: at verò supernaturalitas effectiua, & ex parte potentiæ eleuans illam, non tribuitur speciei, sed habitui, qui ad hunc effectum est necessarius, de quo latiùs Tractatu de Visione. Sed replicat Scotista, quia si in actu distinguimus duas supernaturalitates, vnam ex parte potentiæ, alteram ex parte obiecti, ergo etiam distinguemus duas vitalitates, duas repræsentationes, & duas facilitates, vnam ex parte potentiæ, alteram ex parte obiecti. Respondeo negando sequelam, nam non sunt duo principia vitalia, vel repræsentatiua, &c. sicut sunt duo principia supernaturalia, vnum obiectiuum, alterum ex parte potentiæ effectiuum, quæ principia omnes fatentur, vitalitatem verò, vel repræsentationem duplicem, nullus.

Obiicit Scotista, Scotum in 3. dist. 14. quæst. 2. §. *ad primum argumentum*, versiculo *ad tertium dico*. Respondeo quod Scotus solum vult non requiri lumen, vt obiectum illuminetur, quando obiectum de se est lumen, vt Deus, non tamen negat lumen, vt confortet potentiam.

Secundò obiic. in 4. dist. 49. quæst. 11. §. *Respondeo ergo*, versiculo *ex hoc sequitur corollarium*. Respondeo Scotum negare lumen ad recipiendum obiectum vel visionem. Secundò etiam dicit ibi Scotus, non esse de fide dari lumen ad producendam visionem, sicut est de fide dari charitatem, nam quæstio in reportatis. §. *ad aliud*; *Concedo quod habitus*, &c. *si autem ponatur, quod intellectus actiuè se habeat respectu actus beatitudinis, tunc si ponitur habitus concurrere, non concurret vt tota causa actus, sed vt causa partialis compotentia.*

Tertiò obiic. quia potentia in ratione potentiæ non est supernaturaliter eleuata per habitum, nam concursus particularis potentiæ emanat à natiua virtute & naturali potentia, etiam si requirat concursum alterius concausæ, scilicet speciei vel habitus, quia secundum Scotum in 2. dist. 3. quæst. 8. littera, D, *versiculo ad secundum* & *versiculo ad tertium*, si habitus vel

species non informaret potentiam, sed tantùm extrinsecè assisteret, tamen ita supernaturalis euaderet actus ac si informarent, nam quia sunt accidentia informant, ab illis enim potentia nullam recipit virtutem ad operandum; ergo habitus non requiritur propter supernaturalitatem potentiæ.

Respondet primò, ibi Scotus nec verbum habet de habitu, nec de supernaturalitate, tantùm loquitur de specie cui accidentarium est informare potentiam, vt latiùs dixi Tractatu de Visione. 2. Licet verum sit, habitum non augere virtutem naturalem potentiæ vt potentia est, tamen illam eleuat & proportionat, & constituit principium in actu primo supernaturale ad operationem supernaturalem: an ad hoc superflua sit informatio vel non, nunquam vidi in Scoto, imò existimo informationem esse necessariam in habitu non in specie, nam habitus confortat potentiam: imò hic Scotista ait, quod obiectum supernaturale mittit lumen, hoc est speciem impressam supernaturalem, quæ confortat potentiam; quod si non informat, vt non est necesse secundum Scotum, confortare non potest, nam quod in me non est, non potest me confortare.

Quartò obiic. si ex eo quod potentia est naturalis, ponitur habitus supernaturalis vt eleuetur, ergo similiter in actu supernaturali fidei, qui habetur per species naturales, debet poni ex parte specierum habitus supernaturalis, vt actus fidei euadat supernaturalis, tàm ex parte obiecti, quàm ex parte potentiæ; sed hoc est falsum, ergo etiam falsum est, quod ponatur habitus ex parte potentiæ vt actus sit supernaturalis. Respondeo disparitatem esse, nam ad supernaturalitatem actus, quod simpliciter est necessarium, est supernaturalitas ex parte potentiæ, non verò ex parte obiecti, quod patet, nam in sententia Scoti datur visio, Charitas, &c. Naturalis circa obiectũ supernaturale, & ex eo tantùm est naturalis, quia potentia non habet habitum, vel auxilium supernaturale. Rursus in sententia communi, circa obiecta naturalia dantur in Christo actus scientiæ infusæ supernaturalis, ex eo tantùm quod habitus scientiæ infusæ est supernaturalis.

Dubium est, an hic habitus distinctus à speciebus, sit vnus respectu omnium obiectorum, vel plures habitus? prima sententia dicit tot esse habitus, quot species. Sed reiicitur primò, nam licet verum sit, quod in scientiis acquisitis tot sunt habitus, quot sunt actus specie distincti, vt dixi in prooemialib⁹ Logicæ, non tamen in scientia infusa; & dispar ratio est, quia habitus acquisiti causantur ab actibus, & nequeunt habitus specie diuersi continuari, vt ibi dixi: at verò habitus infusi à solo Deo creantur, & ita sufficiens est vnus habitus, vt respiciat plura obiecta: 2. quia habitus vniuersalior est quam species, nam hæc determinat potentiam & habitum, ad actum huius vel illius obiecti.

Secunda sententia dicit esse vnum habitum indistinctum ab habitu luminis, quam probabilem iudicat Suarez disput. 29. sect. 3. licet absolutè ad illam non se determinet. Sed reiicitur primò ex Augustino, qui scientiam matutinam distinguit à vespertina, sed habitus matutinæ est lumen gloriæ, ergò vespertina est alius habitus distinctus. Secundò, quia actus luminis gloriæ est cognitio intuitiua, cognitio scientiæ infusæ est abstractiua; sed isti actus adæquatè distinguuntur, ergo & habitus. Tertiò scientia infusa reperitur in viatoribus, lumen gloriæ tantùm in Beatis, ergò isti habitus distinguuntur:

nam licet Deus posset suspendere concursum, vt talis viator non videret Deum, tamen esset viator, in actu primò ad videndum Deum, & etiam si relinqueretur naturæ suæ, sequeretur visio beata, quod est contra statum viatoris.

Obiicit Suarez, idem habitus charitatis est ad diligendum Deum & proximum; ergo etiam idem habitus luminis gloriæ erit ad cognitionem beatam & infusam. Respondeo negando consequentiam; nam tàm Deus quàm proximus compræhenduntur sub vna ratione obiecti charitatis, at verò cognitio beata & infusa non versatur circa idem obiectum formale.

Tertia sententia ait tàm circa obiecta naturalia quàm supernaturalia huius scientiæ esse tantum vnicum habitum. Ita Suarez disp. 29. sect. 3. Montess. citantes Diuum Thomam, Ricardum, & Marsilium. Antequam meam sententiam proponam, noto vt certum, quod scientia per accidens infusa est distinctus habitus à scientia per se infusa, & ita tantùm in præsenti est sermo de scientia per se infusa. Noto secundò, quod scientia per accidens infusa non est vnus habitus sed plures, nam sicut diuersus est habitus acquisitus Mathematicæ ab habitu Metaphysicæ, & ab habitu Philosophiæ; ita similiter habitus per accidens infusus.

Nobis dicendum est in hac scientia, ad minus distinguendos esse duos habitus, vnum circa obiecta supernaturalia, alterum circa obiecta naturalia. Sic Diuus Bonauentura in 3 dist. 14. art. 3. quæst. 2. Caiet. prima secundæ, quæst 54. art. 4. Lorca reputat magis probabilem sententiam disp. 51. num. 7. Probatur, actus quo Christus cognoscebat obiecta supernaturalia erat in substantia supernaturalis, at verò actus quo cognoscebat obiecta naturalia erat naturalis in sua substantia, ergo habitus infusi erant distincti, siquidem vnus est naturalis, alter supernaturalis. Probatur, nam circa obiectū naturale frustrà ponerentur actus & habitus supernaturales.

Dices, hæc scientia est per se infusa, ergo supernaturalis in sua substantia, sicut virtutes per se infusæ, sunt in sua substantia supernaturales. Respondeo, quod hæc scientia circa obiecta naturalia dicitur per se infusa, quia non poterat à Christo acquiri saltem ante resurrectionem, poterat tamen post resurrectionem, & etiam poterat ab Angelis, & anima separata acquiri, in quo casu denominaretur per accidens infusa, & ita in substantia est naturalis, de quo diffic. 3. virtutes verò per se infusæ, nullo modo possunt à creaturis acquiri.

Obiicit Suarez, lumen superius potest attingere obiectum luminis inferioris, nam intellectus attingit sensibilia, ergo lumen supernaturale, quod est superius, potest attingere obiecta naturalia quæ sunt obiecta luminis inferioris. Respondeo concedendo totum, si attingat attingentia superiori, scilicet si intellectus intellectione attingat obiecta sensus, non verò si attingat attingentia inferiori, scilicet intellectus sensatione. ita similiter habitus supernaturalis, actu supernaturali potest attingere obiecta naturalia, non verò actu naturali. Ex quo confirmo nostram sententiam, licet intellectus possit attingere intellectione obiecta sensus, tamen ponitur sensus, vt sensatione attingat suum obiectum; ergo licet habitus scientiæ infusæ supernaturalis in substantia, possit actu in substantia supernaturali attingere obiecta naturalia, tamen ponendus est habitus per se infusus in substantia naturalis, vt actu naturali attingat suum obiectum.

Secundò obiic. eodem habitu fidei, attingimus obiecta fidei naturalia & supernaturalia, ergo eodem habitu scientiæ attingimus obiecta naturalia & supernaturalia, frustra ergo ponitur alius habitus. Respondeo disparitatem esse, nam assensus fidei sicut oportet, & proportionatus obiecto motiuo, adhuc circa obiecta naturalia necessario est supernaturalis, quippè est dispositio ad iustificationem, & ita semper petit habitum supernaturalem vel auxilium; at verò cognitio Christi proportionata circa obiecta naturalia est naturalis, & ita petit habitum in substantia naturalem, licet possit tale obiectum attingi ab habitu supernaturali.

Tertiò Montess. obiicit, circa vtrumque obiectum est vna ratio formalis assentiendi, scilicet sine discursu, & sine conuersione ad phantasmata, & vt vtrumque obiectum cadit sub lumine per se infuso, ergo est vnus habitus. Respondeo ex hoc tantùm probatur esse vnam scientiam, non tamen esse vnicum habitum; nam vt dixi in prooëmialibus Logicæ, plures habitus diuersi componunt vnam logicam in specie penes ordinem ad vnum obiectum adæquatum: sic in nostro casu est vna scientia per se infusa, licet sint plures habitus.

DIFFICVLTAS OCTAVA.

De pertinentibus ad actum scientiæ per se infusæ.

SVB hoc titulo diuersa dubia sunt enodanda.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrum Christus semper fuerit in actu secundo respectu obiectorum huius scientiæ?

NON est difficultas de actu intuitiuo, nam isto actu solum cognouit, quæ fuerunt Christo præsentia in suo tempore, quæ non fuerunt simul, sed successiuè. Difficultas est de cognitione & scientia abstractiua; & primò reiicio Gabrielem in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 3. dicentem, quod ea quæ Christus scientiâ infusâ cognoscebat, tunc eadem scientiâ beatâ non cognoscebat, sed cessabat à cognitione eorum pro tunc; Nam contra est, quia actus istius scientiæ non opponuntur cum actibus scientiæ beatæ, ergo non se impediunt, sicut neque actus scientiæ acquisitæ impedit scientiam beatam circa idem obiectum.

Prima sententia dicit, omnia quæ Christus cognouit per hanc scientiam, actu simul cognouisse in instanti suæ conceptionis. Ita Mars. Vasq. disp. 53. cap. 2. Hurtado disp. 8. diffic. 16. Montess. diuerso tamen fundamento, nam Marsilius ait Christum vnico actu cognouisse omnia ista obiecta; Alij Auctores dicunt, quod diuersis actibus omnia simul cognouit.

Secunda & vera sententia docet Christum actu simul non cognouisse omnia obiecta huius scientiæ. Ita Scotus in 3. dist. 14. quæst. 3. §. *ad quæst.* ante litteram. B. Faber disp. 37. num. 11. Suarez disp. 28. sect. prima disp. 51. membro 2. Ragusa disp. 98. Et probatur ratione Scoti, nam virtus naturalis intellectus Christi est finita & limitata, ergo non potest distinctè, modo naturali & simul cognoscere omnia obiecta huius scientiæ, siue hoc sit vnico, siue pluribus actibus;

Et quamuis fortè possit fieri miraculosè, non est concedendum sine necessitate, neque existimo verum quod dicunt quidam ex nostris, scilicet non posse Christum plura, vt plura, intelligere pluribus actibus simul, nam absolutè potest, licet non distinctè & perfectè, vt dixi Tractatu de Angelis, & docet Scotus etiam in 1. dist. 3. quæst. 6. Neque hoc concedendum est Christo, ne illi concedamus actus imperfectos; Nam *pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

Prima sententia obiicit, nam ex nostra sententia, sequeretur Christum habuisse ignorantiam aliquorum obiectorum, licet enim ignorantia nō opponatur scientiæ actuali, nam huic tantum inconsideratio & inaduertentia opponitur, opponitur tamen habituali, non quomodocumque, sed vt dicit relationem ad scientiam actualem præteritam: sed in Christo non fuit hæc scientia habitualis, orta ex actuali præterita, cum plurima obiecta nunquam cognouerit actualiter, ergò fuit ignorantia illorum. Respondeo primò negando sequelam, nam per scientiam beatam Christus cognouit omnia hæc obiecta. 2. Respondeo quod etiam illa cognouit habitualiter scientia per se infusa, neque hæc scientia dicit ordinem ad scientiam actualem præteritam, nam hoc tantum est proprium scientiæ habitualis acquisitæ.

2. Obiicit Montessinos, quia non est maior ratio quare Christus in primo instanti cognouerit ista aut illa obiecta; ergò aut nihil aut omnia cognouit. Et si dicas quod nouit quæ voluit noscere, obiicit Montessinos quia antè primam cognitionem, vt est ista, non est voluntas, ergo antè voluntatem nouit. Respondeo primò cum Suarez, quod ex visione beata poterat voluntas Christi moueri, vt intellectui eius imperaret, vt cognoscat potius hoc obiectum quàm illud. 2. ex eodem Montess. Respondeo quod Christus semper se cognoscebat, & ex cognitione sui mouebatur ad cognoscenda alia distincta à se, quæ saltem in aliquo prædicato transcendentali conueniebant, quod sufficit vt dicitur Tractatu de Actibus, vt moueatur voluntas ad imperandum intellectui vt aliquid consideret in particulari.

Petes num cessauerit Christus ab aliquo actu huius scientiæ? Respondeo negando. Ita Recentiores, primò quia ad excellentiam Christi pertinebat, vt scientia infusa aliquod obiectum cognosceret: secundò quia cùm hæc scientia non dependeat à phantasmatibus, vt statim dicam, etiam in somno potuit vti illa.

Petes 2. an respectu alicuius obiecti, fuerit Christus necessitatus, vt esset in actu secundo huius scientiæ, an pro sua libertate potuerit omninò cessare à cognitione talis obiecti? Montessinos respondet quod non potuit cessare à cognitione Dei & sui, nam neque Angelus potest à cognitione horum cessare, cum Christus sibi, & Angelus sibi sit obiectum præsens & proportionatum. Sed hoc non placet, vt dixi Tractatu de Angelis, nam licet non sit congruum vt Christus cesset ab aliqua cognitione huius scientiæ, tamen absolutè potuit, Nam nullum est obiectum quod necessitet ad continuãdam cognitionem. Rursus sicut Christus sibimet est præsens, etiam plura alia sunt Christo præsentia, & potest ab illis cessare, ergo & à cognitione sui.

DVBIVM SECVNDVM.

An possit Christus & quilibet alius vti hac scientia cum discursu?

DISCVRRERE est ex cognitione vnius deducere cognitionem alterius, vnde ad discursum duæ requiruntur cognitiones, vna terminata ad antecedens, altera ad consequens; neque ad hoc requiritur tempus, sed in eodem instanti fieri potest, vt dixi Tractatu de Angelis cum Scoto in prologo quæst. 4. laterali litera, A, quod probauerat Scotus 1. Posteriorum capite 1. Noto etiam quod quando primo vtimur discursu, semper procedimus à notis ad ignota, & præcipuè in discursu practico, qui dicitur consultatio, in quo prius inquirimus per modum dubitationis absque enuntiatione, & ideò dicitur quod de non dubiis non est consultatio: & de hoc discursu loquitur Damascenus 2. de fide cap. 22. dicens, *qui discurrit aliquid ignorat*: quandò verò discursus factus iterum in memoriam reuocatur, non est necessarium procedere à notis ad ignota, sed possumus discurrere ad nota.

Hoc supposito, prima sententia negat hanc scientiam vti discursu. Ita Diuus Bonauentura, Ricardus, Suarez disp. 28 sect. 2. Vasquez disp 52. capite 3. secunda sententia ait hanc scientiam posse vti discursu. Ita Scotus in 3. dist. 14. quæst. 3. §. *ad argumenta*, versiculo, *ad tertium*, Sanctus Thomas, Caietanus, Faber disput. 38. num. 11. Rada 3. parte controuersia 9. articul. 4. conclusione 8. Lorca disput. 51. membro 2. Becanus cap. 9. quæst. 5. Aluarez, Ragusa, &c.

Dico primò secundum hanc sententiam, Christus non fuit vsus discursu, vt de nouo hanc scientiam acquireret colligo ex Scoto citato. Probatur, nam tota hæc scientia fuit per species & habitus infusa in primo instanti, ergò illam non habuit per discursum. Dices quod habitus fuit infusus non actus, & ita cum omnes actus non habuerit simul, vsus fuit discursu vt aliquam conclusionem cognosceret. Respondeo quod simul per plures species cognouit principium & conclusionem, & ita non fuit vsus discursu vt scientiam hanc acquireret.

Dico secundò, Christus potuit vti hac scientia cum discursu, ita Scotus citatus. Probatur, nam Christus cognoscebat conclusionem per diuersam speciem & cognitionem à qua cognoscebat principium, ergò conclusio deducibilis erat ex principio, & alias intellectus Christi erat discursiuus, ergò poterat ex vno aliud colligere.

Prima sententia obiicit, tam principium quàm conclusio cognoscuntur per eandem speciem, ergò & per eandem cognitionem, & ita non est locus discursui. Respondeo vtrumque esse falsum, nam datur duplex species & duplex cognitio. Sed instant aduersarii, nam licet sit duplex cognitio, tamen vna non causatur ab alia, cum vtriusque sit propria species impressa, & conclusio ita sit nota ac est principium. Respondeo quod ex hoc tantùm probatur non esse necessarium discursum, non tamen probatur esse impossibilem; nam adhuc secundum Vasquez in discursu non requiritur vt procedatur à noto ad ignotum, sed conclusio quæ per speciem propriam impressam immediatè

cognoscebatur sine discursu, per discursum cognoscitur mediatè, quatenus continetur in principio. Sed fortè est quæstio de nomine, vt dixi diff. 2. & notauit Hurtado diff. 15. Quod dictum est de discursu, dicendum est de compositione & diuisione: Itaque optimè poterit Christus componere, & diuidere, & facere hoc iudicium, *Petrus est albus*, etiam si habeat species Petri, albedinis, & inhærentiæ illius in Petro, quidquid in oppositum indicent Suarez, Vasquez, Hurtado diff. 14. Alia quæ de discursu obiiciunt, latè explicui Tractatu de Angelis, vbi probaui latissimè Angelos discurrere.

Dubium tertium est, vtrum Christus fuerit vsus hac scientia cum conuersione ad phantasmata. Suppono, vt dixi tertio de Anima, quod pro hoc statu *nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu*, & ita quod intellectus dependet à cognitione sensus, & hoc est intelligere cum conuersione ad phantasmata: non tamen est quod phantasia operetur simul & concomitanter quando operatur intellectus, vt contingit in Beatis post resurrectionem, nam plura obiecta quæ in Verbo vident, phantasia cognoscit, non tamen hoc est cognoscere cum conuersione ad phantasmata. Dubium hoc non habet locum in scientia per se infusa, in sententia Scoti & nostra, in qua diximus difficult. 5. per hanc scientiam non cognosci obiecta materialia, sed tantum spiritualia: nam de spiritualibus, non est possibile phantasma: sed difficultas est in sententia Thomistarum qui communiter negant, & ratio est quia Christus vtebatur hac scientia in pueritia & somno, ergò non est necessaria conuersio ad phantasmata, & hoc in nostra sententia de scientia per accidens infusa.

Sed dubium esse potest, vtrum Christus potuerit vti scientia per se infusa, in sententia Thomistarum, & scientia per accidens infusa, in nostra sententia, cum conuersione ad phantasmata affirmant Sanctus Thomas quæst. 11. art. 2. Ibi Medina, Aluares, loquentes de scientia per se infusa respectu obiectorum materialium; & ratio est, quia in hoc nulla est implicatio, cum obiecta huius scientiæ sint obiecta phantasiæ; ergo poterit Christus, cum voluerit vti hac scientia cum dependentia & conuersione ad phantasmata. Vasquez, Lorca, Montesinos, Becanus, Hurtado, &c. negant, nam actus huius scientiæ independentes sunt ab operatione sensuum, licet benè possit fieri, vt dùm intellectus vtitur hac scientia, phantasia operetur concomitanter circa tale obiectum.

Ego verò in hac re, cum distinctione loquor, & dico quod optimè poterit Christus vti habitu scientiæ infusæ cum conuersione ad phantasmata, nam optime poterit intellectus agens, cum phantasmate, producere species impressas obiecti materialis, quibus productis, poterit intellectus possibilis intelligere tale obiectum vtendo habitu scientiæ infusæ per accidens: & hoc probat prima sententia: non tamen poterit Christus vti speciebus per accidens infusis huius scientiæ, cum conuersione ad phantasmata, nam si infusæ sunt, quomodo phantasma ad productionem illarum concurret? minimè. Et hoc probat secunda sententia, nisi velimus dicere, quod licet Christus in acquisitione specierum non indigeat phantasia, tamen in vsu ipsius scientiæ, scilicet in intellectione obiecti, poterit, si Christus voluerit, vti phantasmate, ita quod phantasia operetur circa idem obiectum.

DIFFICVLTAS NONA.

Vtrum scientia actualis infusa Christi excedat similem scientiam Angelorum?

EADEM est difficultas de scientia per se infusa ac de scientia per accidens infusa: circa quas quatuor sunt in quibus potest esse excessus; primo in perfectione specifica, secundò in modo cognoscendi, tertiò, in numero obiectorum, quartò in certitudine & claritate. Circa primum philosophandum est, sicut dixi capite 15. difficult. 2. de scientia beata. Circa secundum Thomistæ dicunt quod perfectior est modus cognoscendi in Angelo, quam in Christo, nam Angeli cognoscunt sine discursu & sine conuersione ad phantasmata, Christus verò cum discursu & cum conuersione ad phantasmata. Sed vtrumque fundamentum est falsum; Primò, nam Angeli etiam discurrunt, vt dixi Tractatu de Angelis cum Scoto in 2. dist. 1. quæst. 1. secundò quia absolutè Christus non vtitur hac scientia cum conuersione ad phantasmata, vt dixi difficultate præcedenti: & consequenter nobis dicendum est saltem in modo cognoscendi Christum & Angelos esse æquales. Addoquod. cognoscere pluribus modis est perfectio, & Christus cognoscebat tam cum conuersione ad phantasmata quam sine illa.

Circa tertium scilicet numerum obiectorum, Thomistæ omnes conueniunt scientiam Christi perfectiorem esse scientia Angelorum, nam plura cognouit Christus per hanc scientiam, quæ fuerunt occulta Angelis, & non cognouerunt nisi per reuelationem, vt secreta cordium, mysterium Incarnationis, quidditates omnes possibiles, vt dixi Tractatu de Angelis, & secundum Thomistas, mysteria gratiæ.

Difficultas tantum est circa quartum, nimirum claritatem, certitudinem, & intensionem; & loquendo de cognitione habituali vt certum suppono cum Scoto in 3. distinct. 14. perfectionem esse scientiam animæ Christi: nam sicut habuit perfectiorem gratiam habitualem, ita perfectiorem speciem & perfectiorem habitum huius scientiæ: si sermo sit de scientia actuali illam diuidit Scotus in abstractiuam & intuitiuam, & ait quod abstractiua quantum est ex parte intellectus animæ Christi, esset imperfectior, quia imperfectior est intellectu Angelico: tamen quia species (idem dico de habitu) superat Angelicas species & habitus, in eo & in plus, in quo intellectus Christi superatur ab Angelico intellectu, quia hoc congruum est; Ideò dicit Scotus quod hæc scientia abstractiua perfectior est in Christo. De intuitiua ait quod imperfectior est in Christo, quia ad cognitionem intuitiuam obiectum mouet vt in se præsens realiter, & non per speciem, & ita eodem modo mouet Christum ac Angelum, ac cum aliàs intellectus Angeli perfectior sit, perfectiorem eliciet intuitionem. ita Rada 3. parte disp. 6. art. 6. Pytig. quæst. 1. Faber disp. 38. cap. 1.

Propter hanc doctrinam Caietanus 3. parte quæst. 11. art. 4. repræhendit Scotum dicens quod affirmare cognitionem Christi esse imperfectiorem cognitione Angeli, est propositio reprimenda, & est Scotum ponere in cœlum os suum, quia est minorare Christum in gratuitis, quod est contra ad Heb. 2. qui solum in naturalibus est

paulo minus ab Angelis. Sed vt quidam ex nostris liberent Scotum ab hoc inconuenienti, dicunt quod Scotus loquitur de intuitiua acquisita, non verò de intuitiua per se infusa quâ Christus cognoscit obiecta spiritualia existentia & præsentia ad quæ datur species per se infusa, nam hæc perfectior est in Christo quam in Angelis, sed contra, primò, quia isti Scotistæ loquuntur contra Scotum qui quæst. 3. §. *ad quæstionem*, versiculo *& si dicatur*, & in 2. dist. 3. quæst. 10. § *ad quæst.* litera, G, & quæst. 11. §. *respondeo ergo*, litera, F, ait notitiam intuitiuam non fieri per speciem, vt dixi Tractatu de Angelis probabiliter. 2. contra Caietanum, nullum est inconueniens admittere scientiam acquisitam & intuitiuam Christi imperfectiorem esse scientia Angeli, quia hæc scientia non prouenit à dono gratuito, sed à naturali virtute quæ in Christo imperfectior erat: & ita merito reprimenda est Caietani censura, qui tam audacter, ne dicam temerarie, in subtilem doctorem, quem nusquam fere intelligit, os suum posuerit: imo argumẽtum & verba Caietani retorqueri possunt in ipsũ, & potiori iure; nam ipse cũ D. Thoma art. 6. ait quod species commensurantur cum natura: Vnde, quia natura Christi imperfectior est Angelica, Christo minus vniuersales ac per consequens imperfectiores species dantur; in quo ipsum sequuntur Medina, Lorca, Ragusa: ergo scientia Christi quoad hoc imperfectior est Angelica, quod est ponere in cœlum os suum, vt loquitur iste, & hæc scientia non est ex naturali virtute, sed ex dono gratuito scilicet speciei. An Christus habuerit scientiam per se infusam intuitiuam de obiectis ex quibus non possunt acquiri species, dixi difficultate 4. in fine.

CAPVT DECIMVM-SEPTIMVM.

De scientia acquisita animæ Christi.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum in Christo fuerit scientia acquisita, & quorum obiectorum?

SCIENTIA acquisita duplex est, vna abstractiua, & altera intuitiua, & vtramque esse in Christo sine errore negari non potest ad Heb. 5. *didicit ex his quæ passus est, obedientiã*, & Ratio est, quia scientia acquisita pertinet ad perfectionem naturę humanæ quæ in Christo fuit perfecta, ergo in illo fuit hæc sciẽtia. Nomine scientiæ hic intelligimus omnes virtutes intellectuales, scilicet intellectum seu habitum principiorum, Sapientiam, Scientiam, Prudentiam, Artem. Fuisse in Christo Intellectum & Prudentiam, patet, nam in nobis hi habitus nullam inuoluunt imperfectionem, ergo neque in Christo. Etiam fuit Sapientia & Scientia, nam licet in nobis sint admixtæ cum opinionibus & incertitudine, in Christo tamen fuerunt ita perfectæ vt quod ratio naturalis consequitur, tam quoad euidentiam aliquarum conclusionum, quam quoad probabilitatem aliarum, consecutus fuit: Itaque in probabilibus cognouit omnes rationes probabiles, non tamen tulit sententiam de illis, sed suspendebat iudicium, vel tantum assentiebat probabilitati opinionum. Habuit etiam Artem, sed sine vsu, nam licet ad illum dirigat, non tamen ab illo dependet,

nam tota eius perfectio ad Intellectum spectat.

Circa secundum, quorum obiectorum fuerit hæc scientia? certum est per illam cognouisse omnia obiecta materialia, à quibus pro hoc statu potuit acquirere species intelligibiles ministerio intellectus agentis. Sed vertitur in dubium an cognouerit entia spiritualia, siue naturalia, vt est Angelus, siue supernaturalia, vt sunt gratia, lumē gloriæ &c. per hanc scientiam quidam ex nostris dicit omnia ista esse obiecta huius scientiæ, dummodò non dicant ordinem ad ens increatum, & etiam si dicant talem ordinem, dummodò tale ens increatum sit aliàs clarè cognitum. sed hoc verum est loquendo de Angelis & de anima separata, imò de Christo post mortem, imò etiam cogitationes cordium, de quo latè dixi Tractatu de Angelis. Sed hoc non est ad rem, nam non quærimus quæ sunt obiecta scientiæ acquisitæ in quocumque statu, sed quid cognouerit Christus pro hoc statu mortali; & dico cum communi sententia, quod tantum illa à quibus potuit abstrahere species, nam de spiritualibus tantum habuit cognitionem quæ ex sensibus deduci potest.

De numero obiectorum dicendum est, vt dixi de scientia infusa cap. 16. diff. 6.

Circa habitum huius scientiæ, suppono non consistere in solis speciebus, sed simul in habitu se tenente ex parte potentiæ. Ita communis sententia, qui habitus tantum datur ad perfectionem & connaturalitatem actus, nam simpliciter necessarius non est habitus; isti sunt plures tam in ratione qualitatis quam in ratione scientiæ, nam diuersus habitus est Mathematicæ, à Metaphysicæ habitu. Controuersia est an tales habitus fuerint propriis actibus acquisiti, an verò per accidens infusi, vt fuerunt in Adamo?

Prima sententia docet hanc scientiam fuisse à Christo, proprio labore & industria acquisitam. Ita Caietanus & Medina cum Sancto Thoma quæst. 9. art. 4. Vasquez disput. 55. Aluarez disput. 53. Ragusa disput. 103. Montessinos, & quidam ex nostris, valdè laborans vt sit Scoti in 3. dist. 14. quæst. 3. §. *ad quæstionem*, sed frustra, vt videbimus.

Secunda sententia est Hurtado disput. 8. difficult. 22. dicentis hanc scientiam partim esse proprio labore acquisitam, partim per accidens infusam.

Tertia & vera sententia affirmat hanc scientiam esse Christo per accidens infusam, refertur Sanctus Thomas, tenet Diuus Bonauentura in 3. dist. 1. articul. 3. quæst. 2. Durandus, Gabriel, Ricardus, Paludanus, Suarez disput. 31. sect. 2. Scotus loco citato, de cuius mente latè dixi capite 16. difficult. 5. tantum addo quod licet ibi Scotus non vtatur his verbis, per se infusa, vel per accidens infusa, sed tantùm dicat esse species infusas, tamen eius mens optimè colligitur, nam ait quod quidditatum dantur species infusæ, rerum verò existentium tam præsentium, quàm futurarum, vel præteritarum, non dantur species infusæ, sed tantum cognitio intuitiua præsentium, memoria præteritorum, & coniectura futurorum: ex quibus clarè colligitur, quod quidditatum naturalium, de quibus in nobis dantur scientiæ naturales, dantur in Christo scientiæ & species infusæ; at verò singularium de quibus non datur scientia, datur cognitio intuitiua, ex qua

cognitione poterit in Christo remanere cognitio habitualis, videantur Faber, Pitigianus, Lorca citati difficult. 5. relata.

Hæc sententia probatur, nam si Christus non habuit has scientias per accidens infusas, sequeretur Christum, vt viatorem, caruisse scientia talium obiectorum, vsque dum tales scientias acquireret, ad quod requirebatur longum tempus, imò impossibile erat sine miraculo vt omnia singularia Christo occurrerent in toto vitæ decursu. Rursus incongruum erat vt tot temporis consumeret in acquirenda hac scientia, qui illo indigebat ad res magni momenti.

Respondet Caietanus, quod per miraculum omnia obiecta breuissimo tempore Christo obiecta sunt ministerio Angelorum, & ob ingenii subtilitatem omnia in pueritia nouit, vt cæterum tempus consumeret in rebus & actionibus superioris ordinis. Sed contra primo, quia si ad miraculum est confugiendum, facilius est affirmare has scientias fuisse per accidens infusas. 2. quia difficillimè explicari potest quomodo factum fuerit hoc miraculum, & quomodo sensibus externis fuerint propositæ stellæ cœli, pisces maris, aues omnium regionum, & omnia mineralia &c. Rursus omnia ista obiecta non potuerunt interius applicari per phantasmata ministerio Angelorum, nisi vel applicatione verorum obiectorum, ad quod requiritur virtus supernaturalis, & facilius esset infundere species; vel applicatione obiectorum apparentium, quod non est concedendum, nam aliquo modo illuderetur Christus. 3. quia ad minus, tempore quo hanc scientiam acquisiuit, caruit Christus perfecta scientia, quod est inconueniens.

Secundò respondet Vasquez capite 4. fatendo quod nostrum argumentum est efficax, tamen ait quod hæc scientia acquisita in Christo non fuit perfecta in omni latitudine obiectorum, quod non reputat inconueniens, cum per scientiam per se infusam cognouerit hæc obiecta. Sed contra, primò est contra Sanctum Thomam & contra rationem ponere in Christo scientiam imperfectam, quæ posset superari ab hominibus qui maiori studio incubuerint, præcipuè cum hæc imperfectio non fuerit necessaria ad redemptionem. secundò, quia, vt dixi, talia obiecta non cognoscuntur scientia per se infusa, ergo careret Christus cognitione propria viatorum aliquorum obiectorum.

Secundò probatur nostra sententia, in Christo dantur virtutes morales per accidens infusæ, ergò similiter scientia acquisita per accidens infusa. Respondent disparitatem esse; nam per virtutes morales constituitur quis perfectus in esse morali, & inconueniens est Christum pro aliquo instanti non esse perfectum in esse morali: non tamen est inconueniens carere pro aliquo tempore, hac scientia, cum per alias scientias omnia obiecta cognosceret. Sed contra primò, quia nulla datur alia scientia viatorum per quam cognoscantur hæc obiecta: secundò, esto quod daretur talis scientia, etiam secundum Thomistas & nostrum Scotistam, dantur virtutes morales per se infusæ, quibus ista obiecta attinguntur, & tamen ponunt virtutes per accidens infusas, vt eadem obiecta diuerso modo attingantur: ergo similiter debent ponere scientiam per accidens infusam, vt diuerso modo talia obiecta cognoscantur.

Secundò, respondet Scotista cum

Hurtado, quod hæc ſcientia fuit per accidens infuſa quantum ad habitum, & in hoc æquiparatur virtutibus moralibus, non verò quantum ad ſpecies.

Sed contra, quia fruſtrà eſſet talis habitus ſi non habebat ſpecies. Rurſus haberet ſcientiam imperfectam, cum perfecta ex habitu & ſpecie componatur.

Pro prima ſententia obiicit Vaſquez illud ad Heb. 5. *didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam.* Et Fulgentius, Bernardus, &c. dicentes Chriſtum ſcientia experimentali aliqua ignoraſſe, & aliqua de nouo cognouiſſe, in quo denotant non habuiſſe ſcientiam per accidens infuſam. Reſpondet, vt benè, Lorca diſput. 49. num. 26. nullam ſententiam ex his eſſe contra Patres, tantùm ſacra Scriptura & Patres volunt, vt notauit Scotus, aliqua de nouo Chriſtum cognouiſſe cognitione intuitiua, & experimentali, non verò cognitione abſtractiua ſcientifica.

Secundò obiicit, nam talis ſcientia per accidens infuſa eſſet in Chriſto otioſa, quia nullus futurus erat vſus niſi cum conuerſione ad phantaſmata, quæ non poterat eſſe in infantia: Eſſet ſuperflua, quia ſi neceſſaria erat talis conuerſio ad phantaſmata, optimè poterat intellectus agens abſtrahere ſpecies intelligibiles, & ſic ſuperflua eſſet infuſio. Reſpondeo negando eſſe otioſam & ſuperfluam, adhuc ſi neceſſaria eſſet conuerſio ad phantaſmata, quod inficior, vt dixi, ſicut non fuit otioſa, neque ſuperflua in Adam & Salomone, nam antè conuerſionem & actualem intellectionem, ſcientia actuabat & perficiebat intellectum: in actuali intellectione, & actuali conuerſione fuit neceſſaria, vt abſque mora intellectus agentis in acquirendis ſpeciebus intelligibilibus, eſſet iam intellectus Chriſti in actu primo, vt habens omnia requiſita ad intelligendum abſtractiuè, omnia illa ad quæ vellet ſe conuertere, qua ratione nobis ſunt neceſſariæ & non ſuperfluæ, ſcientiæ habituales.

Tertiò obiicit Monteſſinos ex Diuo Thoma, perfectiùs eſt habere ſcientias per ſpecies proprio labore acquiſitas quã quod infundantur, ergo illud tribuendum eſt Chriſto. Reſpondeo concedendo, ſi poſſibile eſſet, ſed non eſt poſſibile ſine ingenti miraculo, vt vidimus.

Quartò ſequeretur intellectum agentem eſſe in Chriſto otioſum. Reſpondet Scotus, etiam in Beatis erit otioſus, etiam erit otioſa potentia augmentatiua, ſed hoc eſt falſum, ergo neque in Chriſto. Secundò reſpondetur non eſſe otioſum, nam erat neceſſarius vt abſtraheret ſpecies ad cognitionem intuitiuam & experimentalem.

Dices, ergo iam erant duæ ſpecies eiuſdem rationis & eiuſdem obiecti in eodem intellectu Chriſti, vna per accidens infuſa, & altera acquiſita. Reſpondeo non eſſe eiuſdem rationis, nam per accidens infuſa erat abſtractiua; acquiſita erat intuitiua, quæ ab exiſtentia & præſentia obiecti dependebat.

Sed inſtabis, quod ſpecies derelicta in memoria à cognitione intuitiua erat abſtractiua, ergo iam duæ abſtractiuæ erant ſimul in Chriſti intellectu. Reſpondetur primò, vt colligo ex Scoto in tertio, diſt. 14. quæſt. 3. §. *contra conclusionem*, quod duæ ſpecies eiuſdem rationis, vna perfectior altera, benè poſſunt compati, & ita ſe habent iſtæ, nam per accidẽs infuſa cum ſit ſumma,

est perfectior. 2. Respondeo non esse eiusdem rationis, nam derelicta in memoria non tantum repræsentat quidditatem, sed vt anteà cognitam, quod non repræsentat species per accidens infusa. 3. Respondet Lorca num.27. quod actus experientiæ & scientiæ non semper generat scientiam, vt quando quis priùs habet scientiam, & posteà experitur aliquid circa illam, sed solum excitat vsum eius, & actualem considerationem.

Quintò obiicit Scotista, Deus optimè potuit Christo infundere actus huius scientiæ acquisitæ & non fecit, ergo neque infudit species. Respondeo, etiam ex hoc argumento sequitur, quod non infudit habitum, quod ipse negat. 2. Respondeo quod Christus optimè poterat elicere actum huius scientiæ cõnaturali modo, & ita Deus illum non infudit, non tamen poterat habere species, vel habitus huius scientiæ, nisi vel ingenti miraculo, vel pro aliquo tempore carendo hac scientia, quod vtrumque est inconueniens, & ita Deus infudit habitum & species.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

De pertinentibus ad actum huius scientiæ, & vtrum Christus didicerit aliquid ab alio?

SVPERIVS diximus scientiam istam in Christo fuisse discursiuam: legantur dicta, cap.16. diff. 8. dub. 2. vbi dub. 3. dixi, quomodo potuit Christus vti illa cum conuersione ad phantasmata, & quomodo non tantùm est aduertendum, quod licet nos in scientia per accidens infusa non indigeamus phantasmare ad species acquirendas, tamen in vsu indigemus illo, propter connexionem & alligationem animæ ad corpus, id est, quod quando intellectus intelligit, phantasia operatur circa idem obiectum, quæ connexio in Christo non fuit necessaria, tum propter vnionem hypostaticam, tum propter beatitudinem essentialem.

Petes, præter tres scientias creatas relatas, fuerit ne alia scientia creata in anima Christi? Noster Alensis 3. parte, quæst. 13. membro primo & secundo, posuit aliam scientiam, quam vocat vnionis. Sed immerito, vt notauit Diuus Thomas, quæst.9. art. 4. Nam quomodocumque ponatur, debet reduci ad tres scientias relatas.

Circa secundum, concors sententia Theologorum est, Christum nihil ab homine vel ab Angelo didicisse. Probatur Isayæ 55. & Ioan.18. vbi dicitur Christum fuisse Magistrum, & Doctorem hominum & Angelorum. Ita Dionysius de cœlesti Hierarchia cap.7. sed Magister non docetur à discipulis, sicut neque prima causa, quæ mouet alias, ab illis mouetur, ergo, &c. Ex quo reiiciuntur aliqui Hæretici dicentes Christum fuisse sub ferula magistri, nam Christus tàm per scientias, quàm per discursum & experientiam, omnia cognouit, & ita non indigebat magistro.

Obiicies primò, quod Christus linguam à parentibus didicit, & plura relatione aliorum cognouit. Respondeo negando, nam habuit donum linguarum, vt dixi cap.12. dist.4. tantùm per experientiam acquirebat Idioma, quia de nouo proponebantur verba, quæ per scientiam infusam ipse sciebat; neque relatione aliorũ aliqua cognouit. Nam iam Christus haberet fidem humanam, quæ est imperfectio, cum sit fallibilis, sed anteà sciebat quæ sibi dicebantur.

Secundò obiicies, Lucæ 2. cap vbi Christus erat in medio Doctorum interrogans, & qui interrogat discit.

Respondeo quod talibus interrogationibus potius illos edocebat, vt solent magistri.

Tertiò obiicies, Christus accepit scientiam experimentalem ex sensibilibus, ergo poterat accipere ab homine. Respondeo quod à sensibilibus, vt ab obiecto, accepit, & ita poterat ab homine tanquam ab obiecto, non tamen tanquàm à Magistro: sicut quando discipulus legit librum magistro, non ideo discipulus docet magistrum, sed ab ipsis scripturis quæ leguntur, magister accipit scientiam: sic Christus quando aliquid illi proponebatur ab homine, non discebat ab illo, sed à rebus propositis accipiebat scientiam experimentalem, & ita cognouit dolorem Matris quærentis ipsum, cum dixit, *Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.*

Quartò obiicies, Lucæ 22. nam Christo in horto oranti apparuit Angelus confortans eum, ergo vt pateretur proposuit Christo aliquas rationes, quas ipse nesciebat. Respondeo cum Vasquez, disp. 56. ex Epiphanio, Chrysostomo, & Theophylacto, quod confortauit, non proponendo rationes, sed laudando fortitudinem eius quâ vltro se morti offerebat, & hoc est confortari, tunc enim laborantes consolamur cùm corum fortitudinem laudamus. Secundò respondeo cum Lorca disp. 51. quod ab Angelo fuit consolatus absque instructione, vel proponendo obiectum, quod tunc intuitiuè cognosceret, quod abstractiuè cognoscebat. Vel tertiò, Christum consolabatur loquendo cum ipso, nam collocutio amicorum generat consolationem. Omitto alias solutiones Suarez & Patrum.

CAPVT DECIMVM-OCTAVVM.

De potentia Christi.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam formaliter?

POSTQVAM egimus de sciētia animæ Christi, nūc de eius potentiâ, scilicet virtute effectiua, siue in se, siue in alio, venit agendum: Et suppono quod licet omnipotentia fuerit in Christo per vnionem hypostaticam, sicut fuit etiam Deitas, & fuerunt omnia attributa, non tamen omnipotentia fuit forma, qua humanitas formaliter dicebatur potens: nam sicut in Christo fuerunt duæ naturæ, humana scilicet & diuina, ita fuerunt duæ potentiæ, vna diuina, nimirum omnipotentia, altera humana, & ab ista distincta. Sed difficultas esse potest an anima Christi habuerit formaliter omnipotentiam, non qua Deus est omnipotens, sed aliam per participationem, sicut aliqui Thomistæ dicunt visionem beatam mensurari æternitate participata; quam æternitatem reieci Tractatu de Angelis ex Scoto in 4. dist. 49. quæst. 6. §. *de secundo dubio.*

Communis sententia negat talem omnipotentiam in Christo. Scotus in 3. dist. 16. quæst. 2. §. *ad primum principale*, versiculo *ad aliud concedo*: & ratio est, quia de ratione omnipotentiæ, vt sic, est quod possit producere quodcumque producibile, ergo si talis potentia est creata, est producibilis à seipsa, quod inuoluit repugnantiam.

Obiicies primò, Matth. vltimo, vbi Christus, vt homo, ait, *data est mihi omnis potestas*, &c. ergo erat omnipotens vt homo. Respondeo loqui de pote-

ftatē ad illuminandos homines & Angelos, & ad peccata remittenda, nam addit, *Euntes ergo docete omnes gentes*; non tamen de omnipotentia ad producendum quodcumque producibile.

Dices quod Christus dixit hoc post resurrectionem, & talis potestas data est illi in instanti conceptionis. Respondeo verum esse hoc, sed tunc dicitur aliqua potestas data quando innotescit, & præcipuè tunc illa potestas innotuit.

Secundò obiic. Patres Ambrosium & Damascenum vocantes Christum omnipotentem. Respondeo primò, verum esse per communicationem idiomatum. Secundò respondeo, quod ita dicitur, quia habebat potentiam ad patranda miracula, quo modo loquendi sæpè vtuntur Patres.

Tertio obiic. ita proprium est Dei omnia scire, sicut omnia posse, sed in Christo est scientia omnium, ergo & omnipotentia. Respondeo non esse *scire* ita proprium Dei, quod non possit communicari; omnipotentia verò, minimè. Ratio est primò, quia quis potest seipsum scire, non tamen seipsum producere. Secundò, quia scientia res solum continet in *esse* intentionali, in quo *esse*, intellectus potest producere res perfectiores se; At verò omnipotentia producit res in *esse* reali, & ita debet habere *esse* æquè perfectum, ac sunt omnia producibilia simul, quod implicat in vno *esse* creato.

Dubitabis vtrum potentiæ naturales Christi ex vnione ad Verbum fuerint perfectiores? Respondet noster Ricardus in 3. dist. 14. art. 5. affirmatiuè. Ratio est, quia operatio alicuius rei non tantùm prouenit à natura rei, sed ab eius existentia, & humanitas Christi habebat existentiam Verbi, & illâ existebat. Sed fundamentum hoc est falsum, vt vidimus cap. 10. diff. 1. & ita cum communi sententia dico, non fuisse potentiores; Ratio est, quia humanitas per vnionem non fuit intrinsecè variata, sed mansit eadem, ergo & potentiæ eius manserunt eædem.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Vtrum humanitas Christi fuerit instrumentum physicum, vel morale patrandi miracula?

SVPPONIT titulus difficultatis, Christum vera miracula patrasse, vt patet ex Euangelio, & hoc, virtute Dei, & media humanitate, vt ipse Christus Matth. 12. & Lucæ 11. probauit contra Iudæos calumniantes, quod in virtute Beelzebuth illa fecerit. Ex quo reiiciuntur duo errores, primus Vualdensium, dicentium nullum verum miraculum fecisse Christum, neque factum fuisse in tota Ecclesia. Secundus est quorumdam Medicorum, qui dicebant miracula fieri à Christo, virtute naturali, quidamque ex eo dicebant, quia corpus Christi erat mixtum ex temperamento æquali elementorum, & ita poterat ambulare super aquas, & ita super quodcumque elementum.

Sed reiiciuntur ex nostro Michaële de Medina 2. *de recta in Deum fide*, cap. 2. nam tale temperamentum implicat, quia cum aliqua elementa sint magis actiua, destruerent cætera, ac per consequens, & mixtum. Deinde corpus humanum, cùm sit organicum, nequit consistere cum tali æqualitate. Secundò, quia tale corpus neque esset sursum, neque deorsum. Tertiò, quia ex tali temperamento non poterat suscitare mortuos, illuminare cæcos, &c. Quartò, quia necessario faceret miracula, & constat non fecisse Christum nisi quando volebat. Auicenna dic-

bat, hæc miracula prouenisse à virtute imaginationis Christi. Sed contra, quia licet imaginatio in proprio corpore aliquid possit efficere, non tamen in alieno, quia cum alieno non habet sympathiam organorum, sicut habet in proprio.

Petes primò, vtrum potuerint euidenter cognosci miracula à Christo patrata esse vera miracula? Respondeo quod Angeli, tàm boni quàm mali potuerunt hoc euidenter cognoscere, licet aliqua fuerint illis occultata, vt quod Christus natus sit ex Maria Virgine; & aliqua non possunt cognosci sine reuelatione, vt quod Christus fuit conceptus ex Spiritu sancto.

Petes secundò, an virtus patrandi miracula fuerit diuerso modo in Christo ac in Apostolis? Respondetur affirmatiuè. Primò, nam Christus ex imperio miracula faciebat ex ratione vnionis, cui hoc saltem debebatur de congruo; Apostoli verò hoc non habebant, & orando miracula patrabant.

Dices, quod Christus ad resuscitandum Lazarum orauit. Respondeo fatendo, sed hoc fecit propter eos qui aderant, vt dicitur Ioan. 11. non quia indigebat oratione, licet existimem Christum semper orasse, quando miracula faciebat. Secundò fuit diuerso modo in Christo, quia in aliis fuit transeunter, in Christo permanenter, non quia hæc gratia consistat in aliquo habitu, nam solum in motione speciali Dei consistit; sed quia quotiescumque, & vbicumque volebat, patrabat miracula, vt dixi cap. 12. quod prouenicbat ex dignitate vnionis.

Petes tertiò, quando incepit in Christo hæc potestas miraculorum? Respondeo quod ab instanti conceptionis. Ita Suarez disp. 31. sect. 2. ex Anselmo lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 13. ratio est, quia tunc habuit libertatem: imò Chrysostomus, hom. 16. in Ioan. insinuat miracula facta in natiuitate, facta fuisse ab humanitate Christi. Neque obstat quod Ioan. 2. dicitur, conuersionem aquæ in vinum fuisse initium miraculorum Christi; Nam respondeo esse primum miraculum, vt Christus ostenderet suam gloriam coram Discipulis, & confirmaret in sua doctrina; cum quo stat quod priùs fecerit alia miracula. Legatur sanctus Thomas quæst. 43. art. 3. etiam cum hoc stat, quod libellus de infantia Saluatoris apocriphus sit, vt docuit Papa Gelasius. c. *Sancta Romana*, distinct. 15. fecit etiam miracula post mortem, extrahendo animas Patrum de Lymbo, vbi erant, & etiam post resurrectionem ingrediendo ad Discipulos, janais clausis, & satis probabile est quod ex virtute humanitatis Christi, facienda est resurrectio futura omnium.

Difficultas non parua est, vtrum fuerit instrumentum physicum vel morale, nam causa principalis est Deus. Suppono quod causa physica est quæ physicè, & immediatè attingit effectum; causa moralis quæ solùm mediatè illum attingit, nam immediatè pendet ex voluntate alterius, vt Consulens, Præcipiens, &c.

Prima sententia docet humanitatem esse instrumentum physicum, ita Caietanus, Medina, cum sancto Thoma, quæst. 13. art. 2. Suarez disp. 31. Aluarez disput. 66. Montess. & ex parte tenet Lorca disp. 53.

Secunda & vera sententia docet tantum esse causam moralem: colligitur ex Scoto in 4. dist. 1. quæst. 2. & dist. 2. quæst. 1. §. *ex his duabus conclusionibus*: tenent omnes Scotistæ, ex aliis Vasquez disp. 57. cap. 5. Ragusa disp. 106. Becanus, Hurtado disp. 9. diffic. 4. Durandus, &c. Citatur sanctus Thomas,

vt videre eſt in Lorca. Probatur primò, nam ſufficit cauſalitas moralis, vt verè & propriè dicatur humanitas patrare miracula, & aliàs, cauſalitas phyſica difficilis eſt, cum qua myſteria noſtræ fidei difficiliora redduntur, ergo illa eſt ponenda. Antecedens probatur, nam cauſa moralis verè & propriè eſt cauſa, nam meritum verè & propriè cauſat præmium, &c. Et, vt ait Scotus, omnis diſpoſitio neceſſitans ad formam, ſi eſt actiua, dicitur cauſa formæ; cum ergo humanitas Chriſti ſit diſpoſitio neceſſitans ad miraculum, erit cauſa ſaltem moralis miraculi.

Secundò probatur, nam phyſicum inſtrumentum, ſecundum aduerſarios, vel propria virtute attingit effectum, vel habet præuiam operationem phyſicam ad effectum, vel in ipſa operatione ad effectum principalem recipit ab agente principali aliquam virtutem phyſicam. Dixi ſecundum aduerſarios, nam ſecundum Scotum, nullum datur phyſicum inſtrumentum, niſi inſtrumenta artium, vt ſecuris, ſerra, &c. quæ nullam habent actionem. Ita in 4. diſt. 1. quæſt. 1. littera, D, & §. *ad quæſtionem*, littera EE. & littera LL. & quæſt. 4. & diſt. 6. quæſt. 5. & alibi: ſed nullo ex his modis humanitas concurrit ad miracula, ergo, &c. Probatur minor, quia ad effectus ſpirituales non habebat virtutem, cum eſſet materialis: neque habebat præuiam operationem, nam plura ſunt miracula, quæ non petunt hanc præuiam actionem: neque habet virtutem participatam in ipſa actione, nam vel eſſet virtus materialis, & ita non poſſet concurrere ad effectus ſpirituales; vel eſſet ſpiritualis, & hæc non poſſet recipi in humanitate quæ eſt materialis, ergo nullo modo poteſt eſſe phyſicum inſtrumentum.

Reſpondent Lorca diſp. 53. num. 10. & alij, quod omnia iſta requiruntur in inſtrumento naturali, non verò in ſupernaturali, vt eſt in noſtro caſu, nam quamcumque creaturam poteſt Deus aſſumere, vt inſtrumentum. Sed contra, quia tales conditiones etiam conuenire debent inſtrumento ſupernaturali, nam cum effectus non tantùm dependeat à cauſa principali, ſed etiam ab inſtrumento; debet eſſe ordo & dependentia inter effectum & inſtrumentum, quam anteà non habebat, ergo aliqua virtus, vel aliquid eſt in inſtrumento, quod ſit fundamentum talis ordinis, nam repugnat relatio ſine fundamento; ſed talis virtus phyſica in humanitate non eſt excogitabilis, ergo neque quod ſit phyſicum inſtrumentum.

Propter hoc, reſpondet Capreolus & alij antiqui, quod humanitas eleuatur per quandam qualitatem intentionalem, hoc eſt, citò tranſeuntem. Sed contra, vt colligitur ex Scoto in 4. diſt. 1. quæſt. 5. quia, vel iſta qualitas eſt ſpiritualis, vel corporalis; non eſt ſpiritualis, nam non poſſet eſſe in humanitate corporea: non corporalis, nam ita improportionata eſſet ad cauſandum effectum ſpiritualem. Secundò inſtrumentum hac qualitate eleuatum, vel agit ſolum concurſu generali & debito, vt agit intellectus cum lumine gloriæ ad viſionem, vel indiget concurſu ſpeciali; ſi primo modo, ergo eſt cauſa principalis, ſicut eſt intellectus reſpectu viſionis; ſi ſecundo modo, ergo indiget de nouo eleuari per aliam qualitatem, & erit proceſſus in infinitum: ſi non indiget alia qualitate, ſed tantùm ipſa motione, hæc ſufficiet, & talis qualitas erit ſuperflua. Tertiò, quia valdè difficile eſt ponere qualitatem, quæ ſine alteratione & in momento, & ad nutum voluntatis Chriſti attingat miracula, cum hoc non ha-

beat gratia, neque vnio hypostatica, quæ sunt entitates perfectiores à qualitate.

Alij, vt Valentia, & Montessinos dicunt talem motionem fieri à Deo, non per qualitatem, sed per motum virtuosum humanitati impressum. Sed contra, quia motus non est principium *quo* instrumentum operetur; patet, nam vel Deus per talem motum imprimit in actu primo aliquam qualitatem, & incidunt in modum Capreoli iam reiectum: si nō imprimit, sed dicitur motus virtuosus, quia per illum efficit Deus, quidquid faceret instrumentum, si haberet innatam virtutem; contra, quia hoc est effectum dependere à Deo, non verò ab instrumento, cum illud nullam virtutem habeat respectu talis effectus.

Quartò alij respondent cum Caietano & Ferrara, prædictam eleuationem fieri per hoc tantùm, quod instrumentum sit à Deo ordinatum ad talem effectum, & ad illum habeat Deus paratum suum concursum. Sed contra obiicit Vasquez prima parte, disp. 176. cap. 3. hæc præparatio Dei supponit in instrumento cooperationem futuram, & hæc supponit principium & virtutem in instrumento. Rursus, rem esse à Deo ordinatam ad talem effectum, solum est denominatio extrinseca quæ nihil physicum ponit in humanitate, ergo non est instrumentum physicum.

Quintò, Suarez disp. 31. sect. 5. & Montess. dicunt, in qualibet creatura, & si actiua non sit, vt sunt materia prima, quantitas, & relatio, esse potentiam obedientialem actiuam, vt possit Deus nihil in ea producendo, suo spiritali concursu producere effectum quem voluerit, simul cum illa, dummodò non implicet. Et addunt, quod hæc potentia obedientialis actiua, est ipsa natura rei quæ dicitur potentia inchoata & incompleta, quia non sufficit ad producendum effectum concursus generalis Dei & si sit supernaturalis, sed specialissimus est necessarius, quo suppletur insufficientia quam habet talis natura in actu primo.

Sed contra primò, quia si hæc potentia obedientialis non distinguitur à naturali entitate, & entitas non est actiua, ergo neque potentia obedientialis erit actiua, nam vt optimè vidit Ægidius *de beatitudine*, tomo 2. lib. 10. quæst. 2. art. 14. talis potentia obedientialis instrumentalis inaudita est. Et contra Augustinum, Sanctum Thomā, Scotum, &c. in rebus non actiuis; solum enim in actiuis reperitur, & non ad quemcumque effectum, nam Deus non potest eleuare ignem ad videndum Deum, tantùm eleuat potentiam quà habet virtutem, sed improportionatam, & tunc non est instrumentum, sed causa partialis, vt dixi Tractatu de Visione.

Secundò, concursus Dei quo in actu secundo eleuatur intellectus noster ad visionem Dei, suppleri potest per modum actus primi, per lumen gloriæ, & hoc est connaturaliùs: ergo similiter suppleri potest concursus Dei, quo eleuat instrumentum ad effectum supernaturalem, per aliquam qualitatem per modum actus primi: sed quando intellectus per lumen eleuatur, non est instrumentum sed causa partialis: ergo similiter tunc instrumentum erit causa partialis, & tunc Deus potest, non tantùm vt instrumentum, sed vt causam partialem assumere quamcumque rem ad quemcumque effectum. Sed hoc argumentum conuincit Montessinos & alios, non verò Suarez dicentem intellectum ad visionem Dei concurrere, vt instrumentum.

Tertiò, sequeretur quamlibet crea-

turam habere vim naturalem inchoatam ad patranda miracula, quod est inconueniens, licet verum sit, quod non habeat adæquatam sine concursu Dei.

Prima sententia obiicit, quia ex illo Lucæ 6. *Virtus de illo exibat & sanabat omnes*, & Lucæ 8. *Ego noui virtutem de me exiisse* colligitur causa physica, nam ista non benè de causa morali explicantur. Respondetur non intelligi aliquam qualitatem exisse, sed sensit Christus miraculum factum, iuxta phrasim sacræ Scripturæ (verbi gratia) *Si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes*, id est, *miracula*: & ita sufficienter explicantur cum causalitate morali, de qua intelliguntur Patres, quando humanitatem vocant instrumentum diuinitatis.

Secundò obiic. quia Christus imperio & potestate faciebat miracula, & adhibebat vocem Io. 11. *Lazare veni foras*, vel tactum, manus, Matth. 8. quando sanauit sociú Simonis, &c. quæ omnia non requiruntur ad causam moralem, ergo est causa physica. Respondetur, etiam Iosue imperio detinuit Solem, & etiam Petrus imperio Ananiam & Saphyram interfecit: & secundum Diuum Thomam secunda secundæ, quæst. 178. art. 1. solum fuerũt causæ morales, nam quod per amicos facimus, deprecatione facimus, per seruos imperio, & semper est causa moralis: ex tactu manus non colligitur causalitas physica, neque ex voce præcipue ad mortuum suscitandum; sed quia Deus decreuerat, quod ad vocem Christi & ad tactum manus efficerentur miracula, & hoc, vt dixi, proueniebat ex dignitate vnionis.

Tertiò obiic. quia hæc causalitas physica est possibilis, & est dignitas Christi, ergo illi tribuenda. Respondeo negando esse possibilem, nam implicat quod aliquid influat in effectum, & non habeat virtutem ad influendum, nam est esse causam & non esse causam; causa quia influit, non est causa, quia non habet virtutem, nam sicut Deus non potest eleuare muscam ad intelligendum, quia nullam inchoatam virtutem habet, ita neque humanitatem ad causandam gratiam, &c.

Obiic. quartò, ignis inferni agit physicè in spiritum cum quo non habet proportionem, ergo humanitas Christi poterit physicè causare gratiam. Respondetur ignem agere, vt obiectum disconueniens, vt Tractatu de Angelis explicui, cum Scoto in 4. dist. 44. quæst. 2.

Quintò obiic. phantasma est corporeum, & simul cum intellectu agenti concurrit ad producendas species intelligibiles, quæ sunt spirituales, ergo humanitas etiam poterit concurrere ad effectus spirituales. Respondeo quod species intelligibilis causatur à phantasmate veluti ab obiecto & gerente vicem illius, siquidem est similitudo eius, cum ergo non sit inconueniens, quod intellectus Angelicus, cum obiecto corporali, causet speciem spiritualem illius; ita neque erit inconueniens, quod etiam causetur à phantasmate In quo sensu venit intelligendus Scotus in 2. dist. 3. quæst. 11. §. *ad rationes*, littera, H, dicens, quod agens corporale partiale, & minus principale potest agere in spiritum, nam loquitur de actione obiectiua.

Ex quibus constat, quod humanitas Christi respectu gratiæ tantùm est causa moralis, non physica, nam est per modum meriti & meruit gratiam Patribus antequàm humanitas existeret in rerum natura, & effectus physicus nequit esse sine causa physica existente, in quo nobiscum conuenit Lorca citatus num. 14.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Vtrum Christus, vt homo, habuerit omnipotentiam ad executionem propriæ voluntatis?

CLARIVS quæritur vtrum voluntas Christi semper fuerit adimpleta. Suppono ex Diuo Thoma, quæst. 13. art. 3. humanitatem Christi secundum propriam suam naturam, non habere omnipotētiam circa suum corpus: nam eiusdem est rationis cum nostra, & nostra non habet illam, benè tamen vt instrumentum diuinitatis, & hoc modo potuit ambulare super aquas, non per qualitatem aliquam, vt obiter quidam ex nostris dixit, nam illam reiicit Scotus in 4. dist. 49. quæst 14. littera, G, vt dixi Tractatu de Beatitudine corporis. Neque obstat quod anima Christi erat beata, nam corpus erat passibile ex dispensatione Dei, & ita secundum propriam naturam, subiectum erat fami & siti, &c. suppono etiam quod miracula facta circa corpus Christi in Transfiguratione, Resurrectione, &c. facta fuerunt ab anima ipsius, vt Diuinitatis instrumento, imò corpus, quod vnitum erat in triduo Diuinitati, satis probabile est esse instrumentum Resurectionis, vt docet Suarez 3. parte, tomo 2. disp. 50. sect. 4. in quo displicet Montessinos dicens, quod esset instrumentum ad corruptionem sui, nam licet maneat idem corpus suppositaliter, non tamen formaliter, nam mihi est valdè difficile credere non esse idem corpus mortuum ac est viuum, de quo dixi primo de generatione, & dicitur Tractatu de Eucharistia.

Suppono tertiò voluntatem esse duplicem, efficacem & inefficacem, seu simplicem affectum. efficax est quæ habet effectum, vel est in ordine ad executionem effectus; inefficax non respicit executionem effectus, sed tantùm obiectum secundum se, qua ratione vult Deus omnes homines saluos fieri, & hanc voluntatem non vocamus conditionatam ex parte obiecti, quia fertur in obiectum sub aliqua conditione, Vasquez nunquam vult vocare conditionatam, de quo alibi. Difficultas est de efficaci.

Et suppono quartò voluntatem efficacem Christi, qua voluit aliquid efficere per seipsum, semper fuisse adimpletam: tantum est difficultas an etiam fuerit adimpleta in his, quæ voluit fieri per alios.

Prima sententia ait, non semper fuisse adimpletam. Ita Vasquez disp. 58. cap. 2. Hurtado disp. 9. diff. 5. Communis sententia docet semper fuisse adimpletam; Sic Lorca disp. 54. Ragusa disp. 103. Montessinos, &c. Probatur ex Augustino quæst. 77. noui Testamenti, impossibile est Saluatorem voluisse, id quod non est adimpletum, nec potuit velle, id quod fieri sciebat non debere.

Ratione probatur, quia Christus non poterat velle aliquid inordinatè & imprudenter, sed Christus cognoscebat omnia futura libera, saltem scientia beata; ergo si efficaciter volebat, quod non erat futurum, imprudenter & inordinatè vellet, ergo quod non est adimpletum non voluit efficaciter. Respondet Vasquez, quod multa vult Christus efficaciter ad ostensionem voluntatis humanæ, quæ tamen non adimplentur. Sed contra, quia ad hoc sufficiebat velle inefficaciter, sicut inefficaciter voluit recusare mortem propter eandem rationem.

Secundò probatur ex sexta Synodo, actione 17. dicente voluntatem humanam Christi semper fuisse conformem

diuinæ, sed si Christus efficaciter volebat, quæ cognoscebat Deum non velle efficaciter, esset illi contrarius, ergo dicendum est, quod omnia quæ Christus volebat efficaciter, fuerunt adimpleta. Respondet Vasquez num 15. quod non est contrarietas inter voluntatem Dei & Christi, nam quod Deus sub vna ratione vult, Christus sub alia ratione non vult, quod non est contrarietas. Sed contra, quia saltem est relucttatio in voluntate Christi quæ non fuit in eo voluntate efficaci, vt definitum est ibi contra Monothelitas.

Sed obiicit Vasquez Marci 7. vbi dicitur Christum in Tyro voluisse se occultare, & non potuisse, & hoc efficaciter voluit, siquidem posuit media. Rursus de illo quod quis inefficaciter vult, non dicitur quod voluit, & non potuit, vt dicitur de Christo loco citato. Respondeo cum Suarez, disp. 31. sect. 9. & disp. 36. sect. 5. Lorca citato & Montess. hanc voluntatem non esse efficacem, sed inefficacem, quæ inefficax etiam ponit media, nam Deus ex volũtate inefficaci, qua vult omnes homines saluos fieri, dat auxilia sufficientia: imò secundum Vasq. ex eadem voluntate inefficaci, dat prædestinatis auxilia efficacia: Christus in nostro casu posuit media sed inefficacia; tamen dicitur quod non potuit latere, quia fuerunt media ordinaria & sufficientia ad latendum, & qui ponit talia media, si non consequitur effectum, dicitur verè de illo quod voluit, & non potuit, etiam si omittat medium extraordinariũ, quod si posuisset consequeretur effectum; sicut filius qui volẽs Patris salutem conuocat Medicos, & præstat cætera ordinaria; si pater moriatur, verè dicitur quod non potuit consequi patris salutem, etiamsi non apposuerit medium extraordinarium, vt adducere Medicum ex longinquo: media à Christo posita, in alio homine inferrent intentionem efficacem finis, in Christo non, quia cognouit inefficaciam illorum. Imò hoc argumentum etiam militat contra Vasquez, nam ait potuisse Christum ponere media quibus lateret, & noluit, quia voluit alium finem oppositum, scilicet intrare in ciuitatem eo tempore quo intrauit. Hæc Lorca, qui optimè refutat Vasquez.

Obiicies secundò; Nam Agatho Papa ex sexta Synodo act. 4. ex loco citato Marci, probat in Christo fuisse voluntatem humanam à diuina distinctam, quia voluit aliquid quod non est factum, & ad hoc quod argumentum habeat vim, debet esse sermo de voluntate humana efficaci, nam voluntas inefficax, etiam Dei, non impletur. Respondeo primò, quod etiam si decreta Conciliorum infallibilia sint, non tamen omnia argumenta illorum sunt efficacia. Resp. 2. quod etiam si voluntas sit inefficax, argumentum Concilij habet vim, nam si illa voluntas esset diuina, adimpleretur, nam Christus voluit se occultare, quantum erat ex viribus suæ naturæ, & quia erat natura limitata, consequi non potuit: quod si esset diuina, adhuc sub illa conditione adimpleretur, quia suis viribus id consequi poterat, & ita optimè colligit Agatho esse humanam, siquidem suis viribus non potuit latere.

Tertiò obiic. si aliquid obstaret vt hæc voluntas esset efficax, maximè quia versatur circa impossibile, nam posito decreto quod Christus non lateret, impossibile erat latere, sed circa impossibile non absolutè, sed ex suppositione, datur voluntas efficax, ergo. Probatur nam facta Petro reuelatione trinæ negationis, erat impossibile ex suppositione non negare, & tamen tenebatur non negare, ergo. Respondeo, quod etiam si sit impossibile ex

ſuppoſitione, dummodo vt impoſſibile cognoſcatur, non poteſt terminare actum efficacem, vt docet Scotus in 2 diſt. 6. quæſt 1. §. *ad argumenta*, vt dixi Tractatu de Angelis; & ita Petrus non potuit velle efficaciter non negare, benè tamen inefficaciter; & ita voluit Chriſtus non latere, nam ſi vellet efficaciter, poneret media efficacia, quia poterat ponere, ergo ſi non poſuit, erat, quia efficaciter non volebat.

DIFFICVLTAS QVARTA.

Vtrum Chriſtus, vt homo, fuerit Rex temporalis & Dominus vniuerſi?

CONVENIVNT Doctores Chriſtum eſſe Regem, & habere dominium indirectũ totius vniuerſi temporalis, prout hoc deſeruit regno ſpirituali, vt dicitur de Papa Tractatu de poteſtate Papæ, nam omnia temporalia ſubordinantur ſpiritualibus, & Chriſtus erat Rex ſpiritualis totius Eccleſiæ, vt definitur in Trid. ſeſſ. 6. cap. 21. colligitur ex Iſaiæ 33. *Ipſe enim eſt legifer noſter*, nam propter vnionem poterat leges condere pro tota Eccleſia quam ſanguine ſuo acquiſiuit. Difficultas tantùm eſt de regno directo temporali.

Prima ſententia negat, ita Bellarminus lib. 5. Pontificis cap. 4. Valentia quæſt. 22. puncto 6. Becanus cap. 24. ſecuti Victoriam & Medinam.

Vera ſententia affirmat eſſe Dominum & Regem. Ita Diuus Antoninus, Vualdenſis, Molina tomo 1. *de Iuſtitia* Tractatu 2. diſp. 28. Suarez diſp. 48. Vaſq. diſp. 87. Lorca diſp. 83. Raguſa & Hurtado, &c. Probatur primò Apoc. cal. 9. *Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Et Actorum 10. *hic eſt omnium Dominus*, quæ niſi violenter exponantur, intelligi non poſſunt, niſi de regno temporali directo. Ratione probatur, nam ſicut ratione vnionis erant humanitati debitæ, ſaltem debito congruentiæ, omnes perfectiones ſpirituales; ita & omnes morales, corporales, vt obedientia, reuerentia, poteſtas, & imperium, & omnia quæ non implicant, & ponunt perfectionem in Chriſto.

Prima ſententia obiicit, primæ Ioan. 18. *regnum meum non eſt de hoc mundo*. Reſpondeo, quod ſolùm negauit Chriſtus vſum, non dominium, propter quod dixit *de hoc mundo*, non dixit *in hoc mundo*, id eſt, non habeo regnum, vt habent alij Reges qui habent Miniſtros & Satellites; propter quod addidit; *ſi de hoc mundo eſſem, Miniſteri mei certarent*. Eumdem vſum negauit, quando dixit Lucæ 12. *Quis me conſtituit Iudicem inter vos?*

Secundò obiic. quia nullo iure fuit Rex; non iure hæreditario, neque electione, nec bello, neque Dei inſtitutione, quia non conſtat, ergo nullo modo fuit Rex. Reſpondetur, quod hoc habuit titulo vnionis ad Verbum, quod eſt excellentius jus.

Tertiò, quia ſi non habet vſum, fruſtra fuit tale dominium. Reſpondeo negando eſſe fruſtraneum, ſicut ſi Princeps nollet habere vſum regni, ius non eſſet otioſum, potiùs eſſet heroica virtus præcipue humilitatis. Inſtabis, maior virtus eſſet abdicare etiam dominium. Reſpondeo primò, Chriſtus non potuit abdicare dominium, nam hoc fundatur in vnione, quam non potuit abdicare. Secundò in nobis perfectiùs eſt abdicare dominium, quia hæc impedit affectum cum Deo, at verò in Chriſto non impediebat.

Quartò obiic. Chriſtus reliquit Papæ omne dominium, quod habuit in terris, ſed Papa non habet dominium directum, ergo neque Chriſtus habuit. Reſpondeo negando antecedens, nam

tantùm reliquit Papæ dominium ſpirituale, & hoc limitatum, nam Papa non poteſt inſtituere Sacramenta.

Obiic. quintò, ſequeretur quod nato Domino extingueretur omne regnum aliorum Regum, cum duo Reges in ſolidum nequeant eſſe eiuſdem regni, vel ſequeretur quod Reges ſint Chriſti Vicarij, quod eſt fictitium. Reſpondeo negando ſequelam, nam dominium Chriſti erat ſuperioris ordinis, ſicut eſt dominium Dei, nempè vniuerſale, quod non excludit particularia, poterat tamen tanquam ſupremus Dominus mutare Reges ad libitum.

Dubitabis primò, an Chriſtus habuerit verum dominium omnium poſſeſſionum: de dominio vniuerſali, & excellentiæ eſt ſermo, ſicut dixi de regnis, circa quod, prima ſententia negat, ita Medina quæſt. 59. art. 4. Vaſquez citatus, cap. 6. Hurtado diſp. 19. diffic. 11.

Vera ſententia affirmat, ita Suarez & Lorca citati, Raguſa diſp. 24. Cabrera diſp. 21. art. 1. quod poteſt probari, quia Chriſtus arefecit ficulneam alterius Domini, & alia huiuſmodi. Sed quidquid ſit de hac probatione, nam poterat hoc facere, vt Deus, & non vt homo. Probatur, quia ſicut Chriſtus ratione vnionis habuit dominium ſuper omnia regna, ergo & ſuper omnes poſſeſſiones, & ita Auctores vtrumque negant, vel affirmant præter Vaſquez & Hurtado. Reſpondet Vaſquez quod eſt diſcrimen, nam dominium poſſeſſionum non eſt connexum cum dominio regni, quia Rex non eſt dominus ſingularum poſſeſſionum. Sed optimè redarguit Lorca, nam argumentum non eſt à connexione, ſed à paritate, nam ſi ratione vnionis eſt Dominus excellentiæ regnorum, ergo & poſſeſſionum.

Prima ſententia obiicit Extrauagantem Ioannis 22. *inter nonnullos*, & Extrauagantem, *quia quorundam, de verborum ſignificatione*, vbi definitur Chriſtum habuiſſe dominium aliquarum rerum, ergo non omnium. Reſpondetur, vt ſemel & iterum dixi explicans cap. 6. noſtræ regulæ, quod Papa non loquitur de dominio excellentiæ ratione vnionis, ſed de dominio humano particulari, de quo erat controuerſia. Legatur noſter Corduba in cap. 6. regulę, quęſt. 1. §. *ad quartum argumentum*, & §. *ideo tertio.*

Secundò obiic. quia lege, *vt certo* §. *ſi duobus* ff. *commodati* decernitur eiuſdem rei non poſſe eſſe duos dominos in ſolidum, ergo, &c. Reſpondeo hoc etiam probat de regnis contra aduerſarios. Reſpondeo ſecundo, de duobus Dominiis particularibus loquitur Iuriſconſultus, non vero ſi alterum ſit vniuerſale & excellentiæ. Tertiò, reſpondetur, quod non poteſt eadem res eſſe æqualiter in vtilitatem duorum ſimul, non tamen negat quod poſſit eſſe duplex dominium eiuſdem rei, nam Princeps iure hęreditario & titulo belli ſolet habere idem regnum.

Dubitabis ſecundò, an Chriſtus ſpeciali titulo fuerit Rex Iudæorum. Prima ſententia affirmat, ita Armachanus lib. 4. de quæſtionibus Armenorum cap. 15. Baconius in 4. quæſt. 1. prologi art. 2. Burgenſis in caput primum Mathęi.

Secunda ſententia, negat & merito, ita Victoria, Sotus, Abulenſis, Almainus, Medina, Vaſquez, & Raguſa, Lorca diſp. 38. memb. 1. Hurtado diff. 11. &c. Et probatur, quia non erat Rex ex electione, vt conſtat, imo conſtat fugiſſe, Ioan. 6. cum vellent eum in regem rapere: neque bello, vt patet: neque iure hæreditario, quod probat Raguſa & alij, quia regnum Iuda ablatum fuerat à familia Dauid, nam fini-

rum fuit in Iechonia, vt colligitur Hierem. 22. sed hoc optimè reiicit Lorca, propter quod aliter probatur; Nam tale regnum ex electione populi, & permissione Dei translatum fuit ad Machabæos, vt patet primo Machabæorum cap. 14. & licet Machabæi fuerint ex progenie David per originem maternam, vt tradunt Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, &c. secundum originem paternam erant ex genere sacerdotali & Tribu Leui, tamen Christus non descendit ex eis, neque descendit ex origine eorũ, qui ante Machabæos obtinuerunt principatum, nam Virgo Maria non descendit ex Dauide per lineam Salomonis, sed per lineam Nathan qui fuit alter filius Dauid, vt patet Lucæ tertio, & licet Sanctus Ioseph descenderit ex Dauide per lineam Salomonis, non fuit pater Christi, nec naturalis, nec adoptiuus, quia hoc non constat; & licet esset adoptiuus, non erat sufficiens, vt succederet in regno, cum existerent legitimi descendentes ex Salomone, tantùm Ioseph fuit pater putatiuus.

Prima sententia obiicit, Lucæ 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid*, & Matth. 27. interrogatus Christus, *tu es Rex Iudæorum? respõdit tu dicis.* Respõdeo in his & aliis locis, vbi dicitur Christus Rex Iudæorum, sermo est de regno spirituali, in quod fuit translatum regnum temporale Dauid Patris sui: Nam ita explicant Patres sacram Scripturam, quando dicit Christum successurum in regno Patri suo Dauid, nam intelligere de regno temporali est sensus Iudaicus, & constat; Nam etiam Hieremiæ 13. dicitur, *& regnabit Rex*, & tamen Christus temporaliter non regnauit, benè tamen spiritualiter.

Secundò obiic. ex primo Machab. cap. 14. vbi dùm Principes Iudæorum elegerunt Simonem Machabæum in Principem Sacerdotum, vt hæc dignitas in eius familia perseueraret, addiderunt, *donec surgat Propheta fidelis*, id est, Messias, ergo sentiebant Messiam futurum esse hæredem regni. Respondeo, quod non adddiderunt existimantes Messiam iure hæreditario, aut alio peculiari titulo futurum esse Regem temporalem Iudæorum, sed tantùm, vt significarent electionem Simonis & posteritatis eius, fieri tantum quo vsque Messias, aut alius Propheta fidelis declararet voluntatem Dei erga illam dignitatem.

DIFFICVLTAS QVINTA.

Vtrum Christus fuerit Sacerdos, & qualis?

CHRISTVM verè & propriè fuisse Sacerdotem est de fide, Psal. 109. *tu es Sacerdos in æternum.* Definitur in Trid. sess. 22. Can. 1. & 2. & hoc non solum quoad dignitatem, sed quoad vsum. Patet ad Ephes. 5. *tradidit semetipsum pro nobis oblationẽ & hostiam Deo, &c.* Vnde, non tantùm fuit Sacerdos, sed hostia, & sacrificium, nam hoc consistit in actione qua res aliqua occiditur, in signum & protestationem, quod Deus est auctor vitæ & mortis, quæ actio debet esse in cultum Dei deputata, & nulli alteri accommodata; sed Christus in sua morte hanc fecit actionem cruento modo, & in Cœna incruento, sacrificando se sub speciebus panis & vini, ergo simul est Sacerdos & hostia.

Obiicies primò, sacrificium habet proprium locum destinatum, scilicet templum, & in templo specialem locum, vt in altari, sed hoc non fuit in Christi morte, ergo neque sacrificium. Respondent Vasquez & Hurtado, cum Hieronymo, Fulgentio, Epiphanio,

phanio, humanitatem Christi esse templum, quia in illa, tanquàm in templo viuo, facta est mactatio; & etiam esse altare, quia ipsa fuit sanguine aspersa, quod conueniebat altaribus veteris testamenti. Respondet Lorca, & fortè propriùs, & sine metaphora; quod altare fuit crux, quæ vocatur ara à Tridentino sess. 22. cap. 1. secuto plures Patres qui ita loquuntur; templum fuit vniuersus mundus, quia sicut sacrificium fuit pro omnibus, ita templum fuit vniuersum, & fortè propter hoc passus est extra portam ciuitatis, & non in speciali domo.

Secundò obiic. munus sacerdotis est mactare victimam, sed Christus se ipsum non occidit; sed aliorum manibus fuit occisus, &c. Respondeo hoc non esse necessarium, sicut nec fuit in lege veteri, sufficit quod moraliter concurrat ad mortem, scilicet se voluntariè offerendo. Sed instabis, ergo martyres vltrò se offerendo, sunt sacerdotes & sacrificium. Respondeo negando sequelam, nam non obtulerunt suam vitam, vt faterentur Deum esse auctorem vitæ & mortis, ex virtute religionis, sed ex fortitudine & charitate, ne quid committerent contra legem Dei; & licet sua mors sit sacrificium, non tamen sunt sacerdotes, nam ad hoc requiritur, quod fiat in cultum Dei ex diuina & publica institutione, & per ministrum ad id deputatum.

Dubitabis primò, an sacerdotium etiam sibi profecerit? certum est Christum meruisse sibi gloriam sui corporis, & participasse actui minus præcipuo sacerdotij, vt est oratio, nàm pro se orauit, ad Hebræos 5. *exauditus est pro sua reuerentia.* Sed dubium est an sibi profecerit in ratione sacrificij & impetrationis, obtinendo id pro quo offertur, Vasquez disp. 84. cap. 2. negatiuè respondet. Nobis dicendum est sacrificium Christo profuisse, sicut etiam sibi meruit, non tamen dicendum est Christum pro seipso sacrificium obtulisse, sicut non dicitur Christus pro se mortuus. Ita Suarez, Cabrera, Ragusa, cum sancto Thoma, Lorca disp. 82. Hurtado disp. 19. diff. 8. Ratio est, quia quod præcipuè intenditur in sacrificio, est ratio expiationis, & ab hoc denominatur præcipuè, non à fine impulsiuo, vt fuit ratio gratificatorij, ergo cum hoc solum conueniat Christo, non primum, absolutè non est dicendum Christum pro se obtulisse sacrificium, etiam si dicatur sacrificium illi profuisse.

Pro quo noto quod sacrificium est duplex, vnum expiatorium, id est, oblatum ad placandum Deum pro nostris peccatis; alterum gratificatorium, id est, oblatum Deo pro beneficiis acceptis. Secundò noto quod in sacrificio duo reperiuntur, primum est mactatio hostiæ oblatæ, qua significamus omnes debere occidi pro nostris peccatis, & in hoc consistit expiatorium, & hoc non profuit Christo: secundum est abdicatio dominij illius hostiæ, qua abdicatione confitemur Deum esse Dominum omnium rerum, & ab eo accepisse omnia, & in hoc consistit gratificatorium, & hoc profuit Christo, nam se obtulit in gratiarum actionem.

Obiicit Vasquez Concil. Ephesinum to. 1. c. 14. dicens Christum non obtulisse pro seipso. Respondeo verum esse de sacrificio expiatorio, nam reddit rationem, quia peccato caruit. Secundò obiic. Christus non habuit præceptum sacrificandi se pro se ipso, sicut nullus vsquam habuit, vt ex sacra Scriptura constat; neque potest quis se occidere, nisi præcepto Dei. Respondeo quidquid sit de præcepto, de quo capite sequenti, non est necessarium, sufficit reuelatio Dei, vt fortè fuit in Samsone, & in sancta Apollonia.

Rursus Christus non se occidit, sed vltro se obtulit. Secundò respondeo, quod sicut Christus habuit præceptum moriendi, ita potuit habere gratias agendi.

Tertiò obiic. Christus non assumpsit carnem vt gratias ageret, ergo sacrificium eius ad hoc non profecit Christo. Respondeo, neque etiam assumpsit carnem, vt haberet gloriam corporis, & illam meruit, & sicut illa fuit finis impulsiuus, ita in nostro casu gratiarum actio.

Circa secundum quod inquiritur, scilicet circa qualitatem, dubitabis primò, an Christus fuerit Sacerdos, vt Deus aut vt homo? dico quod secundum vtramque naturam, ita vt substantia actionis proueniat à natura humana, dignitas illius à personalitate Verbi, de quo latè dixi cap. 14. difficult. 6.

Dubitabis secundò, qua ratione dicatur Christus sacerdos in æternum. Respondent Valentia disp. 1. puncto 4. Ragusa disp. 22. quia sacrificium illius duraturum est vsque in finem mundi. Medina, Suarez, cum sancto Thoma, quæst. 22. art. 5. Vasquez disp. 85. &c. dicunt quia duraturum est pro æternitate Dei.

Sed media via incedendo dico, quod si sumatur pro dignitate sacerdotali, duraturũ est pro Dei æternitate. Probatur ad Heb. 7. *Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Et probatur, nam sacerdotium fundatur in vnione quæ in æternum duratura est, non dico quod potestatem transsubstantiandi habeat Christus ex vi vnionis, nam illam solum habet ex Dei voluntate; sed quod fundatur in illa, quia ita congruum est. Si verò sumatur pro vsu sacrificij, non est duraturus pro æternitate Dei, sed vsque in finem sæculi, quod in sacra Scriptura dicitur in æternum, nam licet modo Christus non sit in hac vita, quotidiè vt principale offerens cum Sacerdotibus offert, & hoc fortè vult Trid. sess. 22. cap. 1. *Quia tamen per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat, vt visibile relinqueret sacrificium, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, & successoribus vt offerrent, præcepit.*

Obiicies ad Heb 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur. Vnde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat*, ergo si finitur sacrificium in fine sæculi, ergo & sacerdotium Christi. Et confirmatur, quia nostra dignitas sacerdotalis non destruitur cum morte, sed tantum vsus, & non dicitur in æternum duratura, quod tantùm dicitur de sacerdotio Christi. Respondent Vasquez & Hurtado, quod tantùm vult Paulus, quod sacerdos debet habere aliquid quod offerat, non quod semper habeat quod offerat, & colligitur, nam cap. 7. ait loquendo de sacerdotibus Leuiticis, *Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcircò quod morte prohiberentur permanere; hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium: Vnde & saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Vbi dicitur quod sacerdotium Christi est æternum, non verò nostrum, quia Christi fundatur in vnione, quæ semper permanet & est veluti naturale; at verò nostrum prouenit ab accidentaria ordinatione, & finitur in fine vitæ, quia sine ministerio est frustraneum, nam habitus sine vsu non ponitur in Beatis, præcipuè secundum Scotum, benè tamen potentiæ nutritiæ, &c. vel quod pertinet ad esse naturale. Addo quod Christus in cœlo, vt noster sacerdos, orat pro nobis, quæ est actio sacerdotis, nos verò etiam si-

in patria oremus, non vt sacerdotes, & vt vniuersale Caput, sicut Christus. Addo secundò, cum Medina quæst. 22. art. 5. quod Christus in gratiarum actionem, in æternum se offeret Patri, & ita est Sacerdos in æternum.

Dubitabis tertiò, vtrum Christus fuerit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech? Et suppono Melchisedech fuisse purum hominem & Regem, Gen. 14. & verum Sacerdotem ad Heb. 5. & 7. eo genere Sacerdotij, quod erat in lege naturæ, sine aliqua speciali ceremonia, nam hæc fuit ex Dei auctoritate instituta in lege, & in cœpit ab Aaron Prone pote Leui.

Hoc supposito certum est primò, Christum non fuisse Sacerdotem Leuiticum, seu veteris testamenti ad Heb. 7. *qui non secundum legem mandati carnalis, factus est*; id est, *Sacerdos*, & ratio est, quia Christus non erat de Tribu Leui cui reseruatum erat sacerdotium, sed ex Tribu Iuda, propter quod nullum gradum habuit, neque Lectoris, vt falso existimauit Vualdēsis, nam si aliquando legerit in Synagoga, Lucæ 4. fuit, quia hoc erat permissum cuilibet erudito, licet non ordinato, sicut etiam Paulus legit in Synagoga Antiochiæ, Act. 13. qui nullum ordinem habuit, quippè non ex Tribu Leui, sed ex Benjamin erat. Dices Christus Matth. 21. *erat eiiciens è templo ementes & vendentes*, &c. Respondeo quod illos eiecit, non quia habebat Ordines, sed auctoritate Doctoris & Prophetæ: Et patet, nam si haberet Ordines, nō interrogarent eum Pharisæi in qua potestate id faceret.

Certum est secundò, fuisse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, ad Heb. 5. & 6. &c. non quia fuerit Sacerdos ritu Melchisedech, sed quia hic fuit figura Christi, quo ad ea in quibus sacerdotium Melchisedech fuit excellentius Leuitico, & ita Christi sacerdotium fuit assimilatum sacerdotio Melchisedech in pluribus, vt docet Paulus ad Heb. 7. primò, quia Melchisedech fuit excellentior Sacerdos Leuiticis, quia benedixit Abraham & omni Tribui Leui in Abrahamo contentæ, & ab illo accepit decimas quasi superior; Ita Christi sacerdotium fuit excellentius Leuiticis. Secundò, quia Melchisedech semel tantùm sacrificauit; sic Christus, nam Eucharistia non est distinctum sacrificium à sacrificio cruento crucis, sed repetitio mystica illius. Tertiò, quia sicut Melchisedech fuit simul Sacerdos & Rex Salem, id est, pacis, & Rex iustitiæ; Ita Christus fuit nobis iustitia, sanctificatio, &c. Et Rex pacis, Isaiæ 9. Quartò, quia Melchisedech fuit sine patre & matre, quia de illis nihil refertur in sacra Scriptura, sicut neque de fine vitæ illius; & ita figuratur Christi æternitas & modus conceptionis præter ordinem naturalem. Quintò, quia Melchisedech obtulit panem & vinum, quod existimo esse de fide, ex Trid. sess. 22. cap. 1. & Genes. 14. *Melchisedech proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei, benedixit ei*: in quo figurauit sacrificium Christi, quod offertur in Eucharistia sub speciebus panis & vini.

Contra hoc quintum obiiciunt hæretici, dicentes Melchisedech non obtulisse panem & vinum, nam aiunt quod sacra Scriptura nō dicit offerens, sed proferens, quæ diuersa sunt, nam proferre est in medium educere, quod fecit Melchisedech ad refectionem Abrahæ, & sociorum venientium è prælio. Respondeo quod Patres & Rabini, quos Vasquez disp. 86. cap. 3. & Ragusa referunt, legunt, *obtulit*: & colligitur ex illa parenthesi, *erat enim Sacerdos Dei*, & ita potius Melchise-

dech obtulit panem & vinum in cultum Dei, & in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ, quàm in refectionem.

Secundò obiic. quod Paulus ad Heb. 7. qui accuratissimè explicat ea in quibus Melchisedech figurabat Sacerdotium Christi, non meminit panis & vini. Respondeo quod non meminit, quia suæ intentioni non deseruiebat, nam tantùm intendebat ostendere Sacerdotium Christi esse excellentius Leuitico, ea similitudine Sacerdotij Christi cum Melchisedech Sacerdotio: Sacerdotium autem Melchisedech offerentis panem & vinum, non excellebat Sacerdotium Leuiticum offerens animalia, & ita eius non meminit.

CAPVT DECIMVM-NONVM.

De attributis conuenientibus Christo in ordine ad Deum.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum Christus, vt homo, fuerit filius Dei naturalis, vel adoptiuus?

SVPPONO duplicem esse filiationem; vnam naturalem quæ est *origo viuentis à viuente in similitudinem naturæ*, & ita Christum, vt Deum esse filium Dei naturalem, est de fide: & etiam certum est, quod Christus est filius Dei naturalis per communicationem idiomatum: alteram esse adoptiuam, ad quam filiationem aliquæ conditiones requiruntur. Prima est quod persona, quæ adoptatur, sit extranea, id est, non habens ex natura sua ius ad hæreditatem, ad quam adoptatur, id est quod non sit filius naturalis. Secunda quod talis adoptio fiat gratis, nam si fiat titulo oneroso, non adoptio, sed venditio erit, quæ conditiones reperiuntur in iure *ff. de adoptionibus*. Tertia est, vt intercedat consensus adoptantis, & adoptati, & huius expressus, si adultus est, si vero non sit adultus & sub tutela alterius, desideratur cōsensus adoptati & Tutoris; si verò est infans, sufficit consensus Tutoris. ita in lege *infantes ff. de adoptionibus.* vnde adoptio humana sic definitur, *est gratiosa assumptio ad hæreditatem personæ aliàs extraneæ.* Ex quibus colligitur, quod sanctificatio per gratiam habitualem, est in hominibus & Angelis adoptio in filios Dei, ita Trident. sess. 6. cap. 4. & ad Rom. 8. *accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.*

Dices, quod aliæ conditiones requiruntur in adoptione humana, quæ non reperiuntur in gratia, & ita hæc non erit adoptio. Prima est, quod adoptatus non habeat esse ab adoptante. Secunda, quod adoptatio fiat in solatium adoptantis. Tertia, quod filius adoptiuus non succedat in hæreditatem, nisi post mortem adoptantis. Quarta, quod adoptio nihil reale ponat in adoptato. Respondeo, quod omnes hæ conditiones sunt accidentariæ adoptioni, tantùm tres priores sunt essentiales; & patet, nam prima tantùm requiritur, vt inueniatur extraneitas in adoptato respectu hæreditatis, quod inuenitur etiam si ab illo procedat, vt creatura quæ à Deo procedit. Secunda etiam est per accidens, cum leges permittant, vt habens filium naturalem adoptet extraneum. Tertia & quarta proueniunt ex imperfectione adoptionis humanæ. Tertia, quia nequit eadem res à duobus possideri, de quarta patet.

Petes primò, an iustus præscitus, sit filius Dei adoptiuus. Negatiuè res-

pondent Gabriel in 3. dist. 10. art. 1. Et Almainus, quia non est adepturus hæreditatem Dei: sed decipiuntur, nam adoptio in sola iustificatione consistit, & ita iustus à Deo pro tunc diligitur, etiam si aliàs sit reprobus.

Petes secundò, an iusti qui præcesserunt aduentum Christi fuerint filij Dei adoptiui? Negatiuè respõdent Alensis 3. parte, quæst. 10 mẽb. 6. art. 5. Sotus in 4. dist. 2. quæst. 2. art. 4. quia non statim admittebantur ad hæreditatem. sed falluntur, vt docent Suarez & Aluarez, quæst. 23. art. 3. Vasquez disp. 88. cap. 2. Lorca, &c. Nam actu & perfectè erant Dei filij, cum actu haberent formam adoptantem, scilicet gratiam, & patet ex ad Rom. 9. *qui sunt Israelitæ, quorum est adoptio filiorum*.

Obiicies ad Rom. 8. vbi antiquis Patribus negatur Spiritus filiorum Dei, & illis tribuitur Spiritus seruitutis, & dicitur Christum venisse, *vt adoptionem filiorum reciperemus*. Respondeo hoc verum esse, quatenus erat ex lege exteriori, quia ex ea non iustificabantur, sed potius apparebant serui; non tamen loquitur Paulus de illis, vt ex auxilio gratiæ iustificabantur, nam vt sic, erant Dei filij intuitu meritorum Christi præuisorũ, & ideo dicitur venisse Christus, *vt adoptionem filiorum reciperemus*. Ex quo patet, quod licet adoptio Patri attribuatur, communis tamen est toti Trinitati, siquidem est opus ad extra.

His prælibatis circa præsentem difficultatem; Prima sententia dicit Christum, vt hominem, non esse filium Dei adoptiuum, sed naturalem. Sic Thomistæ cum sancto Thoma, 3. parte, quæst. 23. art. 4. Suarez disp. 49. Vasq. disp. 89. Lorca disp. 84. memb. 4. Pitigianus in 3. dist. 10. quæst. 1. art. 3. Faber disp. 23 qui num. 15. ait esse de fide, imprudenter tamen, cum oppositum, saltem probabiliter deffendat Scotus, qui Auctores inter se diuisi sunt: Nam Vasquez, Hurtado, Ragusa, qui dicunt Christum esse sanctum Deitate, dicunt esse filium totius Trinitatis. Valentia & Lorca, Montesi. &c. dicentes esse sanctum personalitate Verbi, dicunt esse filium solius Patris.

Secunda sententia docet Christum reduplicatiuè, secundum humanitatem esse filium Dei adoptiuum; Ita Durandus in 3. dist 4. quæst. 1. Bassolis, Lichetus, Tartaretus, Rubionus, & alij Scotistæ probabilem reputant. Ricardus dist. 10. art. 2. Rada 3. parte controuers. 5. art. 2. Hugo Cauellus, &c. tenet assertiuè, Scotus in reportatis in 3. dist. 10, licet verum sit, quod in sententiariis hoc loco problematicè loquatur. Nam ait §. *respondeo*, quod qui diceret filiationem esse præcisè suppositi (vt dicũt sanctus Thomas, & sanctus Bonauentura) faciliter posset dicere Christum non esse filium Dei adoptiuum; sed dicendo fundari in natura filiationem, esset adoptiuus, & hoc docet Scotus, nam fundari in supposito reiecit contra hos Doctores, dist. 8.

Obiicies, quod Scotus resoluit cum Magistro, in argumento, contra, quod Christus non sit filius adoptiuus; & respondet ad argumenta quæ probabant esse filium adoptiuum; ergo sentiebat Scotus Christum non esse filium adoptiuum. Respondeo quod Scotus, §. *respondeo*, problematicus est, & in reportatis assertiuè tenet esse filium adoptiuum: & §. *ad argumenta* versiculo *contra, ista negatio*, probat Christum esse adoptiuuum, & huic argumento, non respondet, sed potius dicit responsionem quære.

Secundò obiicies Scotum in 3. dist. 2. quæst. 1. §. *ad argumenta*, ante litteram, H, vbi ait, *nec conceditur, quod Christus sit filius Dei adoptiuus*. Respondeo primò, quod Scotus ait, *fortè*, & non assertiuè.

Secundò respondeo, quod absolutè non est ita dicendum, sed cum reduplicatione, scilicet *secundum quod homo*, & ita optimè ait Scotus. Tertiò respondeo, quod non erat necessarium concedere talem propositionem, vt argumento responderet Scotus, nam sufficiebat, quod alius homo esset filius Dei adoptiuus per gratiam, vt Scotus argumento responderet.

Prbat. nostra sententia ex Ireneo l.1. contra hæres. c. 21. *Propter hoc enim Verbum Dei homo, qui filius Dei filius hominis factus est, mixtus homo Verbo Dei, vt adoptionem percipiens, fiat filius Dei.* Et Marianus Victorinus libro *contra Candidum Arrianum*, tomo 4. Bibliothecæ, *Nos adoptione filii, ille natura etiam & adoptione quadam filius & Christus, sed secundum carnem.* Et Hilarius 2. de Trinitate, *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.*

Respondet Lorca, quod vel Patres loquuntur de humanitate, vel quod Patres sunt nostræ sententiæ, ex quo colligitur, quod non sit contra fidem. Sed contra, quia Ireneus & Marianus de Christo in concreto loquuntur, & ita verum est, quod nostram sententiam tenuerunt, vt ait Lorca. Secundò respondent Vasquez & Hurtado, quod Patres impropriè loquuntur, & quod in Hylario non est legendum *adoptatur*, sed *adoratur*. Contra, quia voluntariè loquitur cum in tali locutione nulla sit impropriétas. Secundò, quia si legatur, *adoratur*, nullus est sensus, vt patet, ergo, vt Hilarius aliquid dicat, legendum est, *adoptatur.*

Secundò ratione Scoti probatur, si Christus secundum humanitatem non est filius adoptiuus, maximè, quia talis natura non est extranea, sed hoc est falsum, nam ad hoc supposita vnione, est extranea, quia non habet ius ad hæreditatem, cum vnio non sit sanctitas, vt dixi cap. 11. diff. 2. sed hoc habet à gratia, & ex pacto Dei, vt dixi Tractatu de Iustificatione; ergo non est vnde Christo repugnet adoptio. Respondent, quod saltem tale ius est radicaliter in vnione, nam propter vnionem, saltem de congruo, est Christo debita gratia. sed contra, quia homini supernaturaliter contrito, debetur etiam de congruo gratia, & tamen gratia illi datur gratis; nam primum auxilium, quo contritio elicitur, gratis datur, & tamen gratia constituit filium Dei adoptiuum; ergo etiam si vnioni debeatur gratia, cum vnio gratis detur humanitati, & non debeatur ex vi generationis humanitatis, constituit Christum adoptiuum.

Dices, quod vnio debebatur Christo, ex vi talis generationis, nempè sine Patre, & à Spiritu sancto: sed contra, quia hoc tantum est humanitatem miraculosè produci, sed etiam Adam modo supernaturali fuit productus; & tamen non debebatur illi vnio hypostatica, ergo neq; humanitati Christi miraculosè productæ. Secundò, secundum Diuum Thomam 1. parte quæst. 62. art. 6. Suarez, Vasquez, Caietanum, &c. & vt verum docui Tractatu de Angelis, Angeli disposuerunt se ad gratiam, & illis erat debita de congruo, & simul habuerunt illam, & tamen sunt filij Dei adoptiui; ergo etiam Christus, etiamsi per vnionem illi debita sit gratia, erit filius Dei adoptiuus.

Tertiò, probatur contra sanctum Thomam & Lorcam, si Christus est filius Dei naturalis secundum humanitatem, maximè quia filiatio est proprietas suppositi, sed hoc est diuinum, & filius Dei naturalis, ergo & Christus. Sed hæc maior est falsa, non tantum secundum Scotum, sed etiam secundum plures Thomistas. Probatur à Scoto dist. 8. nam hæc ratio supponit

duo: primum, quod actiones effectiuè sunt à supposito: secundum, quod relationes non multiplicantur nisi multiplicentur supposita, quod vtrumque est falsum. Primum, nam sequeretur in Christo non esse actiones humanas, sed omnes esse diuinas, siquidem à supposito diuino effectiuè procedunt. Ex secundo, sequeretur non esse in Christo duas filiationes; alteram æternam ad Patrem, alteram temporalem ad Matrem: Patet; nam solum est vnum suppositum. Rursus relatio ad Matrem esset æterna. Probatur, nam sicut ratione filiationis Verbi, Christus secundùm ipsos dicitur adhuc secundum humanitatem, filius Dei naturalis formaliter; ita propter eandem personalitatem æternam, dicetur filius æternus Virginis, & non dicet relationem temporalem sed æternam. Deinde sicut non repugnat, quod Christus secundum humanitatem, sit simul filius Dei naturalis, & filius Virginis, etiam si humanitas à Deo non sit genita; ita non repugnabit quod Christus sit secundum naturam diuinam filius Dei, & formaliter filius Virginis, licet diuinitas non sit à Virgine genita.

Secundò, ex tali fundamento sequuntur plura absurda. Primum, Christum vt hominem, non esse formaliter filium Dei, sed tantum extrinseca denominatione, & per communicationem idiomatum. Probatur, nam non est filius nisi ratione naturæ diuinæ & personalitatis, quæ non sunt in humanitate intrinsecè informando. Secundò, inquit Scotus, sequeretur Christum non posse dici filium Dei secundum humanitatem, vllo modo. Probatur, nam secundum hanc naturam, nulla filiatio illi competit, sed solum secundum personalitatem diuinam; at secundum Theologos prædicata quæ conueniunt Christo secundum vnam naturam, licet possint in concreto prædicari de illo, per communicationem idiomatum, non tamen cum reduplicatione prędicantur de opposita natura, verbi gratia, hæc est vera, *Deus est mortuus*, & hæc tamen est falsa, *Deus, in quantum Deus, est mortuus*, vel *Christus, in quantum Deus, est mortuus*. Deinde in Verbo, ratio filij, & ratio geniti est eadem adhuc formaliter, sed Christus, vt homo, non dicitur adhuc per communicationem idiomatum, genitus à Patre, æterna generatione; ergo neque filius Patris diuina & naturali filiatione.

Respondet Lorca, num. 47. quod hæc propositio, *Christus in quantum homo est filius Dei naturalis, reduplicatiuè, est falsa*, vera tamen specificatiuè, id est, *ille qui est homo, est filius naturalis Dei*, & tantùm in hoc sensu illam concedit. Sed contra, quia nos nihil aliud volumus. Deinde hæc personalitas Verbi, quæ tribuit in genere formæ ius ad hæreditatem, tribuet ad hęreditatem increatam, non ad creatam. Probatur, nam filius Dei naturalis habet ius ad hæreditatem increatam, & hoc tribuet humanitati.

Dices, quod humanitas est creata, & ita hæreditas erit creata. Contra, quia ius est increatum, scilicet personalitas Verbi; ergo hæreditas debet esse increata. Rursus ideò iustus non habet ius ad hæreditatem increatam, quia habet ius per gratiam creatam, & participatam, ergo qui habet ius per formam increatam, vt Christus, habebit ius ad hæreditatem increatam.

Quartò, si talis filiatio naturalis competit Christo per diuinitatem, vt volunt Vasq. & Ragusa, &c. vel per vnionem, vt ait Suarez, talis filiatio naturalis est inaudita, vt optimè notauit Faber, nam ad hac filiationem naturalem filius debet esse ex vi processionis similis in natura producenti; sed Chri-

stus secundum humanitatem non est similis in natura Deo, ergo non est filius. Secundò, quia si talis similitudo non requiritur, sed tantùm quod producatus non sit extraneus, & illi debeantur omnia bona producentis; sequeretur Spiritum Sanctum esse filium Patris & Filij, quod est hæreticum; nam omnia ista Spiritui sancto conueniunt. Tertiò, sequitur Christum esse filium totius Trinitatis, quod ipsi fatentur, sed est contra Concilium Toletanum vndecimum in Confessione fidei, dicens, *Christus Iesus nullo modo Spiritus Sancti filius credi vel intelligi potest.* Et addit Augustinus de Trinitate capite 10. *nec suus.*

Respondet Vasquez, quod loquitur Concilium de Christo, vt Deo; sed contra, quia loquitur de filiatione quæ Christo conuenit ratione Incarnationis, nam immediatè ait Concilium, *pro eo quod Beata Virgo Maria, eodem Spiritu Sancto obumbrante genuit.* Deindè sequeretur concedendos esse Christo duos Patres naturales, scilicet Patrem æternum, & totam Trinitatem, quod est contra Concilium, *ne duos Patres videamur concedere, quod nefas est dictu.*

Sed obiicit Vasquez, quod Concilium Francofordiense in Epistola Adriani, ex Matth. 3. *hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, probat Christum esse filium Dei naturalem, & cum dicat *complacui*, quæ est operatio essentialis totius Trinitatis, denotat esse filium totius Trinitatis. Respondeo quod non benè colligitur, nam non tantùm diceret filius meus, sed etiam aliarum personarum: neq; quod ly *complacui*, referatur ad omnes Personas, est ad rem, nam omnes Personæ complacent in generatione diuina Christi, vt dixi Tractatu de Trinitate, & de fide est quod solùm à Patre producitur Verbum.

Pro prima sententia obiicit Vasquez, cap. 6. dicens nostram, vt hæresim, damnatam esse, contra Felicem Episcopum Vrgelitanum, & Elipandum Archiepiscopum Toletanum, in Conciliis Ratisponensi & Francofordiensi, hoc sub Adriano Papa cõuocato. Hurtado tantum dixit esse notâ dignam.

Respondeo, & primò, non miror Vasq. Scotum cum Hæreticis inuoluere, qui semel & iterum inuoluit sanctos Patres, & ita cum hunc auctorem lego, sapientiam vt cumque video, pietatem & modestiam desidero: sententia nostra longe abest ab errore Elipandi, Felicis, &c. Nam isti Hæretici erant Nestoriani, qui ponebant in Christo duo supposita, vnum humanum, alterum diuinum. Ita noster Feuardentius lib. 3. aduersus hæreses, verbo *Christus*, Ioannes Aurelianensis, Diuus Antoninus 2. parte Historiæ, tit. 14. cap. 1. §. 6. Paludanus, Baronius, Mariana, &c. Et clarè colligitur, nam dum docuerunt Felix, & Elipandus adoptionem Christi, Ecclesia scandalisata fuit, & magna diligentia huic hæresi occurrit, congregando Concilia, & verbis ita acribus in eos inuehitur, vt nunquam legatur ita fecisse contra aliquos Hæreticos: è contrà verò, posteà multi Scholastici dixerunt, & modò dicunt, Christum secundum humanitatem esse filium Dei adoptiuum, & nunquam Ecclesia reclamauit, neque aliquis præter Vasq. & sequaces, censuram in illis inussit, ergo manifestum est, in diuerso sensu loqui Scholasticos, scilicet ponẽdo tantùm vnum suppositum, nimirum diuinum, ac loquuntur Felix & Elipandus, nisi Vasquez dicat nunc Ecclesiam sui ipsius esse oblitam, & minorem Spiritus Sancti assistentiam habere, vel fuisse negligentem, quod nefas est dicere.

Sed Vasquez damnans Catholicos, & excu-

& excusans hæreticos, intendit probare Felicem & Elipandum non posuisse in Christo nisi vnum suppositum, & hoc diuinum, ac per consequens non fuisse Nestorianos, arguit, nam ita sensit Alcuinus tomo 3. Bibliothecæ lib. 3. de Trinitate cap. 9. qui fuit illius temporis circa annum 783. *Christus cum Patre & Spiritu Sancto vnus est Deus, non nuncupatus, sicut Hispanica hæresis impia temeritate affirmare præsumpsit, asserens Dei filium in diuina natura Deum esse, verùm in humana nuncupatiuum; similiter & in diuinâ naturâ proprium filium Dei, & humana adoptiuum*; quibus verbis clarè constat, inquit Vasquez, quod non posuerit Elipandus duo supposita, sed vnum, quod esset filius naturalis & adoptiuus; & licet addat Alcuinus, *diuidens vnam personam filij Dei, cum Nestorio, in duas personas, id est, veri filii, & adoptiui*; ait Vasquez, non ideò dixit, quia existimaret Elipandum, cum Nestorio, vnam personam Christi, in duas diuisisse; sed hoc dixit, quia ex sententia Elipandi inferebatur. Respondeo, quod ex eo clarè colligitur impietas Vasq. nam Alcuinus expresse ait, Elipandum esse Nestorianum, vt constat ex ly, *cum Nestorio, in duas personas*, nam non, inquit Alcuinus, *ex quo sequitur*, sed absolutè dixit, *diuidens cum Nestorio*. Deinde si error Elipandi fuit, quem posteà Scholastici & Scotus docuerunt; non sequitur ex ipso personas diuidi, cum tantùm ponat sententia nostra Catholicè, vnum suppositum.

Tertiò obiicit, nam ex confessione Elipandi constat non posuisse nisi vnum suppositum, *& qui dicit gloriam meam alteri non dabo, homo interior in vna eademque Dei, & hominis persona deglomeratus, atque carnis vestimento indutus*; vbi fatetur communicationem idiomatum, & vnam personam, vt constat ex ly *in vna eademque persona*. Respondeo quod etiam Nestorius ponebat vnam personam, etiam si poneret duo supposita, nam persona significat aliquando dignitatem, & dicebat Christum hominem vnitum esse Verbo, secundum participationem dignitatis; & ita, sicut fatebatur vnam dignitatem, sic & vnam personam; & hoc callidè, vt videretur consentire Catholicis, licet in sensu dissentiret, teste sancto Thoma 3. parte, quæst. 2. art. 6. in corpore: & fuisse hunc sensum Elipandi euidenter colligitur, quia non dixit, in vna persona fuisse hominem, Deo substantialiter vnitum, sed *deglomeratum & indutum*, quod significat coniunctionem accidentalem; & in hoc sensu confitebatur cōmunicationem idiomatū: In quo etiam sensu illam fatebatur Nestorius, non tamen in sensu Catholico fundato in vnione substantiali, propter quod acriter reprehenditur Elipandus à Concilio, dicente, *vna persona Deus & homo*, & non homo deificus, & Deus humanus, quod totum clarè constat; Nam Francofordiense, in libro sacro syllabo, in fine, ait Felicem & Elipandum esse nouos hostes Ecclesiæ, sed veternosa fæce perfidiæ pollutos. Et in Epistola Concilij, *nonnè olim eadem vestra hæresis in Nestorio, hac vniuersali Ecclesia refutata est, etiam & damnata?* Et in Epistola Adriani, *adoptiuum eum quasi purum hominem, & calamitati humanæ subiectum, non pertimuistis venenosa fauce susurrare*. Addo quod in libro sacro syllabo refertur, dixisse Elipandum alium esse filium naturalem, alium adoptiuum: vbi *alius & alius*, distinctionem personarum significat. Verba Concilij sunt, *non duo filii, alius Dei, alius hominis (sicut illi errando existimant) vt adoptiuus, sit hominis filius, & sine adoptione filius Dei*.

Respondet Vasquez, num. 41. quod parenthesis illa (*sicut illi errando existimant*) non debet referri ad illud *duo fi-*

lis, sed ad illud, *vt adoptiuus*. Sed contra, quia manifesta est tergiuersatio Vasq. nam etiam si referatur ad illud, *vt adoptiuus*, vt hæretici dicebant, clarè colligitur fuisse Nestorianos, quia dicebant *alius & alius*.

Aliquibus coniecturis probat Vasquez Felicem & Elipandum non fuisse Nestorianos. Prima est, nam si talis hæresis erat damnata, quomodò ausus fuisset Elipandus scribere ad Carolum Magnum Imperatorem, hominem pium, vt conuocato Concilio, talem propositionē approbaret, putans Episcopos consensuros? Respondeo hanc esse impudentiam hæreticorum, nam Lutherus plura ab Ecclesia damnata, Regibus prædicabat, & aliquibus suasit, & isti latenter & sub alio nomine, intendebant hæresim Nestorianam introducere. Secunda congruentia erat, quia à Concilio vocatur hæresis noua & inaudita. Respondeo etiam vocatur antiqua, & contra Nestorium damnata, vt vidimus. Dicitur noua, quia nouis verbis, & inauditis illam introducebant. Tertia, quia Concilium nunquam adduxit auctoritates quibus probaret vnitatem suppositi, sed tantùm voluit tollere adoptionem. Respondeo, quod omnia quæ adducit Concilium, etiam probant contra Nestorium.

Quartò obiicit Vasquez argumenta quibus Concilium hunc errorem refutauit, nam inquit, habent vim contra nos. Primò, quia sæpè vocatur Christus Filius Dei, & proprius, & nunquàm adoptiuus; quod si adoptiuus esset, aliquando vocasset adoptiuum, sicut vocat filium hominis. Respondeo habere vim contra hæreticos, nam si datur persona humana, vt illi dicebant, cùm sacra Scriptura loquitur de illo homine, aliquando vocaret adoptiuum: non verò contra nos, qui ponimus tantum vnam personam, quæ non vocant adoptiuam, licet illi competat secundum humanitatem, nam semper personæ nominantur titulo excellentiori; quamuis enim Rex sit Comes, semper tamen Rex nominatur; vocatur homo, licet sit Deus, nam oportebat declarare veritatem naturæ humanæ.

Quintò, quia loquens Matth. 3. de Christo homine ait, *hic est filius meus dilectus*. Et ad Rom. 8. *proprio filio suo non pepercit*. Et ait Adrianus, si proprium appellat, quomodo erit adoptiuus? Respondeo habere vim contra hæreticos negātes communicationem idiomatum, nam non potest verificari proprius filius, sed tantum Dei filius homo; non verò contra nos, qui fatemur verificari per communicationem idiomatum, filium Dei naturalem, etiam si intrinsecè vocetur adoptiuus secundum humanitatem, sicut filius Dei intrinsecè est impassibilis, & per communicationem idiomatum, & extrinsecè dicitur passus & mortuus.

Sextò obiic. ex Patribus, vt Augustino, Gregorio, Cyrillo, &c. qui dicunt Christum secundùm humanitatem, non esse filium adoptiuum. Respondeo verum esse in sensu Nestorij, in quo loquuntur, non verò loquuntur in sensu Catholico. Vel secundò respondeo, quod tantùm probatur oppositam sententiam esse probabilem, & aliquos Patres ita sensisse, & hoc fateor.

Septimò obiic. rationibus Concilij. Prima erat, Christus est filius Dei naturalis, ergo nequit esse adoptiuus. Respondeo, quod hoc argumentum habet vim contra hæreticos, nam vbi est vna persona, non potest esse alius & alius filius, vt illi dicebant, nam ad multiplicitatem concretorum accidentalium, vt est filius, requiritur multi-

plicitas suppositorum, & constat ex verbis Concilij, *Dei filius*, qua ratione credi potest adoptiuus, qui inseparabiliter assumpto homine in vna persona, conueniente vtraque natura, non alius filius Dei, & alius filius hominis adoptiuus: non tamen vult Concilium, quod vna persona non possit habere duas filiationes, vnam æternam, & alteram temporalem, quas Christus habet ad Patrem & ad Virginem.

Secunda ratio, si Christus est filius Dei adoptiuus, ergo Virgo non est Mater Dei. Respondeo efficax esset contra Hæreticos, dicentes dari suppositum humanum; non verò contra nos ponentes vnum diuinum, & Virginem esse Matrem filij Dei naturalis. Tertia ratio, nullum tempus fuit, in quo non fuerit humanitas Verbo vnita, ergo non potuit esse adoptiuus, quæ ratio supponit adoptionem non esse simul cum vnione. Respondeo optimè probare contra illos, nam si semper fuit humanitas vnita in vnitate suppositi, ergo non sunt duo supposita, vnum adoptiuum, vt ipsi dicebant; non tamen contra nos probat, qui fatemur cum hac vnitate stare adoptionem secundum humanitatem.

Quarta ratio, ille adoptatur qui est extraneus, Christus nunquam fuit extraneus, quippè semper fuit filius Dei naturalis; ergo non est adoptiuus. Respondeo concludere contra hæreticos, nam si tantum fuit vnum suppositum, non fuit suppositum humanum extraneum; etsi dicāt fuisse duo supposita, vt ipsi asserebant, & volebant occultare, iam manifestatur hæresis Nestoriana: non verò est contra nos, nam cum vnitate suppositi, ponimus extraneitatem sufficientem ad adoptionem, non quod extraneitas sit, vt extraneus habeat peccatum vel debitum habendi illud; nam Beata Virgo non habuit peccatum, nec debitum proximum, imò Adam & Angeli non habuerunt tale debitum; & tamen Virgo, Adam, & Angeli, fuerunt filij adoptiui: neque requiritur ad adoptionem, quod extraneitas præcedat tempore, nam Angeli sunt filij adoptiui, & fuerunt in gratia creati, tantùm requiritur, vt Scotus docet, quod prioritate naturæ præcedat, sine adoptione & iure, & sine aliquo, cui de congruo debeatur adoptio, quod in Christo contingit; nam humanitas secundum quam adoptatur, fuit in primo instanti naturæ ex se extraneà, & in secundo instanti, vnio hypostatica, in tertio, gratia habitualis.

Dices, quod in primo instanti neque est extranea, neque non extranea. Respondeo verum esse priuatiuè, tamen saltem negatiuè fuit extranea, siquidem non habuit ius quod sufficit, vt posteà adoptetur: ex quo solutum manet fundamentum, Suarez, Vasquez, Fabri, Pitigiani, &c.

Obiicitur contra nostram sententiam, denominatio filij non debet cadere supra naturam humanam præcisè, sed etiam, vt subsistentem Verbi personalitate; sed ex parte personæ, repugnat adoptio, cum sit filius naturalis, ergo adhuc secundum humanitatem non debet dici filius adoptiuus. Respondeo, quod sunt prædicata in concreto, quæ dicuntur de aliquo, quæ directè & per se respiciunt suppositum, & de cōnotato naturam, *vt Christus creat*, & licet naturæ creatæ repugnet creare, sufficit vt verificetur, quod conueniat personalitati, & verificetur per communicationem idiomatum. Alia sunt concreta, quæ per se respiciunt naturam, & connotatiuè suppositum, videlicet *Christus vult volitione creata*, *Christus est filius Virginis*, quæ veræ sunt, quia conueniunt naturæ, licet suppositalitati repugnent; & ex hoc genere est hæc

denominatio fi. j adoptiui.

Ex dictis colligo, quod nullum est inconueniens dicere humanitatem Christi esse adoptatam. Ita Gabriel, Almainus, & Maior in 3. dist. 10. nam vnio, & cætera dona Christi, fuerunt humanitati gratis concessa. Neque obstat Lorca, dicens, quod adoptio & filiatio non conuenit naturæ, sed supposito. Respondeo negando, nam supposito conuenit propter naturam, vt dixi; ex quo etiam colligi debet, quod in sensu Elipandi, & Felicis, etiam est damnata hæc propositio, *humanitas Christi est adoptata*; nam isti cum Nestorio dicebant naturam non distingui à supposito.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

De prædestinatione Christi.

EX secunda ad Corint. 2. satis constat Incarnationem Verbi propriè esse prædestinatam, *quam prædestinauit Deus ante sæcula.* solum erunt dubia in hac difficultate de modis loquendi in hoc mysterio. Et primum erit, an absolutè sit dicendum, Christus vel Verbum est prædestinatum? Aliqui Theologi dicunt, non posse enuntiari Christum prædestinatum esse; & probant, quia, quæ non possunt verificari de Verbo, vel Filio Dei neque de Christo, sed hæc est falsa, *Verbum est prædestinatum*, ergo & hæc, *Christus est prædestinatus.*

Nobis dicendum est, cum communi sententia Sancti Thomæ quæst. 24. art. 2. hanc propositionem esse veram, *Christus est prædestinatus.* Probatur, nam prædestinatio est ordinatio alicuius rei, vel ad existendum, vel ad aliquod donum, sed ab æterno ordinatum est vt humanitas, & diuinitas subsisterent Verbi subsistentiâ, ergo & Christus. Rursus Christus ratione humanitatis electus est ad summam gloriam & alia dona, ergo verum est esse prædestinatum.

Dices humanitatem, & diuinitatem esse vnitas, est Christum constitui, sed constitutio rei non cadit sub prædestinationem, ergo, &c. Respondeo veram esse minorem de constitutione naturali, at verò Christi constitutio est supernaturalis.

Circa fundamentum primæ sententiæ, scilicet vtrum hæc sit vera, *Verbum est prædestinatum*, seu *filius Dei.* Vasquez disp. 92. cap. 2. Hurtado, disp. 18. diff. 3. dicunt esse veram.

Nobis dicendum est, cum Scoto in 3. dist. 7. quæst. 3. Durando ibi, Suare disp. 50. Lorca disp. 85. Fabro disp. 19. num. 10. esse falsam. Probatur, quia neque prædestinatur existentia illius, neque aliquod donum, sed prædestinatio absoluta ad hoc tendit, ergo Verbum non est prædestinatum. Ex quo constat, quod quæ non dicuntur de Verbo, dicuntur de Christo; ratio est, nam prædestinatio est actus internus, & secundum Dialecticos applicat suam significationem subiecto formaliter sumpto; & ita cum de Christo dicitur, cadit in ipsum, vt quid subsistens est in duabus naturis, qua ratione est terminus prædestinationis: at verò cum dicitur de Verbo, cadit vt est subsistens in natura diuina, qua ratione nullo modo est prędestinatio istius.

Obiiciunt Vasquez & Hurtado, hæc est vera, *filius Dei est passus*, quia hæc est vera, *Christus est passus*, ergo similiter, *Verbum est prædestinatum*, quia Christus est prædestinatus. Quod probatur Syllogismo expositorio, *Christus est prædestinatus, Christus est filius Dei, ergo filius Dei est prædestinatus.* Respondeo, *Verbum esse passum*, esse veram per communicationem idiomatum, & nos

loquimur formaliter: in expositorio variatur suppositio, nam in maiori, Christus supponit formaliter pro subsistente in duabus naturis, in minori materialiter, pro subsistente tantum in diuina.

Secundò obiiciunt, nam Verbum prædestinatum est, vt in tempore fiat homo, ergo absolutè est prædestinatum. Respondent Durandus, Lorca, Becanus, & Ragusa negando antecedens, nam prædestinatio est collatio alicuius beneficij, & Verbo non est beneficium esse hominem. Sed hæc solutio non placet, nam licet hoc verum sit, tamen vt absolutè propositio illa sit vera, sufficit vt aliqua gratia fiat humanitati, vt Verbum extrinsecè dicatur prædestinatum, sicut dicitur, *Verbum caro factum*, non per mutationem in Verbo, sed in humanitate, ex quo in Verbo resultat denominatio extrinseca, licet verum sit, quod ista propositio, *Verbum est prædestinatum*, non sit ita propria, ac ista, *Christus est prædestinatus*, quia in illa, Verbum ponitur, vt obiectum prædestinationis, cùm tamen Verbum secundum se non habeat rationem obiecti, sicut habet Christus, vel hic homo. Addo quod prædestinatio lato modo sumpta, non semper est ad donum, nam Concilium Valentinum, cap. 3. dicit reprobos prædestinari ad pœnam: Propter quod, respondeo cum Scoto, dist. 7. citata, quod propositio ista est vera si explicatur, non tamen absolutè, *Verbum est prædestinatum*.

Secundum & difficilius dubium erit, vtrum ista sit vera, *hic homo, vel Christus, prædestinatus est filius* DEI *naturalis*? & suppono esse veram propositionem prolatam ad Rom. 1. *qui factus est ei ex semine* DAVID *secundum carnem, qui prædestinatus est filius* DEI *in virtute*. Ita Scotus in 3. dist. 7. quæst. 3. illam de Christo intelligit, sicut intelligunt sancti Thomas 3. parte, quæst. 24. art. 1. Augustinus, Beda, & alij Patres apud Lorcam disp 85. memb. 1. & apud Suarez disp. 50. sect. 1. qui varias huius loci expositiones adducunt. Difficultas est in quo sensu propositio verificetur, & suppono optimè verificari, si totum illud vt complexum sumatur, scilicet Verbum esse hominem, vel hunc hominem esse Verbum, sic Scotus §. *respondeo*. Difficultas est in sensu magis proprio, scilicet quodnam sit subiectum prædestinationis, vel pro quo supponit, *hic homo* vel *Christus*, quando illi attribuimus hoc prædicatum, *filium* DEI *naturalem*, & vtrum sit vera in hoc proprio sensu.

Prima sententia est Suarez citati, Vasquez disp. 90. cap. 3. Aluarez disp. 77. Ragusæ disp. 31. Radæ 3. parte controuers. 5. art. 1. conclusione 7. Caiet. dicentium esse veram propositionem in dicto sensu, sed variant hi Auctores vt explicent, pro quo supponat ly *hic homo*, vt videbimus.

Secunda sententia docet hanc propositionem non esse propriam in rigore logico, sed impropriam, docet Scotus in fine quæstionis dicens, *ideo propriè logicè loquendo, neque secundum quod homo, neque secundum quod* DEUS, *prædestinatus est esse filius* DEI. Faber disp. 19. num. 14. Lorca disp. 85. Becanus cap. 2. Durandus, Paludanus, &c. Et probatur, subiectum prædestinationis non debet includere necessario terminum illius, sed potius debet præsupponi, ad minus in appræhensione diuina, ad terminum ad quem prædestinatur, nam nullus prædestinatur ad id quod est sibi intrinsecum, nam homo non prædestinatur ad esse risibile, sed *hic homo*, vel *Christus*, cum sit concretum, necessario includit personalitatem filij ad quam prædestinatur, ergo in rigore logico, dicta propositio non est vera. Hoc ar-

gumentum valde torquet aduersarios.

Caietanus respondet subiectum esse Verbum incarnatum, pro vt abstrahit ab hoc vel illo modo Incarnationis, scilicet per vnionem substantialem, vt facta est modo, vel per accidentalem, vt dicebant Nestoriani, & hanc Incarnationem abstractam, prædestinatam esse ad vnionem substantialem. Sed contra primò, quia vnio accidentalis non est Incarnatio, vt Ecclesia & Patres Nestorio obiiciebant. Secundò, licet accidentaliter vnitum intelligeretur Verbum Incarnatum, tamen Verbum Incarnatum ita abstrahens, non est Christus, neque significari potest hoc nomine, nam abstraheret ab vnione substantiali, per quam Christus est verus homo.

Aliter respondent Suarez & Vasquez & dicunt, quod est distinctio in modo significandi inter istos terminos, *hic homo*, *Christus*, *diuinum suppositum*, nam licet *homo*, cum sit concretum, non significet naturam præcisè, sed suppositum directè, & naturam indirectè, vt loquitur Suarez, vel indirectè suppositum, & naturam directè, vt vult Vasquez; tamen non significat suppositum determinatum, sed abstrahens ab hoc vel illo, & ita est subiectum propositionis, & hoc modo esse filium Dei, est illi donum, quod non includitur formaliter in subiecto. Sed contra, quia hoc tantum habet locum in nostro modo concipiendi, nam in re nulla est distinctio inter hunc hominem & suppositum diuinum, quantum ad rationem suppositi, sicut hæc vox *Deus*, licet formaliter non explicet personas relatiuas, sed solùm subsistens in deitate; tamen materialiter illas includit, quia re ipsa non est natura diuina subsistens personaliter in alio, quàm in ipsis personis relatiuis: Vnde quæ verificantur de tribus personis, de Deo verificantur.

Ex quo reiiciuntur hi Auctores, quia prædestinatio Dei non debet assignari secundum quod est in nostris conceptibus, sed secundum quod est in re, re autem suppositum huius hominis Christi, est diuinum, ergo nihil refert, quod nostris conceptibus separetur. Secundò, vel in illo subiecto, *hic homo*, includitur suppositum diuinum, saltem materialiter, vel non; si includitur, argumentum est in sua vi, si non, illud subiectum non erit *christus*, qui est subsistens in duabus naturis, diuina scilicet & humana. Tertiò, ad hominem hi Auctores negant hanc propositionem, *hic homo factus est filius Dei*, ergo debent etiam negare istam, *hic homo prædestinatus est filius Dei*, nam quod factum est in tempore, prædestinatum est ab æterno, alia plura adducit Lorca, videatur.

Pro prima sententia obiicit Vasquez Scotum citatum quæst. 1. vbi Scotus fatetur hanc propositionem, *homo factus est Deus*, ergo etiam fateri debet hanc, *hic homo*, *prædestinatus est filius Dei*. Respondeo Scotum non esse sibi contrarium, nam explicans illam, *homo factus est Deus*, dicit non requiri quod id, de quo dicitur factio passiua, præcedat ipsam factionem, sed tantùm requiri habitudinem facti ad faciens, & ordinem ipsius facti ad non esse præcedens: at verò in altera propositione, subiectum prædestinationis debet præcedere. Secundò obiicies, Augustinum in Enchiridio cap. 4. dicentem, *eatenus homo prædestinatus est filius Dei, quatenus factus est filius Dei.* Respondeo quod ex hoc, tantum colligitur propositionem esse veram, sumendo totum illud complexum, non verò determinando subiectum, & in sensu propriissimo, imò ex contextu Augustini

colligitur, quod sumit concretum pro abstracto, vt sæpè accidit Augustino.

Ex quo colligo primò, quod minus propria est hæc, *Christus prædestinatus est filius Dei naturalis*, nam clarius explicat *Christus* suppositum diuinum quàm *hic homo*. Secundò hæc etiam est minus propria, *filius Dei prædestinatus est, vt esset filius Dei*.

Tertium dubium erit de prædestinatione Christi ad gloriam, & ad alia dona. Et primò quæram, an humanitas Christi propriè prædestinata sit ad gloriam, & ad alia dona? Medina quæst. 24. art. 1. dicit humanitatem non esse prædestinatam ad vnionem hypostaticam, imò neque ad gloriam, & quantum ad hoc secundum, tenent Suarez disp. 50. sect. 23. Valentia, Bec. & Ragusa.

Nobis est dicendum, cum Scoto dist. 7. citata §. *Respondeo*, Vasquez disp. 90. humanitatem prædestinatam esse, tàm ad vnionem, quàm ad gloriam. Probat Scotus, nam Deus potest non solum suppositum, sed quodcumque creatum diligere, ergo potest illi præordinare bonum sibi conueniens, scilicet humanitati vnionem, gloriam & alia dona, licet (addit Scotus) nullam aliam naturam præordinauerit de facto, nisi personatam: & confirmatur, quia humanitas, re ipsa, fuit hypostaticè vnita, sancta, &c. ergo fuit ita prædestinata.

Obiicit Medina, prædestinari ad vnionem hypostaticam, est prædestinari ad filiationem diuinam, sed filiatio tantùm supposito conuenit, non humanitati, ergo humanitas non est ad hoc præordinata. Respondeo, quod filiatio supposito conuenit propter humanitatem, nam ex hoc quod humanitas est vnita, compositum quod resultat, dicitur filius.

Secundò obiiciunt Valentia, Suarez, &c. gloria consistit in operatione, sed humanitas non operatur, sed suppositum, ergo illud est ad gloriam prædestinatum, non humanitas. Respondeo negando minorem, nam actiones tantum denominatiuè sunt suppositorum, nam elicitiuè sunt singularium existentium, vt docuit Aristoteles.

Disputant modò Recentiores, ad quid fuerit prius humanitas prædestinata? Respondent Vasquez, disp. 92. cap. 1. Suarez, Lorca, &c. & dicunt fuisse prius prędestinatam ad vnionem, & postea ad alia dona. Nobis dicendum est cum Scoto §. *respondeo*, & §. 2. *dub.* priùs fuisse prædestinatam ad summam gloriam, & vltimo ad vnionem. Probat, quia ordo executionis est contrarius ordini intentionis, sed in executione priùs fuit in humanitate vnio quam gratia, & gloria; ergo in intentione priùs fuit gloria & gratia, quàm vnio.

Obiiciunt Recentiores, vnio excellentior est quàm gloria, ergo nequit ordinari ad gloriam. Respondeo optimè posse perfectius ordinari ad imperfectius, quando ordinantur ex voluntate Dei, nam Incarnatio, quæ est perfectior, ordinatur in remedium peccati, quod imperfectius est.

Instat Vasquez, quod malè Scotus vocat vnionem medium congruum ad gloriam, cum sit potius medium condignum ad illam. Sed respondeo, quod optimè ab Scoto videtur, congruum medium & non condignum, nam vnioni, secluso pacto, non debetur gratia neque gloria, vt sæpe dixi, sed tantùm ex congruentia, sicut neque debetur gratiæ gloria, nisi ex pacto, vt dixi Tractatu de Iustificatione.

Quæram secundò de Christo, an fuerit prædestinatus ad gloriam & ad alia dona? Negant Lorca & alij Thomi-

stæ, dicentes propriè fuisse prædestinatum ad vnionem, nam alia dona erant illi debita & minora, ad quæ non dicitur prędestinari. Nobis dicendum est Christum, vt hominem, fuisse propriè prædestinatum ad gloriam, sic Scotus, Rada conclusione 5. Suarez sect. 3. Becanus cap. 19. quæst. 2. Vasquez, Hurtado, &c. Probatur Actorum 10. *Ipse est qui constitutus est iudex viuorum & mortuorum*, in Græco legitur, *ipse est qui prædestinatus est*. Secundò probatur, ideò hæc non est propria, *Christus prædestinatus est filius Dei naturalis*, quia subiectum saltem connotatiuè includit prædicatum, quod est terminus prædestinationis; sed *Christus*, qui est subiectum, non includit gratiam nec gloriam, qui sunt termini prædestinationis: ergo. Tertiò, quia Christus ab æterno est à Deo dilectus, ergo ad dona gratiæ & gloriæ ordinatus, nam in ordine ad hæc dona, illum diligebat.

Ad fundamentum Thomistarum dico, gloriam & alia dona solum debito congruentiæ esse Christo debita, & licet sint vnione minora, non obstat; nam etiam secundum Augustinum, Christus dicitur prædestinatus ad claritatem Resurrectionis, & Petrus ad Apostolatum, quæ sunt minora dona quàm gloria animæ; & licet talia dona essent debita, tamen potest ad illa optimè prędestinari, nam etiam ad prędestinationem Petri ad gloriam, sequitur gratia, & tamen dicitur prædestinatus ad gratiam, quia saltem in radice est gratia.

Petes vtrum per communicationem idiomatum possit dici Verbum, seu Filius Dei est prædestinatus ad gloriam? Et respondeo cum Lorca num. 37. affirmatiuè, nam sicut de Christo verificatur mortuus, & similiter de Verbo per communicationem idiomatum: ita esse prædestinatum ad gloriam, nisi adsit periculum hæresis Nestorianæ, de quo latiùs cap. vltimo.

DIFFICVLTAS TERTIA.

Vtrum Christus, vt homo, sit strictè seruus Dei?

PRÆSVPPONO quod hæc tria nomina, *Subiectus, minor, & seruus*, distinguuntur inter se. *Subiectus* dicitur, qui tenetur alteri parere, & eius præceptis obedire, de quo diff. 6. *Minor* dicitur, qui est inferior in entitate physica, & certum est Christum vt hominem, esse minorem Patre & Deo, Ioan. 14. *Pater maior me est*. Ita communiter explicant Patres, licet aliqui Patres Græci explicent de Christo, vt Deo, qui dicitur minor Patre, quia est posterior origine Patre, quod non placet.

Primum potest esse dubium, an absolutè dici possit, *Christus est minor Patre*, vel, *subiectus Patri*? Nam quantum ad hoc idem sunt *Minor* & *Subiectus*; & suppono quod non est dicendum, *Christus in quantum homo est subiectus sibimet* nam ita definitum est in Concilio Alexandrino, in Epistola 10. inter Epistolas Cyrilli, quia significatur dualitas suppositorum, & ita non est vera de rigore sermonis: quod si illam admittunt Augustinus primo de Trinit. cap. 7. & Sanctus Thomas 3. parte, quæst. 20. art. 2. Intelligenda est in sensu Catholico, id est *Christus*, *vt homo, est sibimet subiectus, vt Deo*, non verò de rigore sermonis. Quo notato, Vasquez & Medina, dicunt posse absolutè dici Christum esse minorem Patre, & subiectum Patri, per communicationem idiomatum, sicut dicitur Verbum est mortuum. Suarez docet posse dici *subiectum*, non tamen *minorem*, fatetur tamen esse cauendas illas locutiones, propter periculum erroris

erroris Arrianorum, sed semper pronuntiandas esse cum addito, scilicet *secundum quod homo*. Lorca disput. 78. num. 4. dicit semper esse cum addito dicendas, non tantum propter periculum erroris, sed propter rigorem sermonis; sed de his propositionibus eodem modo philosophandum est, ac de ista *Christus est creatura*, de qua difficultate sequenti.

Tertium nomen est *Seruus*, qui non est sui iuris, sed alterius, saltem quatum ad suas actiones. Quæ seruitus est multiplex; vna qua homo per peccatum subditur Deo, vt ab eo infligatur pœna, sicut mancipiũ fugitiuũ Domino, imo qui peccat seruus est peccati. Ioan. 10. Secunda est seruitus affectus, quo Deo obediunt creaturæ timore gehennę, vel intuitu mercedis, ad Rom. 8. *non accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore*. Tertia est, quæ conuenit creaturæ in quantum est creatura, & à Deo dependens, de qua Sapientiæ 16. *Creatura tibi factori deseruiens*, quæ seruitus est maior quacumque excogitabili, quippè per illam creatura est magis Deo subiecta; & hæc est propria seruitus, siquidem illi conueniunt rationes constituentes seruitutem, & ita vocatur à Sacra Scriptura. Distinguitur à duabus primis, nam illæ opponuntur ingenuitati, ista non, imò dum maior fuerit seruitus, maior erit ingenuitas, vt ait Beata Agatha, *Summa ingenuitas est, in qua seruitus Christi comprobatur*: & constat, nam hæc seruitus non excludit adoptionem & amicitiam Dei, sicut excludit humana seruitus, nam Virgo Maria quæ fuit Filia & Mater Dei, fuit etiam serua, imò *Deo seruire regnare est*.

Hoc notato, prima sententia dicit Christum non esse seruum, nisi impropriè & metaphoricè, ita singulariter tenet Vasquez, disput. 80. & licet non audeat oppositam sententiam damnare, tamen persuadere vult suam sententiam esse definitam. Ipsum sequuntur Becanus cap 16. quæst. 2. Hurtado disp. 15. difficult. 3.

Nobis dicendum est cum communi sententia, Christum secundum humanitatem, propriè fuisse seruum seruitute tertia explicata, nam est idem ac dicere, Christus est creatura minor Deo, & illi subiectus, vt possit in eo facere quidquid voluerit, & Christus tenetur in omnibus, quæ Deus illi præcipit, obedire. Ita certam existimat Lorca hanc sententiam, disp. 78. num. 28. vt oppositam iudicet esse apertam hæresim. Probatur primò, Matth. 12. vbi refertur locus Isaiæ 42. (quod refertur in nouo testamento, idem est ac si in illo affirmaretur) *Ecce seruus meus quem elegi, complacuit sibi in ipso anima mea*.

Dices primò, quod Matthæus non ait *seruus meus*, sed *puer meus*. Respondeo verum esse, sed *puer* significat qui ætate est adolescens, & illum qui est seruus, cum ergo tunc Christus non esset adolescens, significat esse seruum, in quo sensu, Act 3. dicitur, *conuenerunt in ista ciuitate aduersus puerum tuum Iesum*.

Dices secundò, quod Adrianus aduersus Elipandum probauit Christum non esse seruum, quia in nouo Testamento non appellatur seruus. Respondeo solum Adrianum velle, quod non sub nomine expresso serui inuenitur, & licet argumentum Adriani non esset efficax, non obstat, quia vt dixi sæpè, omnia argumenta Conciliorum non sunt efficacia. Secundo nostra conclusio efficacius probatur, nam Christus Matth. 27. & alibi, vocat Patrem Deum, *Deus meus, Deus meus*, quod est idem quod Dominus respectu creaturarum, vt notauit Damasc. lib. 4. cap. 9. ergo Christus seruus est Dei. Tertio probatur innumeris Patrum testimoniis à Lorca, num. 14. relatis.

Respondet loqui Patres de seruitute impropria. Sed contra, quia credendum non est, semper Patres impropriè loqui in hac materia. Secundo Athanasius sermone tertio contra Arrianos, omnes istæ voculæ scilicet, *seruus*, & aliæ similes, in rationem humanitatis verè & propriè competunt. Ratione probatur, dicta seruitus conuenit omni creaturæ, sed Christus secundum humanitatem est creatura, ergo est seruus. Probatur consequentia, quia titulo creationis, poterat Deus ex iustitia petere omnes operationes Christi, & Christus tenebatur etiam obedire, quæ sunt rationes dominij, & seruitutis; & confirmatur, nam posita creatura & Creatore, impossibile est non resultare relationes dominij & seruitutis, vt resultant relationes Creatoris & creaturæ. Respondent, quod propter vnionem fuit impedita talis seruitus. Sed contra, quia impossibile est, quod impediatur dominium Dei respectu creaturæ, ergo neque quod creatura sit in hoc sensu serua, nam Deus non potest abdicare à se dominium, & illud tribuere creaturæ.

Prima sententia obiicit Concilium Francofordiense contra Elipandum damnans Christum esse seruum Respondeo Concilium solùm exclusisse seruitutem in sensu Elipandi, qui erat Nestorianus, vt vidimus, & ponebat duo supposita latenter, sub hoc nomine Serui. Rursus Concilium excludebat seruitutem peccati, nam Nestoriani ponebant in Christo peccati seruitutem, propter quod dicebat Nestorius, quod Christus pro se debebat offerre sacrificium, vt constat ex anathematismo 10. Cyrilli; quo errore infectus fuit Elipandus, qui vocabat Christum Captiuum & Leprosum, non contagione corporis, sed spiritus, vt constat ex confessione ipsius relata à Vasquez. Constat etiam ex verbis Concilii, *hoc volumus à vobis audire, an Adam primus humani generis Pater, qui è terra virgine conditus est, liber fuerit conditus, an seruus? si liber, quare Christus non ingenuus de Virgine?* Huc vsque Vasquez num. 19. cætera tacuit. *Vnde Adam seruus factus est nisi ex peccato?* Christus autem non fecit peccatum. Vnde constat, quod de seruitute peccati loquitur Concilium.

Dices omnem seruitutem excludit à Christo. Respondeo verum esse de seruitute vili, quæ opponitur ingenuitati, neque oportebat meminisse alterius seruitutis, nisi ab hæretico assertæ.

Secundo obiicit Concilium Alexandrinum. *Verumtamen, nec seruus est sibi ipsi, nec dominus, quoniam ineptum est vel impium, hoc sentire vel docere.* Respondeo loqui in sensu Nestorij, qui ita seruum asserebat, vt distingueret duo supposita, & patet, nam Concilium dixerat, *ne Christum in duo diuidamus*, & ita absolutè dici *seruum* non damnat, sed dici seruum Verbi.

Tertio obiicit plures Patres: sed respondeo loqui de seruitute peccati. Sed specialiter obiicit Chrysostomum hom. 13. ad Hebr. *Christus factus est seruus, sed in cælo non mansit seruus; in cælo tamen erat creatura*; ergo nostra conclusio est contra Chrysostomum. Respondeo Chrysostomum tantùm velle in cælo non habuisse ministerium serui, vt habuit cum Apostolis, quando dixit, *non veni ministrari, sed ministrare.*

Obiicit etiam Damasc. lib. 4. cap 19. *propter ad Dei Verbum secundum hypostasis vnionem*, scilicet caro, *nec serua fuit, nec ignorauit.* Respondeo loqui, sicut Concilium Alexandrinum, contra Nestorium, & ita eadem ratione vtitur, id est, non est serua cum distinctione suppositorum.

Ratione probatur, nam non restat

cuius sit seruus, non sui ipsius, nam induceretur distinctio suppositorum; neque aliarum personarum, nam iam omnia non essent communia Patri & Filio, siquidem esset seruus Patris, non tamen Filij. Respondeo quod in re, est seruus Dei, & omnium personarum, & ita sui ipsius vt Dei; tamen quantùm ad modum enunciandi, absolutè non est loquendum, sed cum addito, scilicet *Christus secundum humanitatem est seruus sui ipsius, in quantum est Deus.*

DIFFICVLTAS QVARTA.

Vtrum Christus sit creatura?

PRÆSVPPONO, quod quando est suspicio erroris Arrij dicentis Verbum esse creaturam, non est absolutè dicendum Christum esse creaturam, sed cum addito; difficultas ergo est quando non est talis suspicio.

Prima sententia dicit absolutè posse dici Christum esse creaturam. Ita Diuus Bonauentura in 3. dist. 11. art. 2. quæst. 1. Caietanus quæst. 16. art. 8. & 10. Ibi Valentia puncto 2. Vasquez disp. 65. Hurtado disp. 11. difficult. 11. Et probabilem reputat Scotus cum suo Magistro Varrone.

Secunda sententia absolutè negat Christum dicendum esse creaturam. Ita Paludanus & Thomistæ, Medina, Cabrera, Aluarez quæst. 16. art. 8. Lorca disp. 64. Gabriel, &c. Et hanc probabiliorem reputat Scotus in 3. dist. 11. quæst. 1. §. *cui ista opinio*, qui duabus viis illam deffendit: sequuntur Rada 3. parte controu. 8. art. 2. Faber disp. 14. cap. 2.

Prima via est, quia creatura est quæ à Deo incipit esse, vel secundum partem principalem, vel secundum totum; sed Christus nec incipit à Deo secundum totum, quia Christus non est totum realiter distinctum à suis partibus, aliàs naturæ essent inter se confusæ & permixtæ: neque secundum partem principalem quæ est diuinitas, vt patet, ergo, &c.

Secunda via est, quod creatura est nomen denominatiuum, quod non solum denominat per se naturam, & per illam suppositum (verbi gratia) genitum, denominat per se naturam, & per naturam suppositum, sed vtrumque per se denominat; sed suppositum Christi non est creatura, ergo absolutè & de rigore sermonis falsa est *Christus est creatura*; sicut ista absolutè est falsa *Æthiops est albus*, nam albũ est prędicatum, quod potest conuenire toti subiecto, & cum solum sit in dentibus, solùm dentes denominat, non verò totum hominem, & ita est falsa: sic creatura potest denominare naturam & suppositum; cum ergo in Christo suppositum non sit creatura, absolutè est falsa, *Christus est creatura*, licet humanitas creatura sit, quam doctrinam ex Scoto transcripsit Lorca.

Obiicit prima sententia plures Patres, qui Christum absolutè vocant creaturam. Respondeo quòd Patres simul dicunt esse Creatorem, & ita est idem ac si dicerent, secundum humanitatem esse creaturam. Ita loquuntur Leo, & Augustinus, &c. *Voluit esse Creaturam, qui est Creator.* Alij Patres qui negant Christum esse creaturam, loquuntur contra Arrium, & ita Patres, neque sunt pro vna, nec pro altera sententia.

Secundò obiicit, Christus absolutè dicitur mortuus, passibilis, &c. & tamen solum hæc prædicata conueniunt Christo secundum humanitatem, ergo & similiter dicetur creatura. Respondeo esse discrimen, nam ista prædicata *mortuus*, *crucifixus*, &c. sunt sicut istud prædicatum, *crispus*, quod solum potest

conuenire capillis, & tamen denominat totum hominem *crispum*; at verò prædicatum, *creatura*, est transcendens, quod etiam conuenire potest supposito; etsi supposito non conueniat propositio, *Christus est creatura*, in rigore est falsa, Sicut *Æthiops est albus*, nam ista prædicata tantùm denominant subiectum cui insunt. Alia plura argumenta videnda sunt in Scoto, quia optima.

Quod dictum est de hac propositione, dicendum est de ista, *Christus est minor Patre, Christus est factus*.

Dices Actorum 2. dicitur, *quia Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum*. Respondeo, quod ibi *Christus* non sumitur substantiuè, sed adiectiuè & appellatiuè, & facit hunc sensum, Deus fecit Iesum Christum, id est Sacerdotem; Dominum, id est Regem: Benè tamen de rigore sermonis erit vera hæc propositio, *Christus factus Christus*, vel *Christus, vt subsistens in duabus naturis, factus est*, & ista, *Christus factus est, in quantum homo*: ista verò est falsa, *christus factus est homo*, nam significatur humanitatem superuenisse Christo, quod est falsum.

Dubium erit, vtrum de rigore sermonis ista sit vera, *christus in quantum homo est creatura*. Pro quo noto ex Scoto, dist. 11. quæst. 2. §. *respondeo*, quod particulæ *in quantum, secundum quid, quatenus*, dupliciter sumi possunt, vel reduplicatiuè, vel specificatiuè: tunc reduplicatiuè sumuntur, quando sumuntur ex parte subiecti, & tantùm dicit causam propter quam vnum extremum alteri vnitur, & ita si propositio de *inesse* erat falsa, reduplicatiua particula non facit veram, sed tantùm illam declarat (verbi gratia) *Petrus in quantum homo est risibilis*, facit hunc sensum, *ratio quare Petrus sit risibilis, est quia est homo*. Specificatiua est, quæ mutat terminos, nam alterum distrahit, & ita sæpè propositio de *inesse* est falsa, & posita conditione specificante, est vera, nam distrahit de vno termino, quod repugnabat alteri termino, & ita illo ablato non repugnat, & redditur propositio vera; verbi gratia, hæc est falsa. *Æthiops est albus*, & similiter hæc reduplicatiua, *Æthiops secundum quod homo, est albus*, quia significat causam inhærendi albedinem, esse hominem: & similiter hæc reduplicatiua est falsa, *Æthiops secundum quod habet dentes, est albus*, nam facit hunc sensum, *Æthiops est albus, sed ratio quare albus sit, sunt dentes*, quod est falsum; specificatiuè verò est vera, *Æthiops est albus secundum dentes*, licet non sit propria, nam illud prædicatum distrahitur, & tantùm determinatur ad dentes, & sic est vera.

Prima sententia dicit dictam propositionem, reduplicatiuè sumptam, esse veram. Ita sanctus Thomas, quæst. 16. art. 10. Vasquez disp. 66. Suarez, Hurtado, & quidam ex nostris. Sed oppositum docet Scotus citatus, tantùm esse veram, si, *inquantum*, specificatiuè sumatur. Ita Rada controuers. 8. art. 3. Faber disp. 25. & probatur ex notabili relato, nam propositio de *inesse*, est falsa, ergo & reduplicatiua. Probatur, nam reduplicatio tantum reddit causam, propter quam prædicatum conuenit subiecto: & specificatiuè erit vera, cum denotet, quod tale prædicatum *creatura* solum conueniat humanitati, sicut *albido*, dentibus Æthiopis.

Respondet Caietanus, quod reduplicatio modificat terminos, & ita facit propositionem veram, quæ de *inesse* erat falsa. Sed contra, quia iam non distinguerentur reduplicatio & specificatio, nam hoc, quod est terminos modificare, solùm specificationi conuenit. Secundò respondent Medinæ,

Suarez, Hurtado, &c. Quod ly, *inquantum*, sumitur ex parte subiecti, & specificatiuè, vt restringat subiectum, sicut ista, *Christus, in quantum homo, est mortuus, passus, &c.* Sed contra, quia istę sunt reduplicatiuæ, cùm etiam de *inesse* sint veræ, *christus est mortuus, passus*, &c. & non specificatiuè, cum ly, *in quantum*, nihil detrahat repugnantiæ prædicati cum subiecto, sed tantum dicat causam propter quam prædicatum conueniat subiecto.

Obiicitur primò, Christus secundum quod homo est aliquid, non Creator, ergo creatura. Respondet Scotus concedēdo, nam per ly, *secundum quod homo* distrahitur prædicatum, & sumitur propositio specificatiuè, sicut in ista, *Æthiops est albus secundum dentes*. Videatur Scotus, quæst. 1. §. *ad argumenta*, vbi optimas solutiones adducit.

Secundò obiicitur, quod conuenit toti per partem, dicitur de toto, ex Aristotele 5. Phys. sicut quia thorax hominis sanatur, dicitur quod homo sanatur, sed humanitas, quæ est pars Christi, est creatura, ergo Christus secundum humanitatem est creatura, sicut homo sanatur secundum thoracem. Respondet Scotus, quando prædicatum conueniens parti, parti præcisè inest, tunc denominat totum, sicut visio tantùm nata est conuenire secundum oculos, si oculis conueniat, totus homo dicitur videns; sic si sanari solum conueniat thoraci, vel sit principalis pars, vt cor, si thorax est sanus, dicitur animal sanum; si verò non sit pars principalis, & tamen secundum aliam partem æquè sit natum inesse hoc prædicatum, & oppositum, secundum quod denominat hanc partem, non dicitur simpliciter animal sanum: & patet exemplo scuti, cuius vna medietas est alba, & altera nigra, falsum est enũtiare, siue album, siue nigrum; ita ad propositum, humanitas non est prædicatum totius, vt totum denominet, neque pars, vt cor, quod denominat totum animal sanum, & ita etiam si humanitas sit creatura, non tamen denominat Christum creaturam, adhuc reduplicatiuè.

DIFFICVLTAS QVINTA.

Vtrum hæc propositio sit vera, Christus incœpit esse?

IN hac re, prima sententia est Diui Thomæ, quæst. 16. art. 9. Suarez, Lorcæ disp. 65. dicentium esse falsam de rigore sermonis, & cum addito esse veram, scilicet secundum humanitatem. Ita tenent quidam ex nostris; & addit Caietanus quod oppositum fuit dānatū Parisiis, & famā fuisse, etiā fuisse damnatum, ab Alexandro 6. ad quem fuit appellatum. Sed contra, quia hoc non constat, & fortè poterat damnari, propter periculum Arrianorum dicentium, Verbum fuisse creaturam, licet, vt Scotus notauit, dist. 11. in fine quæstionis tertiæ, *Incipere esse, non importat hoc, quod est creatura.* Fundamentum huius sententiæ est, quia subiectum huius propositionis, *christus incœpit esse*, supponit non pro natura humana, sed pro supposito, sed hoc non incœpit esse, ergo neque Christus.

Sed obiicit Scotus in 3. dist. 11. quæst. 3. nam falsitas huius propositionis non sumenda est ex parte subiecti, sed ex prædicato, nam subiectum, verbi gratia, *christus*, eodem modo supponit, siue ponatur hoc, siue illud prædicatum; & sic quod hæc sit falsa, *christus incœpit esse*; & hæc sit vera, *christus est mortuus*, solùm prouenit ex prædicato.

Propter quod, secunda sententia, nempè quod hæc propositio sit vera, magis placet: quam tenet Scotus citatus, Faber disp. 26. Vasquez disp. 67.

Hurtado disput. 11. diffic. 12. & probat Scotus, nam vel Christus supponit pro natura humana, & ita vera est propositio, quia hæc incœpit esse, vel supponit pro supposito, & adhuc est vera. Probat, nam quando subiectum est compositum, & prædicatum conuenit alicui parti subiecti, aliquando prædicatur absolutè de toto subiecto, vt in his, *animal rationale est risibile, homo albus est coloratus*, vbi, *coloratus*, prædicatur de toto homine, & tantùm conuenit albo.

Respondebis, quod dispar ratio est in his propositionibus, & in nostro casu; nam in nostra propositione, prædicatum, *incipere esse*, conuenit humanitati, quæ est pars materialis: at verò, *risibile*, *& coloratum* conuenit parti formali, scilicet rationali & albo. Sed contra, quia ista est vera, *homo albus est animal*, & *animal* conuenit parti materiali, scilicet homini.

Secundò probatur, nam adhoc quod verificetur hoc prædicatum, *incœpit esse*, sufficit quod aliqua pars subiecti habeat de nouo esse simpliciter, hoc est substantiale; sed humanitas in Christo, habet esse de nouo, & est ens substantiale, ergo de Christo verificatur, quod incœpit esse. Maior probatur, quando in vtero matris corpus Francisci incœpit generari, verè dicitur Franciscus incœpit esse, & quando infunditur anima, verè dicitur Franciscus incœpit esse perfectus homo, & tamen in nulla propositione enuntiatur, quod totum resultans ex partibus, de nouo incipiat, ergo, &c. Et confirmatur, nam quando Franciscus incipit esse albus, dicimus album incœpisse, & tamen solum incipit albedo, ergo, quando solùm humanitas incipit esse, verè dicemus Christum incœpisse, sicut verè dicitur Verbum incœpit esse homo; nam hoc nõ est aliud, quã incœpisse Christũ.

Dices, Christus, vel hic homo, non potest supponere, nisi pro supposito diuino; sed hoc non incœpit esse, ergo neque Christus. Respondet Scotus littera, D, concedendo Christum supponere pro supposito diuino, sed in dicta propositione non absolutè, sed vt est suppositum humanitatis, sicut Petrus albus, supponit pro supposito substantiæ, tamen vt est in albedine existens.

Prima sententia obiicit ad Hebr. vltimo, *Iesus Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula*, ergo non incœpit. Respondeo ad hanc locum & similes, quod loquuntur de Christo, secundum diuinitatem.

Secundò obiic. quando Christus ponitur pro subiecto propositionis, semper supponit pro supposito diuino. Probatur primæ ad Corinth. 8. Per Christum omnia sunt fabricata; sed suppositum non incœpit esse, ergo neque Christus. Respondeo, quando ponuntur prædicata naturæ humanæ, supponit pro supposito humanitatis, (verbi gratia) *christus est mortuus*, &c. quando ponuntur prædicata naturę diuinæ, vt est *omnia fabricare*, supponit pro supposito naturæ diuinæ. Ex quo constat, quomodo verificari possit Christum incœpisse.

Sed instat Loica contra Scotum & nos, ergo etiam ista erit vera, *christus est creatura*, nam *creatura*, est prædicatum naturæ humanæ, & ita Scotus sibi contradicit. Respondeo ex Fabro esse discrimen inter hæc prædicata, nam *incipere esse*, est prædicatum ad cuius verificationem sufficit, quod aliqua pars subiecti simpliciter incipiat. At verò ad hoc, quod *creatura* verificetur, debet cõuenire saltem parti principali, quod non verificatur de Christo, cum suppositum, quod est pars principalis, non sit creatura, & hoc prouenit ex natura horum prædicatorum.. Addo quod hoc

prædicatum *creatura*, est in facto esse, & ita denominat partem principalem, quæ in facto esse est suppositum. At verò *incœpit esse*, est prædicatum, quod denotat actionem, quæ in præsenti est Incarnatio, cuius formalis terminus absolutè est humanitas, vt dixi cap. 5. diff. 4. cum Scoto; Et cum hæc de nouo incipiat esse, hinc est quod dicatur verè Christus incœpit esse, non tamen Christus est creatura, & ita Scotus non est sibi contrarius. Imò Lorca Scoto imponit, quod dixerat hanc etiam esse veram, *filius Dei incœpit esse*, quam Scotus negat ante litteram, D, nam *esse humanitatem*, est esse simpliciter Christi, & ita quando producitur humanitas, verè dicitur Christus incipit esse; At verò *esse humanum*, non est esse simpliciter Verbi, vel filij Dei, nam licet sit esse substantiale, est illi quasi aduentitium, & quasi esse accidentis respectu subiecti, & ita est falsa, *Verbum incipit esse*.

Obiicit Lorca, quia per communicationem idiomatum deberet verificari, *Verbum Dei incœpit esse*, nam quæ verificantur de Christo, de Verbo verificantur, & hoc videtur inconueniens. Respondeo nullum esse, hoc fateri, dummodo non sit periculum errandi.

Obiicies hunc syllogismum expositorium, Christus, vel hic homo incœpit esse; Christus est Deus, ergo Deus incepit esse. Respondeo negando consequentiam, nam est fallacia accidentis, quia *esse*, in maiori supponit pro, *esse*, humano Christi; In conclusione supponit pro, *esse*, diuino: bona tamen erit consequentia si dicamus, ergo ille qui est Deus incepit esse. Nihil est, quod dicamus cõtra nostros Scotistas, cum littera Scoti breuis & perspicua, contra ipsos, & pro se clamet.

DIFFICVLTAS SEXTA.

Vtrum Christus habuerit speciale præceptum moriendi?

PRÆSVPPONO cum communi sententia, & sancto Thoma prima secundæ, quæst. 93. art. 4. ad secundum, Christũ, vt hominem, subiectum esse legi æternæ, & legi naturali, tàm naturalis, quàm supernaturalis ordinis, dummodo ratione suæ dignitatis, talia præcepta non sint disconuenientia. Dixi naturalis, & supernaturalis ordinis; nam quædam sunt naturalia, quædam supernaturalia. Dixi, non disconuenientia dignitati Christi; nam licet iure naturæ debeatur parentibus obedientia, Christus non debuit Matri suę, nam ratione personæ, erat Dominus, & tantùm lege naturæ debebat erga illam habere honorem & pietatem; & licet fuerit Matri subditus, fecit voluntariè & non ex obligatione.

Secundò, certum est non fuisse obligatũ ad aliquam legem humanam positiuam, Matth. 17. vbi de se dixit, *ergo liberi sunt filij*; cùm enim ab eo peteretur tributum, quod Regi soluendum erat, declarauit se esse liberum ab obligatione soluendi, eo quod esset filius Dei, ex quo erat Rex, & Dominus omnium, vt dixi cap. 19. diffic. 4.

Certum est tertiò legem Euangelicam non obligasse Christum, quia fuit Auctor illius, & Legislator non obligatur strictè, & propriè suis legibus, quatenus positiuæ sunt, sed tantum tenetur lege naturæ, dare exemplum subditis, & hoc est leges obligare Superiores, quoad vim directiuam, non verò, quoad vim coactiuam; nam si pecent contra legem, non tenentur ad pœnam, de quo Tractatu de Legibus. Obligant etiam leges Superiores, si sint propor-

tionatæ suo statui, nam lex de soluendis tributis non obligat Principem. Deinde lex Euangelica non obligabat nisi Viatores, & post mortem Christi (nam tunc incœpit obligare lex Euangelica) Christus non erat Viator.

Dubium esse potest, an lex vetus obligarit Christum. Io. de Medina, codice de Pœnitentia, Tractatu 3. quæst. 1. ait Christum obligatum fuisse ad illam: sed oppositum est verum, nec tenebatur Virgo seruare legalia erga Christum, sed voluntariè fecit propter aliquas congruentias. Ita sanctus Thomas 3. parte, quæst. 37. art. 3. & 4. Ibi Bartholomæus de Medina, Suarez disp. 43. Lorca disp. 73. Hurtado disp. 15. diff. 2. & est communis sententia. Probatur Matth. 12. *Dominus est Filius hominis, etiam Sabbati*: ac si dicat se non esse obligatum ad Sabbati obligationem, & idem est de aliis præceptis. Probatur; quia Christus erat Dominus illius populi, & legis; & licet computaretur in illo populo, cùm non fuerit productus seminali propagatione, non fuit illius legibus subiectus.

Obiicies illud ad Galat. 5. *factum sub lege.* Respondeo cum Ambrosio, Hieronymo, & Augustino, &c. quod ita dicitur, quia sponte illam voluit obseruare, non quia tenebatur.

Dices, quod se circuncidit, ex quo obligauit se seruare legem. Respondeo negando talem obligationem, nam non se circuncidit, vt legem illam profiteretur, & illi se submitteret, sed ob varias causas, vt tradunt Patres.

Obiicies secundò, Matth. 5. *non veni soluere legem, sed adimplere.* Respondeo primò cum sancto Thoma, quod adimpleuit, non obligatione, sed sponte. Respondeo secundò cum Augustino, & Athanasio, quod adimpleuit sicut veritas adimplet figuram, & sicut donatio implet promissionem.

Maior difficultas est, an habuerit præceptum diuinum moriendi pro genere humano. Prima sententia negat tale præceptum. Ita Lorca citatus num. 11. qui eruditè illam deffendit, citans pro ea Dionysium Cisterciensem, Palud., Alber. Mag. & Victoriam. Secunda sententia & communis, docet Christum habuisse tale præceptum: quam docuerat Lorca, prima secundæ, disp. 43. de actibus humanis, Suarez disp. 43. sect. 3. cum sancto Thoma quæst. 47. art. 7. Insinuat Scotus in 3. dist. 16. quæst. 2. §. *ad primum*, littera I. Probatur Ioan. 10. *hoc mandatum accepi à Patre*, & Ioan. 14. *vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite eamus.*

Respondet Lorca, num. 18. quod ly *præceptum*, vel *mandatum*, non propriè, sed latè sumendum est, prout significat voluntatem efficacem Superioris absque imperio, quod vocat sanctus Thomas præceptum implicitum; nec mirum est, quod impropriè sumatur præceptum, nam Marci 10. Christus præcepit hominibus, vt tacerent miraculum, quos obligare non intendebat. Addit, quod sequeretur etiam Christum habuisse præceptum resurgendi, nam ibi Ioan. 10. dicitur, *& potestatem habeo iterum sumendi eam.* Sed contra, quia vbi non reperitur repugnantia, verba Sacræ Scripturæ propriè sunt intelligenda, secundum regulam Augustini, quæ repugnantia non reperitur, si in nostro casu ly *mandatum*, propriè intelligatur. Marci 10. non inuenio, quod dicit Lorca, sed fortè alibi erit, & ex eo quod Christus non intenderet obligationem, clarè sequitur non fuisse præceptum, sicut neque fuit, vt Christus resurgeret, vt colligitur ex verbis antecedentibus.

Propterea

Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Notate ly, *vt*, quod denotat finem. Itaque mors est medium, de qua fuit præceptum, resurrectio erat finis, qui consequendus erat per mortem, de quo non fuit præceptum.

Secundò probatur ex Ambrosio lib. 5. de Fide cap. 5. & Augustino Tractatu 82. in Ioannem, vbi dicunt datum fuisse Christo mandatum. Omitto alios Patres à Suarez relatos, qui in alio sensu loquuntur, vt eruditè notauit Lorca.

Ratione probatur, quia nulla est ratio, quæ nos cogat, vt negemus Christo rigorosum præceptum, quod in Sacra Scriptura expressè asseritur, nisi vt facilè, & suaui modo deffendamus Christi libertatem, simul cum eius impeccabilitate. Sed in sententia Scoti hoc non cogit, nam Christus, ex vi vnionis, non erat impeccabilis, vt dicam cap. 20. diff. 1. Rursus in sententia Lorcæ & aliorum, non potest negari Christo præceptum naturale, & cum hoc concedunt, operationes Christi liberas esse, ergo cum hoc etiam poterunt concedere libertatem morti Christi cum præcepto moriendi.

Sed obiicit Lorca Chrysost. Homil. 57. in Ioannem, *nihil aliud hoc loco præceptum significat, quàm cum Patre concordiam*: & Hom. 28. ad Heb. in illa verba, *qui proposito sibi gaudio, &c.* ait, *licebat illi nihil pati, si voluisset.* Respondeo ita fuisse locutum propter vitandos Arrianos, qui de Filio, vt Deo, intelligebant habere mandatum à Patre, & illi esse obedientem, & ita ait Chrysostomus, quod, vt Deus non habuit præceptum, sed cum Patre concordiam, & poterat non pati. Vel secundò respondeo, quod si Chrysostomus loquitur de Christo, vt homine, non negauit præceptum; sed ait non esse necessarium, nam sufficiebat insinuatio voluntatis Patris, cum quo habebat concordiam, ly *licebat*, idem est ac liberè poterat non mori. Eodem modo respondeo ad verba Euthimij, & Theophilacti à Lorca relata.

Secundò obiic. Cyrillum Alexandrinum libro 10. capite 20. *in obedientia voluntaria, paterni consummationem consilij, quod mandati loco tradi sibi significat*, &c. Respondeo fere eodem modo. Rursus non excluditur obligatio, sed ostenditur libera & spontanea volũtas, qua morti se tradidit Christus. Deinde Christus cognouit mandatum Patris, & cognouit consilium, & decretum de morte, vt ait Cyrillus, quod hoc consilium erat Christo, ac si esset mandatum, non tamen mandatum negat.

Tertiò obiic. Anselmum de mediatione Redemptoris cap. 4. *sustinuit nulla cogente obedientia, sed illa potente, disponente sapientia.* Respondeo, quod tantum vult, quod præceptum non necessitat, non tamen illud negat, sed fatetur, nam ait, *non enim illi homini Pater, vt moreretur cogendo præcepit, nam hoc spõte fecit.* Et postcà, *potest tandem dici, quia præcepit illi mori Pater, cum hoc præcepit, vnde incurreret mortem.*

Quartò obiicit Lorca, secundum Theologos negatur Christum emisisse votum, ergo & habere præceptum; Probatur, nam eadem ratione, quare negatur votum, scilicet quia Christus est confirmatus in bono, & non potest ab illo deflectere, etiam negatur præceptum; sed Scriptura Sacra docet Christum vouisse, Psal. 21. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum*, & tamen votum Christo negatur, ergo & præceptum poterit negari. Respondeo, quidquid sit de voto, eadem ratione deberetur negari præceptum naturale, quod non negat Lorca, & ita, sicut cum voto

compatitur præceptum naturale, ita & diuinum positiuum, siue Christus vouerit, siue non vouerit. Secundò, quia magis conueniens est Christo, non fuisse impositum tale præceptum, nam magis extollitur eius obedientia, si dicamus mortuum fuisse, cognita & tantùm insinuata voluntate Patris, quam si præcepto esset astrictus, nam ita perfectior obedientia est secundum sanctum Thomam secunda secundę, quęst. 104. art. 2. & 5. & Bernardum lib de præcepto & dispensatione, *perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur.* Respondeo, quod Patres tantùm affirmant, quod sine præcepto poterit esse perfecta obedientia, non tamen dicunt quod præceptum tollit rationem perfectæ obedientiæ: Christus ita fuit obediens, vt tantùm insinuatio Patris erat illi pro præcepto, non tamen ex hoc negatur fuisse Christo rigorosum præceptum.

Quintò obiicies, mors Christi non fuit in eius voluntate, nam perfecta fuit ex praua voluntate Iudæorum, sed pręceptum est de his, quæ sunt in nostra voluntate, ergo Christus non habuit præceptum de morte. Respondet Scotus citatus, quod non est illi præceptum, vt ipse efficeret mortem, sed vt complaceret & amplecteretur illam, quod est idem quod dixit Anselmus.

DIFFICVLTAS SEPTIMA.

Vtrum Christus in hac vita verè orauerit?

CERTVM est Christum, in hac vita aliquo modo orasse, Matth. 26. *Pater, si possibile est transeat,* &c. Et Lucæ 6. *erat pernoctans in oratione Dei.* Difficultas est an verè orauerit? Ratio dubitandi est, nam Chrysostomus Hom. 63. in Ioan. ait non verè orasse, sed vt nobis tribueret exemplum, simulauit se orasse. Idem videntur dixisse, Damasc. Hilarius, Euthimius, & Theophilactus.

Nobis, cum communi sententia dicendum est Christum, verè & ex animo orasse. Ita sanctus Thomas 3. parte, quæst. 21. art. 1. Probatur ex Ambrosio 4. de Fide ad Gratianum cap. 3. *vt scias quod secundum hominem rogat, Diuinitate verò imperat, habes in Euangelio, ego pro te rogaui Petre.* Secundò, nam Sacra Scriptura in rigore est intelligenda, dummodo non sit aliquod inconueniens, quod in præsenti non inuenitur: & ratione probatur, nam vera oratio est directio, & manifestatio propriæ voluntatis in ordine ad alterum superiorem, cuius subsidium imploratur, sed hoc conueniebat orationi Christi, quia secundum humanitatem erat inferior, ergo verè orauit: & quamuis oratio Christo non fuerit simpliciter necessaria, erat tamen congruum illa vti, vt ostenderet veritatem humanitatis, & nos doceret orare, & etiam orationis modum & fructum.

Dices, Christus cognoscebat omnia futura, sed nullus orat pro his quæ certò scit futura, ergò Christus verè non orauit, nam esset oratio otiosa. Respondeo Christum fructuosè orasse, quia sciebat talia futura euentura esse media sua oratione, & ita oratione indigebat, vt illa consequeretur. Ex quo colligitur, Christum ex animo orasse, quia aliàs non esset oratio vera sed ficta; & colligitur Ioan. 11. *Pater gratias tibi ago, quia exaudisti me*, nam non est auditus, nisi qui ex animo petit.

Ad rationem dubitandi, respondeo Chrysostomum, & alios Patres loqui contra Arrianos, qui inferebant ex oratione Christi non esse Deum; & licet optimè soluerentur eorum argumenta dicendo Christum orasse; vt

hominem, tamen voluerunt loqui de Christo, vt Deo, vt sæpè fecerunt Patres contra Arrium, admittentes illud Ioan. 14. *pater maior me est*, intelligi de Christo, vt Deo, ob solam prioritatem originis. Secundò, respondet Suarez disp. 45. sect. 1. quod dissimulabat Christus se orare, etiamsi propriè oraret, sicut qui interrogat, dissimulat se scire, etiamsi propriè sciat.

Dubitabis primò, vtrum Christus pro effectu miraculorum orauerit, & præcipuè quando Lazarum resuscitauit. Vasquez disp. 82. cap 2. dicit non orasse pro Lazaro, sed pro fide circumstantium, vt miraculo inducerentur ad credendum. Sed hoc voluntariè dicitur, nam communiter Patres dicunt pro Lazaro orasse, & colligunt ex ly Ioan. 11. *quia exaudisti me.*

Obiicit Vasquez verba sequentia, *ego sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat dixi, vt credant, quia tu me misisti.* Quibus verbis tantùm refertur gratiarum actio, non verò oratio. Respondeo, ly *Exaudisti me*, notat propriè orationem, sed fuit occulta, aut mentalis, quam illis verbis manifestauit, *gratias tibi ago*, ex quo patet quod prius fuit oratio, quam posteà secuta est gratiarum actio.

Obiicit secundò, quia hoc miraculum imperio est patratum, nam dixit Christus, *Lazare veni foras.* Respondeo, quod in oratione ostenditur humanitas, in imperio diuinitas, & fortè vtroque semper fuit vsus Christus in miraculis, & colligi potest ex ly *sciebam quia semper me audis*, ergò semper orabat dum miracula patrabat.

Dubitabis secundò, vtrum omnis oratio Christi exaudita fuerit. Suppono petitionem Christi inefficacem non fuisse exauditam, Matth. 26. *Pater si possibile est transeat, &c.* & petitionem efficacem fuisse exauditam, vt dixi cap. 18. diff. 3. Solum est dubium, an petitio inefficax fuerit vera oratio? Vasquez disp. 82. cap. 5. Becanus cap. 17. quæst. 3. Hurtado disp. 16. diff. 2. dicunt omnem petitionem Christi fuisse exauditam, nam petitionem inefficacem dicunt non esse orationem.

Nobis dicendum est, cum Valentia puncto 2. Lorca disp. 80. Suarez, &c. non omnem orationem Christi fuisse exauditam, quia habuit orationem inefficacem, quæ fuit propria oratio. Probatur, de ratione orationis non est consecutio rei, sed manifestatio desiderij proprij, rei quæ petitur; sed hanc manifestationem habuit Christus respectu Patris, ergo verè orauit. Et confirmatur, nam Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, & alij Patres à Lorca relati, dicunt orationem non exauditam, esse veram orationem, & patet, quia Christus pro persecutoribus verè orauit.

Obiicit Vasquez, nam oratio requirit animum impetrandi, sed quæ inefficaciter petuntur, non est cum animo consequendi, ergo non verè oratur. Respondeo esse animo inefficaci impetrandi, quod sufficit, nam hoc erat conueniens, tùm propter veritatem naturæ humanæ, tùm vt instrueremur, tàm in patientia, si non consequimur quod petimus, quàm vt Deo omnia subiiciamus, & nolimus nisi quæ Deo placuerint. Quærit sanctus Thomas art. 3. an Christus sensualitate orauerit? Et respondet non orasse appetitu sensus, nam oratio est actus voluntatis; dicitur tamen, quodam modo sensualitate orasse, quia oratione affectum sensualiatis expressit, vt fecit recusans mortem quando dixit, *pater si possibile est, transeat à me calix iste.*

DIFFICVLTAS OCTAVA.

Vtrum nunc Christus oret in cœlo?

CERTVM est Christum oratione interpretatiua orare in cœlo, scilicet ostendendo Patri sua vulnera, ad Heb. 9. *Christum introiisse in cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Difficultas est de oratione expressa. Prima sententia negat. Ita Rupertus l. 9. de diuinis Officiis cap. 3. Medina & Aluarez quæst. 21. art. 1. Aragon secunda secundæ, quæst. 83. art. 11. Vasquez disp. 81. Becanus cap. 17. quæst. 4. Hurtado disp. 16. diff. 3.

Secũda sentẽtia quæ asserit nũc Christũ in cœlo orare, magis placet. Suarez disp. 45. sect. 2. Valentia puncto primo, Lorca disp. 81. Ragusa disp. 18. Probatur primò, ad Rom. 8. *qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et ad Heb. 7. & 1. Ioan. 2. Quæ verba de vera oratione intelligunt, Iustinus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, & alij apud Lorcam & Suarez. Et ratio est, quia si nulla est implicatio, quare scriptura sacra non intelligenda est in sensu proprio? Secundò probatur, quia Christus in cœlo habet curam nostri, & vult fieri ea quæ ad salutem nostram expediunt, & hoc dirigit ad Patrem, & illi manifestat, nam ab humanitate præcise nequeunt fieri, ergo orat. Probatur consequentia, nam hoc est orare.

Prima sententia obiicit Ioannis 16. *non dico vobis, quia rogabo Patrem de vobis.* Respondeo cum Hil. 6. de Trinitate, quod Christus non dixit, *non rogabo*, sed dixit, *non dico, quia rogabo*, hoc est, oratio mea non est omninò necessaria, quia quamuis ipsa deesset, Pater amat vos, nam non solum mea oratione obtinebitis, quod vobis expedit, sed etiam amore Patris. Et colligitur e Ioannis 14. vbi ait Christus, *ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*, vbi loquitur de oratione in cœlo, nam loquebatur de Ascensione sua, & missione Spiritus Sancti, & his verbis Discipulos consolabatur.

2. Obiiciunt plures Patres. Respondeo, non negare expressam orationem, sed tantum dicunt orare ostendendo vulnera, & quod nunc non genuflectit, nec voce orat, nam hæc erant in via necessaria ad nostram eruditionem, propter quod non ita fit in patria. Vel respondeo, quod nunc Christus non orat merendo de nouo, sed proponendo sua merita.

3. Rationibus obiic. prima est, quia orare est impetrare, sed hoc est mereri de congruo, in cœlo non est meritum, ergo neque oratio. Respondeo, etiam sancti orant in cœlo & non merentur, quia non est status merendi, Christus tantum petit, vt sua merita à Patre applicentur pro tali persona, vel tali necessitate.

Secunda ratio, quia talis oratio est otiosa, tùm quia Christus habet omnem potestatem, tum quia est certus de omnibus euentibus. Respondeo primò, etiam idem habebat in terra, & orabat. Secundò respondeo, quod sciit futura euentura esse media sua oratione, habebat ergo Christus potentiam non in sola humanitate, sed in subsidio diuinitatis, quod subsidium oratione impetrabat.

Tertiò obiicit Hurtado, quia ridiculum est, partem nostræ redemptionis relinquere orationi suæ in cœlo, tanquàm applicationi. Primò, quia sequeretur non fuisse nostram redemptionem consummatam in via. Secundò, quia erat necessarium, vt in via sic Christus oraret. Obsecro Pater, vt gratiam, quam à te postulo nunc pro Fran-

ciſco, eam conferas illi, quando ego in cœlo exiſtens, iterùm illam poſtulabo. Reſpondeo, quod nihil redemptionis relinquitur, vt conſumetur in cœlo; ſed merita facta in via applicantur; neque neceſſarium eſt, vt Chriſtus illo modo oret, ſed ſolum, quod generaliter offerat ſuam mortem efficaciter, pro quibus Pater efficaciter voluerit conferre, & nunc in cœlo oret pro beneficio, quod ſcit dependere à ſua oratione, tanquam à deprecatione.

Obiic. vltimò, quia nobis liceret dicere, *Chriſte ora pro nobis*, quod non eſt in vſu Eccleſiæ, ſed *Chriſte audi nos, miſerere nobis.* Reſpondeo primò, cum Lòrcea, quod loquendum eſt in hac materia, ſicut in adoratione, qua adorandus eſt Chriſtus ſecundum maiorem excellentiam, ita impetrandum ſecundum maiorem dignitatem. Secundò reſpondeo, cum Suarez ex Ambroſio & Auguſtino; quod ſi quis ſciat diſtinguere de Chriſto, vt homine, etiam poteſt petere, vt oret pro nobis, & quòd noſtram orationem cum ſua vniat.

CAPVT VIGESIMVM.

De defectibus aſſumptis à Chriſto Domino.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum Chriſtus potuerit peccare?

SVPPONO de fide non fuiſſe in Chriſto peccatum originale, Lucæ 1. *quod ex te naſcetur ſanctum*; & ratio eſt quia originale trahitur per ſeminalem propagationem, ſed Chriſtus non fuit ita conceptus, ſed à Spiritu Sancto, ergo, &c. Rurſus, quia in primo inſtanti fuit ſanctus & beatus, &c. Suppono 2. de fide eſſe Chriſtum nunquam peccaſſe, primæ Petri 2. *qui pecatum non fecit*, &c. Ita definitur in Epheſino, Can. 10. & ratio eſt, quia erat beatus à primo inſtanti, & beati non peccant. Deinde ad finem Incarnationis peccatum non proficiebat, ſed officiebat. Propter quod errauit quidam Apoſtata Præmonſtratenſis, dicens Chriſtum in Cruce, cum Matth. 21. dixit? *Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* deſperaſſe: & ob id damnatum fuiſſe. Reſpondeo verba illa non fuiſſe deſperantis, ſed maximè dolentis, nam dixit, *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Dicitur Chriſtus derelictus, quia permiſſus fuit vehementer pati.

Obiicies primò, primæ ad Corinth. 5. *qui pecatum non fecit, pro nobis peccatum fuit.* Reſpondeo, potius hoc eſt pro nobis, nam ly *peccatum fuit*, id eſt, Pater fecit illum hoſtiam pro peccato, iuxta illud Oſeæ 4. *peccata populi comedent Sacerdotes*, id eſt, hoſtias.

Secundò obiicies, Pſal. 21. *longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* Reſpondeo cum Auguſtino oratione 2. in hunc Pſal. Damaſ. 3. Fidei cap. 25. Nazianz. &c. quod Chriſtus peccata ſuorum membrorum, quæ ipſi, vt capiti tribuuntur, iuxta regulam Thiconij, vocat ſua delicta.

Dices, quod in Concilio Baſilienſi damnatus fuit Auguſtinus de Roma, quia dicebat *Chriſtus peccauit, & quotidiè peccat*, & explicabat de peccatis noſtris, quæ Chriſto attribuuntur. Reſpondeo, quidquid ſit de auctoritate illius Concilij, meritò hoc damnatur, nam abſolutè ſignificatur Chriſtum eſſe auctorem peccati, & in ſe ipſo peccare.

Quo supposito, difficultas est, verum potuerit Christus de potentia Dei absoluta peccare per voluntatem humanam; hoc est, an cum vnione hypostatica compatibile sit peccare, an verò ex vi vnionis peccatum excludatur, (quomodo peccatum compatibile sit cum beatitudine, dixi Tractatu de beatitudine.)

Prima sententia inter Thomistas communis, docet Christum ex vi vnionis, secluso alio quocunque dono, esse impeccabilem, est sententia Magistri in 3. distinct. 12. Ibi sanctus Thomas, Diuus Bonauentura, Suarez disp. 33. sect. 2. Vasquez disp. 61. cap. 3. qui dicunt oppositum non carere nota aliqua, vel temeritate. Ragusa disp. 214. Hurtado disput. 10. diffic. 7. Lorca disput. 57. membro 2. qui docet peccatum actuale non pugnare physicè cum vnione, benè tamen habituale.

Secunda sententia ait Christum ex vi vnionis præcisè, non esse impeccabilem. Ita Scotus in 3. distinct. 12. Ibi Bassolis, & Scotistæ præter Pytigianum, qui singulariter philosophatur: tenet Rada 3. parte controuersia 4. art. 3. Faber. disp. 27. Durandus, Gabriel, Marsilius dist. 12. Probatur primò, humanitas de se non est impecabilis, sed potius peccabilis; sed ex vnione ad Verbum nulla impeccabilitas illi competit, ergo. Probatur minor, nam adhuc vnita indiget gratia Dei ad rectè operandum, vt dixi cap. 11. distinct. 5. sed talis gratia liberè confertur à Deo, ergo si illi non tribuatur, poterit peccare, nam sine gratia Dei non poterit omne bonum efficere, & omne euitare peccatum.

Respondebis, quod posita vnione nullo auxilio indiget ad bona opera. Sed contra, quia vnio, neque Verbi præsentia est principium formale operandi, ergo non potest supplere defectum, quem ex natura sua humanitas habet, ad aliquid efficiendum, sicut non supplet concursum generalem ad opus naturale, nam per vnionem ad Verbum, potentiæ Christi non fiunt efficaciores & potentiores, vt dixi cap. 18. diffic. 1. Rursus hæc motio nequit esse à Verbo, nam cum sit ad opus ad extra, debet fieri à tota Trinitate. Secundò si intellectus & sensus Christi nihil aliud haberent quàm esse vniti Verbo, adhuc essent errori, & deceptioni subiecti sicut nostri, vt tenent plures Auctores primæ sententiæ, & videbimus difficult. 3. ergo & voluntas esset peccabilis.

Respondebis secundò, quod tale auxilium debetur vnioni. Sed contra, quia licet debeatur de congruo, & de potentia ordinaria, non tamen ita quod Deus teneatur illud tribuere, nam non est vnde talis obligatio in Deo oriatur, cùm possit Deus assumere humanitatem in puris naturalibus. Hæc sententia magis probabitur ex refutatione primæ sententiæ.

Primam sententiam diuerso fundamento probant Auctores; noster Alensis dicit Verbum non posse assumere naturam, nisi gratiis ornatam, & cùm gratia & peccatum non possint simul esse, hinc oritur, vt humanitas impeccabilis sit. Sed vtrumque est falsum, vt dixi cap. 9. diffic. 1. & Tractatu de Iustificatione. Secundò Henricus dicit Verbum non potuisse assumere humanitatem, nisi beatam, & peccatum cum beatitudine non compatitur. Sed hoc reiicit Scotus in 3. distinct. 2. quæst. 1. contra ipsum Henricum. Secundò, iam non ex vi vnionis esset impeccabilis, sed ex fruitione.

Tertiò probant Diuus Thomas, Diuus Bonauentura, Paludanus, Suarez, Montessinos, nam sequeretur, quod Deus denominaretur peccans,

nam peccatum tribueretur Deo, quod est absurdum & offendit pias aures. Probant aliqui, quia actiones sunt elicitiuè suppositorum, cum ergo suppositum sit Deus, Deus peccabit. Alij, vt Suarez & Montessinos, probant etiam, quia Deus tenetur regere & gubernare talem humanitatem, aliàs illi imputarentur peccata, sicut imputantur Prælato, si non benè gubernat subditos, & sicut voluntati imputantur motus appetitus sensitiui, & manuum, &c. si illos non reprimit & benè gubernat.

Sed contra primò, quia actiones non sunt elicitiuè à suppositis, sed tantùm denominatiuè; & per communicationem idiomatum dicetur Verbum posse peccare, sicut dicetur mori, pati, &c. & hoc non offendit pias aures; si sint doctæ, sicut sunt piæ, & sciant discernere, quomodo conueniat hoc prædicatum, & quomodo non, vt notauit Lorca ex Gabriele: imò istæ denominationes, *mortuus*, *passus*, cum physicæ sint, magis repugnant cum Deo, qui est per essentiam vita, quam denominationes morales. Secundò, quia nulla ratio est, quare Deus teneatur ex iustitia regere talem humanitatem, benè tamen ex congruentia. Neque exempla habent vim, nam Prælatus tenetur ex iustitia, ratione officij, vitare subditorum peccata, & ita si non euitat, illi imputantur. Appetitus sensitiui, & aliarum potentiarum peccata, non ideò imputantur homini, quia istæ potentiæ sunt homini coniunctæ, sed quia taliter sunt coniunctæ, vt voluntate & scientia hominis, tota natura & eius potentiæ gubernantur: at humanitas Christi non gubernatur voluntate, & scientia Dei increata, nisi tantum sicut aliæ naturæ gubernantur à prima causa, sed scientia, & voluntate humana & creata regitur, & ita Deo non imputatur peccatum, sicut imputatur nostræ voluntati actio appetitus sensitiui, vel manus.

Ad primam replicam aliqui respondent, quod Deus dicitur *mortuus*, *passus*, &c. quia cùm sint entia physica, & non sint mala culpæ, sed pœnæ, potest Deus esse causa illorum, non verò potest esse causa peccati, & ideo non dicitur Deus peccare. Sed contra, quia hoc non est ad rem, nam istæ denominationes non sumuntur, prout dicunt ordinem effectus ad causam efficientem, nam licet per impossibile Deus non esset causa passionis, Deus diceretur passus; tantùm dicunt ordinem denominati ad formas denominantes. Secundò occidentes Christum, in tali actione peccabant, & Verbum denominabatur mortuum peccaminosè, & tamen Deus aut Verbum non erat causa talis peccati & formæ; ergo ad denominationem non est necessarium, quod Deus sit causa formæ. Tertiò contra Lorcam, maior repugnantia est physica, quàm moralis, sed Deus dicitur physicè mortuus & passus, ergo etiam dicitur peccans, quæ est forma moralis.

Secundò respondet Montessinos, quod mala pœnæ, vt est *esse mortuum*, &c. sunt ordinabilia in Deum, secus peccatum, nam potiùs est auersio à Deo, & repugnat Deum auerti à se ipso. Sed contra, quia ex hoc tantùm colligitur quod Deus non possit formaliter elicere peccatum & effectiuè, nō tamen probatur, quod per communicationem non possit denominari peccans, sicut non repugnat, quod qui est vita per essentiam, dicatur mortuus, quæ est maior repugnantia, quàm auerti moraliter à se ipso per denominationem.

Vasquez cap. 6. Suarez, Montes-

ſinos, & Hurtado aliter deffendunt primam ſententiam, dicunt humanitatem eſſe ſanctam ipſa deitate, cum qua ſanctitate non poſſunt eſſe peccata, aliàs eſſet ſimul odio habita & dilecta Deo dilectione ſupernaturali, quod exemplo Origenis explicatur; nam ferrum ignitum, quando eſt in camino ignis, frigefieri non poteſt, ergo neque humanitas Verbo vnita, peccare.

Sed contra primò, nam hoc fundamentum reieci cap. 11. difficult. 2. Secundò contra ſe loquuntur, nam, excepto Suarez, omnes iſti dicunt peccatum expelli non poſſe, niſi per formam intrinſecè inhærentem, ſed deitas eſt ſanctitas extrinſeca, ergo non expellit peccatum. Tertiò, quia etiam ſi de facto per talem extrinſecam ſanctitatem peccatum expellatur, non tamen de potentia Dei abſoluta, nam hæc ſanctitas non habet maiorem vim quàm gratia habitualis, cùm qua compatibile eſt peccatum, vt dixi contra hos Auctores Tractatu de Iuſtificatione. Quartò, hoc dato, non tamen expelleret peccatum actuale, neque redderet ſubiectũ impeccabile, vt optimè notauit Lorca. Probatur primò, quia gratia habitualis, quæ perfecta ſanctitas eſt, hoc non facit. Secundo, quia talis deitas phyſicè non immutat potentias humanitatis, neq; tribuit aliquam virtutem operandi, ergo non eſt vnde tollatur libertas ad peccandum, ſicut non tollitur ad merendum, nam eadem ratio eſt de merito & de demerito; nam ſicut qualitas prædeterminans tollit omninò libertatem, ſecundum hos Auctores, quia eſt antecedens; ita ſimiliter hæc vnio eſt antecedens, ergo tollit omnem libertatem, tàm ad meritum, quàm ad demeritum.

Dices, quòd anima Chriſti per vnionem deificatur, & mutatur intrinſecè, & ita non poteſt prorumpere in peccatum, benè tamen in meritum, ſicut materia prima cœli, per formam cœli ita mutatur, vt non poſſit recipere plura accidentia quæ reciperet, niſi haberet talem formam. Sed contra, quia per formam cœli, reſultat aliud compoſitum, quod habet diuerſam eſſentiam & proprietates, & ita recipit diuerſa accidentia; at verò humanitas per deitatem non mutatur in alterum principium operandi, ergo habet eaſdem proprietates & accidentia, ac per conſequens libertatem ad peccandum. Exemplum ferri non conuincit, nam optimè poterit eſſe ferrum in camino ignis, & eſſe frigidum de potentia Dei abſoluta, vt accidit tribus Pueris Babylonis.

Obiicit prima ſententia plures Patres dicentes Chriſtum fuiſſe impeccabilem. Propter quod Capreolus, quem alij ſequuntur, dicit oppoſitum dignum eſſe cenſura. Sed reſpondeo cum Lorca, Patres non loqui ex vi vnionis, ſed de illo quod de facto Chriſtus habuit ex vi aliorum donorũ, & manutenẽtia Dei, de quo latè dixi Tractatu de Beatitudine; & ita cenſura Caprina paruifacienda eſt, nam etiam deberet Capreolus cenſurâ inurere Diuum Thomam, qui in 3. diſt. 12. quæſt. 2. art. 1. ait, *ſub conditione concedi poteſt, quod Chriſtus peccare potuit, ſcilicet ſi voluiſſet, quamuis hoc antecedens ſit impoſſibile.* Et anteà, *&, vt dicit Damaſcenus, deitas regebat animam, & anima corpus, vnde non poterat peccatum attingere ad eius animam.* Vbi impeccabilitatẽ tribuit ſolũ gubernationi Dei, quod Scotus vocat manutenentiam. Vbi nota, quod ly, *ſi voluiſſet*, non facit relationẽ ad voluntatem diuinã, vt dicit Lorca, ſed ad humanã Chriſti: vnde ſi Cenſores eſſemus, poſſemus primam ſententiã notare ex Concilus generalibus, ex Damaſceno & Patribus, diſtin-

distinguentibus naturas in Christo & non confundentibus, quod confundunt Thomistæ dicentes Christum esse impeccabilem secundum humanitatem, cum humanitas non fuerit variata intrinsecè ex vnione, & de se peccabilis sit, cum sit creata.

Secundo Obiic. Omnes Christi operationes sunt Dei viriles, ergò implicat quod aliqua sit peccaminosa. Respondeo quod si operationes Theandricæ, tantùm sint miraculosæ & meritoriæ, peccatum non diceretur opus Theandricum; si verò sint Theandricæ omnes operationes & per communicationem idiomatum, vt etiam dixi cap. 10 diffic. 3 in hoc sensu etiam peccatum dicitur Theandricum, sicut manducare, ambulare &c.

Tertiò Obiic. Deus semper facit quod iustum est & bonum, sed non est bonum quod natura vnita sit peccabilis, ergo &c. Respondeo negando minorem, imò impossibile est naturam creatam impeccabilem esse ab intrinseco, vt dixi Tractatu de Angelis: iniustum esset quod actu peccaret, quod non habebat humanitas Christi.

Quartò, nam sequeretur Christum non esse magis impeccabilem, ac confirmati in gratia & Beati sunt impeccabiles. Respondeo concedendo, solùm Christus habuit congruentiam vnionis, quam nullus alius habuit, quæ est maxima excellentia.

Ex dictis colligitur primò, peccatum mortale non pugnare cum vnione, itaque de potentia Dei possunt simul esse, ac per consequens si Verbum assumeret naturam cum peccato, ex vi vnionis peccatum non expelleretur.

Secundò, colligo quod non est dissonum concedere in Christo absolutè esse potentiam ad peccandum (quod Faber num. 19. & nostri Scotistæ non audent concedere, ex eo quod quando potentia non est proxima sed remota, vt est quam habet Christus ad peccandum, absolutè non dicitur posse, quia impedita est,) Nam Christus ideò impeccabilis dicitur, quia manutenetur à Deo, & semper concurrit ad actum dilectionis Dei, cum quo non compatitur peccatum; sed ferè hoc ipsum habet quilibet habens auxilium efficax ad aliquod opus, & tamen de illo absolutè dicitur, quod potest simpliciter efficere oppositum, ergo etiam poterit dici de Christo: nisi dicamus quod in Christo non fuit cogitatio alliciens ad peccandum, sicut est in aliquo habente auxilium efficax ad bonum, propter quod solùm dicetur habere Christum potentiam remotam ad peccandum, & absolutè vocandum esse impeccabilem, quia non habet potentiam proximè expeditam, vt dicũt nostri Scotistæ, quod insinuat Scotus dist. 12. citata in fine, licet mihi videatur quod loquitur de peccare actualiter, nam ait, *Christus non potest peccare* &c, vt dixi Tractatu de Beatitudine, manutenentia Dei non necessitat antecedenter, sed consequenter, vt docet Scotus in 4. dist. 49. quæst. 6. litera K.

DIFFICVLTAS SECVNDA

An in Christo fuerit fomes peccati?

SVPPONO ex Trident. sess. 5 de peccato originali can 5. quod fomes non est peccatum, sed ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Est dubium inter Recentiores quid sit fomes, & omissa sententia aliquorum, quam insinuat noster Corduba lib. 1. quæst. 45. art. 1. dicentium esse quandam qualitatem; nam in Adam, ex peccato ortus est fomes, non tamen aliqua qualitas, Vasquez disp. 61. cap. 8. & 1. 2 disp. 118. cap. 4. Hurtado disp. 10. diff.

8 dicunt fomitem esse actus secundos inordinatos appetitus sensitiui, præuenientes rationem: sed magis placet dicere cum Lorca disput.58 & Montess. non solum in his actibus secundis consistere, sed etiam in praua inclinatione appetitus per modum actus primi, orta ex peccato; nam hæc inclinatio praua, cum non fuerit in Adam antè peccatum, oritur ex peccato, & ad peccatum inclinat, ergo est fomes. Rursus in pueris etiam renatis, & in dormientibus est fomes, & tamen in illis non sunt actus secundi inordinati.

Hoc supposito, prima sententia est Durandi in 3. dist. 3. quæst. 3. dicentis in Christo fuisse fomitem, licet impeditum, nam in illo fuit appetitus sensitiuus inclinans ad bonum delectabile. Sed contra Durandum insurgit tota Schola, iudicans hoc absurdum, nam licet fuerit in Christo talis appetitus, non inclinabat in delectabile contra rationem: neque oriebatur ex peccato, & ita in illo non fuit fomes. Sic Augustinus, Leo, Damascenus &c. Et probatur, quia fomes non fuit in Adam antè peccatum, neque in Virgine, neque est in Beatis, ergò neque fuit in in Christo, nam hoc erat indecens, quia licet non sit peccatum, ad illud inclinat, & peruertit debitum ordinem inter potentias, quod non est concedendum in Christo.

Obiicies primò, in Christo fuit tristitia & fuga mortis, ergo fuit fuga appetitus cum ratione, in quo comsistit fomes. & confirmatur ex Cyrillo l. 10. Thesauri capite 3. docente in Christo fuisse passiones quæ vincerentur. Respondeo quod talis appetitus, fuit in Christo excitatus ab imperio voluntatis, & fuit sicut ratio postulabat, & ita non habet rationem fomitis, nam in hoc tantùm Christus declarauit carnis infirmitatem. Cyrillus dicit fuisse passiones Christi victas, non quia fuerit pugna, sed quod in nobis est effectus pugnæ, scilicet victoria, in Christo fuit ab instanti conceptionis. vel respondeo, vt ait Suarez, quod loquitur de metu & dolore, qui fuerunt in Christo per rationem moderati.

Secundò Obiicies ad Heb. 4. Christum fuisse tētatum per omnia absque peccato, ergo habuit tentationem carnis, ac per consequens fomitem. Respondeo Christum tentatum esse ab extrinseco, scilicet à Dæmone, non verò ab intrinseco, quia in tali tentatione est inordinatio potentiarum, quod est indecens Christo.

Dices quod etiā fuit in Christo cognitio interior, qua cognoscebat obiectū à Dæmone propositum, ergo fuit interius tentatus. Respondeo quod non alliciebatur à suo appetitu sensitiuo, neque aliquo modo tentabatur voluntas, vt vellet id quod tentator proponebat, & ita non fuit illa tentatio ab intrinseco & interior.

Petes, per quid fuerit fomes in Christo extinctus: Vasquez cap. 8. citato, & Hurtado dicunt quod ex visione beata, quæ ita absorbebat mentem, vt non pateretur insurgere motus appetitus, vt contingit in patientibus Ecstasim. 2. ex perpetua vigilia, quæ non permittebat appetitum insurgere nisi ex imperio voluntatis. 3. ex manutenentia Dei. Sed hoc non placet, nam omnia ista tantùm impedirent fomitem quoad actum secundum, non quoad actum primum, nam omnia ista intrinsecè non immutant.

Propter quod dico cum Lorca, etiam esse aliquod donum intrinsecum in appetitu, quod ipse vocat virtutes, nos verò minimè (nam in appetitu non ponimus virtutes, sed habitus, vt docet Scotus in 3. dist. 33. de quo Tractatu de Virtutibus) colligo ex Scoto in

2. dist. 29. §. *potest dici*, ponente in appetitu Adami, in statu innocentiæ, donum quo rationi subiiceretur. Neque negat Scotus protectionem Dei, nam littera, C, illam fatetur; & ratio est, quia sine tali dono appetitus delectabiliter non obediisset rationi, vt ergo hoc delectabiliter agat, oportet ponere donum. Rursus ponitur donum, vt auferatur per modum actus primi praua inclinatio appetitus. Etiam necessaria est aliqua conueniens dispositio in complexione corporea, quam vocat Scotus, litera C. citata, *bonum regimen intrinsecum*, nam cum appetitus sensitiuus sit potentia organica, quæ corporeo organo vtitur, multùm pendet eius inclinatio à complexione & qualitatibus corporis.

DIFFICVLTAS TERTIA

Vtrum in Christo potuerit esse ignorantia?

IGNORANTIA duplex est, vna positiua, vt error, altera negatiua, quæ est defectus scientiæ, & hæc est duplex; vna quæ debita est alicui subiecto, & vocatur ignorantia vera & propria & priuatiua; altera quæ non est debita tali subiecto, & est negatiua, & vocatur nescientia. suppono in Christo fuisse aliquam nescientiam, nam non cognouit omnia singularia possibilia, scientia infusa, vt dixi capite 16. diff. 6. Suppono 2. non fuisse in Christo propriam ignorantiam, nam omnia ad suum statum pertinentia cognouit, vt patet ex cap. 15. & 16.

Dubitant Auctores an sit de fide in Christo non fuisse ignorantiam? Aliqui dicunt esse de fide; sed magis placet dicere non esse de fide, sed tantùm temerarium esse, illã Christo tribuere. Ita Vasquez, Lorca disput. 59. nam nullibi est definitum. Rursus Athanasius Oratione 4. contra Arrianos, Cyrillus, Ambrosius &c. concesserunt Christo ignorantiam diei iudicii & aliarum rerum.

Dices quod Isidorus, Gregorius, & Damascenus, tanquàm Hæreticos dãnarunt Agnoitas, vel Gnoitas dicentes Christum diem iudicii ignorasse. Respondeo non esse damnatos, quia admittebant in Christo aliquam ignorantiam, sed quia illam admittebant tanquam in puro homine, excludentes scientiam à supposito diuino, nam Agnoitæ erant Nestoriani, vt colligitur ex Sophronio & Gregorio.

Obiicies primò, Marci 13. loquentis de die iudicii, *de die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, neque Filius, nisi Pater.* Respondeo primò cum Augustino 1. de Trinit. c. 12. quod neque Filius nouit ad manifestandum, nã ita solet loqui sacra Scriptura, Genes. 22. *nunc cognoui quod timeas Dominum*, dixit Deus Abrahæ, idest, nunc manifestum fecit. 2. Respondeo cum Gregorio lib. 8. Epistol. epistola 42. quod neque Filius cognouit proprio discursu, sicut neque Angeli.

2. Obiicies Ioan. 11. nam Christus interrogauit de Lazaro, *vbi posuistis eum?* & alibi sæpè, vbi Christus interrogauit. Respondeo cum Damasceno 4. de fide, cap. 19. non fuisse interrogationem ortam ex ignorantia, sed ex simulatione prudenti, vt acciperet occasionem docendi.

Difficultas est de potentia absoluta, an potuerit esse in Christo ignorantia, tam priuatiua quàm positiuus error. Negant Suarez disp. 34. sect. 3. Montessinos, Ragusa &c. Vasquez disp. 61. cap. 9. Lorca disp. 51. Hurtado disp. 10. diff. 9. dicunt posse esse in Christo errorem speculatiuum, non verè practicum. Addo ergo quod vtrumque errorem potuit habere, & probatur;

quia si Christus potuit peccare, ergo & errare. 2. error non est malum culpę, sed malum pœnæ; sed hoc non habet oppositionem cum vnione; nam flagella, mors &c. etiam sunt mala pœnæ, & fuerunt in Christo. Deinde Verbum non tenebatur impedire talem errorē, quia non eliceretur à natura Verbi, sed ab humanitate; ergo poterat errare. Hoc argumento vtuntur Recentiores, & habet vim contra ipsos negantes Christum potuisse errare.

Prima sententia obiicit Anselmum li. *cur Deus homo*, capite 13. excludentem à Christo omnem possibilitatem ignorantiæ, & probat, quia ignorantia nequit in Deum ordinari, ergo non est vtilis, vt possit esse in Christo. Respōdeo Anselmum loqui de facto, non de potentia Dei, nam de facto nullam vtilitatem habet error ad nostram salutem, neque decens erat vt auctoritas tanti Magistri ex deceptione minueretur, non tamen hoc repugnat.

2. Obiicies omnia opera Christi, ab vnione recipiebant infinitā dignitatem, ergo etiā locutiones Christi recipiebāt infallibilitatem. Et confirmatur Ioan. 14. vbi Christus dicebat, *creditis in Deū, & in me credite.* Quæ verba secundum Augustinum, & alios Patres, inuoluunt illationem, ac si diceret, sicut in Deum creditis quia est infallibilis in dicendo, ita in me debetis credere. Respondeo dato antecedente negando cōsequentiā, disparitas est, nam dignitas & valor operis prouenit à sanctitate operantis, & ita sicut Christus est infinitè sanctus ex vnione, in illa sententia, ita & opera infinitè digna: at verò infallibilitas in dicendo, non prouenit ex vnione, sed ex scientia & bonitate dicentis, & poterat Verbum esse vnitum etiam si humanitas non haberet scientiā, sicut poterat bruto vniri. Ad confirmationem respondeo, sacram Scripturam loqui secūdum quod Christus habebat de facto, & vt erat instrumentum diuinitatis, nam vt sic, errare non poterat, sicut neque Papa, vt est organum Dei.

3. Obii. implicat Deum imprudenter agere, sed assumere naturam, & non impedire errorem in illo, est imprudentia, ergò implicat error in Christo. Respondeo negando minorem, nam poterat prudenter hoc velle, vt cognosceretur fragilitas & veritas talis humanitatis, & ob alios fines.

Petes an fuerit deceptio in visu Christi, quando videbat res distantes, vt Solem, sicut est in nobis, qui minor apparet? Respondet negatiuè Suarez; sed magis placent Lorca, Vasquez, & Hurtado, affirmatiuè respondentes, nam hoc est connaturale & conforme naturæ visus, & mirum esset, si Christus non vidisset Iridem in nubibus: corrigebat tamen Christus istas deceptiones ex scientiis quas habebat, sicut & nos plurima corrigimus.

DIFFICVLTAS QVARTA.

Quos defectus corporales Christus assumpsit?

PRÆSVPPONO Christum assumpsisse illos defectus qui fuerunt naturæ communes post Adami peccatum, vt ita ostenderet veritatem naturæ humanæ, & pro nobis posset satisfacere, non verò illos qui erant speciales alicuius, quia hoc non erat decens neque conueniens.

Petes primò, an corpus Christi fuerit passibile? negarunt aliqui hæretici, vt Iulianus, & pro hoc errore refert Vasquez disput. 59. capite 1. Hilarium 10. de Trinitate; sed Diuus Bonauentura in 3. dist. 16. art. 1. quæst. 1.

refert Hilarium se retractasse. De fide est corpus Christi, antè resurrectionem fuisse passibile, primæ Petri 2. *Christus passus est pro nobis, &c.* definitum est in Conciliis Ephesino, & Lateranensi: & ratio est quam modo dicebamus. ob. Actorum 2. *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Respondeo ibi non loqui de morte, ied de putrefactione.

Petes secundò, an Christus assumpserit morbos corporales? Respondeo cum omni schola & Patribus, Christum omni morbo caruisse. Legatur Lorca disp. 55. num. 7. Ratio est, quia hoc non erat necessarium, & erat Christo indecens. Rursus communes causæ morborum non fuerunt in Christo, vt immoderatus cibus & potus, & actiones immoderatæ.

Obiicies Isaiæ 53. *verè languores nostros ipse tulit*, vbi Matth. cap. 8. iuxta lectionem Septuaginta *ægrotationes nostras portauit.* Respondeo, quod ly, *tulit*, id est abstulit. Secundò respondeo, quod tulit pœnas pro nostris peccatis, & hoc vocatur infirmitas & ægrotatio. Secundò obiicies Isaiam ibidem, *& nos putauimus eum quasi leprosum.* Respondeo, quod ita dicitur, quia Iudæi cauebant à Christi consortio, ac si esset leprosus.

Petes tertiò, si Christus non fuisset morte violenta præuentus, an mortuus esset morbo vel senio? Affirmant aliqui Medici de morbo, Valesius lib. 6. controuersiarum cap. 1. dicens non posse mortem naturalem euenire absque morbo.

Nobis dicendum est, cum Scoto in 3. dist. 16. quæst. 2. §. *ad quæstionem*, Suarez disp. 32. sect. 2. Vasquez disp. 6. c. 1. Bonauentura, Ricardo, Medina, Cabrera, Ragusa, &c. quod si Christus morte violenta non præueniretur, tandem senio confectus moreretur. Scotus non dicit, an senectus sit morbus vel non, cæteri dicunt non esse morbum, sed fortè est quæstio de nomine. Probat Scotus, nam corpus Christi fuit animale, ergo fuit in illo corruptio, & restauratio per sumptionem alimenti, sed nequit restaurari totum quod deperditur, ergo tandem corrumperetur.

Dices, quod Christus sciuit, quantùm necesse fuit sumere, vt tantùm restauraretur quantum fuit deperditum. Sed respondet Scotus concedendo hoc Christum sciuisse, non tamen totum restauraretur. Primò, quia potentia nutritiua in conuertendo, debilitaretur per multas actiones & reactiones, propter quod etiam si ederet de ligno vitæ, tandem moreretur. Secundò, propter impuritatem alimenti, quod non generaret perfectissimam substantiam: vnde si Adam habuisset nostrum alimentum, tandem fuisset senio mortuus.

Quod hoc non sit morbus, probant Recentiores, nam hoc est consonum naturæ pro illa ætate, aliàs continuè essemus infirmi; quia semper est hæc actio & reactio, & hæc remissio naturæ.

Prima sententia obiicit, anima Christi quia beata, perfectiùs informabat corpus, quàm anima Adæ in statu innocentiæ; sed Adam in illo statu non moreretur, ergo neque Christus. Respondeo, quod licet perfectior sit informatio animæ Christi, tamen cùm gloria animæ non redundaret in corpus, adhuc moreretur: Adam non moreretur præcipuè propter manutenentiam, nam lignum vitæ ex suis viribus, tantùm prolongaret vitam, non verò faceret immortalem.

Secundò obiicit, nulla forma expellitur à materia, absque contrario & intemperie, sed in hac consistit infirmitas, ergo Christus morbo moreretur.

Respondeo, quod morbus non est quæcumque intemperies, sed quę ex humorum infectione, & putredine habitualiter radicatur, & morbus per se primò lædit operationes, quod indecens est Christo; & ita tantum ex defectu humiditatis resolueretur Christus, sine læsione vsus rationis accepta à phantasmatibus.

Petes quartò, an corpus Christi fuerit pulchrum? Negat noster Medina 2. de recta in Deum fide, cap. 7. sed reiicitur ab omni Schola, nam Christus fuit perfectæ pulchritudinis, qualis virum decet, cum magna honestate & grauitate. Ita Chrysostomus, Hieronymus, Clemēs, & alij Patres à Recentioribus relati. Probatur Psal. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*, quod de pulchritudine corporis intelligunt Augustinus, Cassiodorus in hunc locum, Bernardus, Chrysostomus, &c. Ratio est, quia pulchritudo causatur ex debita proportione membrorum, & ex optimo temperamento, sed totum hoc habuit Christus, ergo, &c.

Obiicies Isaiæ 53. *non est species, neque decor.* Respondeo verum esse tempore passionis ex laboribus, imò pulchritudo Christi tenui victu & vigiliis fuit attenuata: In quo excessit Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 17. dicens, faciem Christi fuisse sputaminibus dignam, licet excusetur à Ragusa disput. 112.

Secundò obiicies, quia Euangelij Prædicatorem non decebat pulchritudo. Respondeo verum esse de pulchritudine fœminea, quod fortè dixit noster Medina, falsum de pulchritudine graui & modesta, quæ etiam fuit in Beata Virgine.

Petes quintò, an hi defectus corporales fuerint Christo volūtarij, & sermo est respectu voluntatis humanæ. Et dico primò, quòd fuerunt necessarij, ex naturali necessitate orti. Sic Scotus in 3. dist. 16. quæst. 1. & 2. & Recentiores. Probatur, nam si Christus non bibebat neque comedebat, naturali necessitate sitiebat & esuriebat; vnde si ieiunauit quadraginta diebus & noctibus, fuit miraculum.

Dico secundò, adhuc supposita hac necessitate, isti defectus fuerunt Christo voluntarij. Primò, quia voluntariè illos tolerabat. Secundò, quia poterat, vt instrumentum diuinitatis, etiam si claui corpus eius perforarent, non sentire dolorem, & sentire voluit. Deinde assumebat occasiones horum defectuum ieiunando, & ambulando vsque ad fatigationem: & hoc voluerunt Sophronius in Epistola Synodica, & Damascenus lib. 3. cap. 20. dicens, *nihil enim in ipso coactum conspicitur, sed omnia spontanea*, &c. Ex quo patet, quod mors Christi, & cæterę passiones, licet aliquo modo fuerint violentæ, quia erant contra appetitum sensitiuum, vt patet ex illo, *Pater si possibile*, &c; tamen absolutè & simpliciter fuerunt voluntariæ, sicut contingit in exemplo, de illo qui iacit merces in mare ex metu mortis, quæ dicta colliguntur ex Scoto, in tertio citato.

Petes sexto, an debeat dici Christum contraxisse hos defectus sicut nos? Respondeo negando. Ita Augustinus lib. 5. contra Iulianum, cap. 9. Damascenus, Anselmus, &c. Ratio est, quia nos contrahimus hos defectus ratione peccati originalis, sed in Christo non fuit originale, ergo neque contraxit hos defectus.

Dices cum Durando in 3. distinct. 15. quæst. 1. dicente Christum contraxisse hos defectus, eo quod oriantur ex natura corporis passibilis, sed Christus assumpsit corpus passibile, ergo contraxit hos defectus. Respondeo, quod natura est principium remotum contra-

hendi hos defectus, proximum est peccatum originale; cum verò Christus non cõtraxerit principium proximum, nempe peccatum, ita neque dicendum est contraxisse hos defectus: Possumus tamen dicere illos assumpsisse, non tantùm, quia sunt in natura assumpta, sed quia speciali voluntate illos elegit. Et si quæras, an Beata Virgo contraxerit hos defectus, cum non habuerit peccatum originale? Respondeo illos contraxisse, quia saltem habuit debitum remotum contrahendi peccatum originale, nam erat filia Adæ, & genita per seminalem propagationem, qui defectus non habuerunt rationem pœnæ in Virgine, sed pœnalitatis: & hoc colligo ex Ecclesia, in Secreta Missæ Assumptio nis, vbi dicitur, *pro conditione naᵹra, migrasse cognoscimus.*

DIFFICVLTAS QVINTA.

Vtrum Christus assumpserit defectus animæ & corpori communes?

PER defectus communes corpori & animæ, intelligimus affectiones appetitus sensitiui, quæ habent pro principio animam secundum gradum sentiendi, & dependent ab organis corporis; qui appetitus est duplex, vnus est concupiscibilis, alter irascibilis, (quomodo inter se distinguantur, dixi Tractatu de Beatitudine corporis, cum Scoto in 3. distinct. 34. §. *notandum vlterius*, littera, F,) concupiscibilis habet hæc sex, amorem, desiderium, delectationem, quæ sunt circa bonum: odium, fugam, tristitiam seu dolorem, quæ sunt circa malum; omnes sunt actus, præter delectationem & tristitiam, quæ sunt passiones, vt dixi Tractatu de Beatitudine, cum Scoto in 1. dist. 4. quæst. 6. & sæpè alibi: irascibilis habet quinque actus, timorem, & iram spem, desperationem, audaciam?

Certum est in Christo fuisse prædictas affectiones. Est definitum in sexta Synodo, actione 4. &c. & Ratio est, quia aliàs talis appetitus esset otiosus. Differunt istæ affectiones Christi à nostris, licet sint eiusdem naturæ & entitatis cum nostris, aliàs non essent veræ, sed apparentes. Primò, quia nostræ præueniunt rationem: in Christo autem fuerunt voluntariæ. Secundò, quia in nobis sæpè fiunt contra rationem: in Christo verò minimè. Quæ omnia colliguntur ex Damasceno lib. 3. de Fide cap. 23. Augustino, Athanasio, &c.

Petes primò, an istæ affectiones imperentur, non tantùm à voluntate diuina Christi, sed etiam ab humana: Respondeo, cum Vasquez & Montess. quod etiam à voluntate humana, prout erat instrumentum diuinitatis. Addo, quod etiam si non esset instrumentum Dei, poterat hoc facere, nam media cognitione infusa, poterat esse causa secunda principalis gubernans hos affectus, & hoc non tantum, quia impetrabat à Deo, vt appetitus sensitiuus rationi obediret, sed etiam quia per cognitionem & sympathiam, appetitus Christi semper obediebat rationi, quod existimo habuisse etiam Adam in statu innocentiæ, & Beatam Virginem ex priuilegio.

Petes secundò, an isti motus debeant vocari in Christo passiones? Et respondeo cum Cyrillo, Damasc. Aug. sancto Thoma, quæst 15. art. 4. Lorca disput. 60. posse absolutè vocari passiones. Ratio est quia etiam in Christo, tales motus fiebant cum aliqua alteratione corporali.

Obiicies Hieronymum in illa verba, Matth. 26. *cœpit tristari*, vbi distinguit inter passionem & propassionem, & dicit passionem esse motum inordinatum, & propassionem esse affectum

appetitus non consummatum, qui ideò rationem passionis non attingit; & hanc propassionem concedit Christo, & notat quod Euangelista dixit, *cœpit tristari*, & non dixit, *tristatus est.* Respondeo, quod hæc acceptio non est in vsu, nec secundum Patres, nec Theologos, nec Philosophos, secundū quos nomen *passio*, est cōmune passionibus ordinatis & inordinatis. Rursus], Hieronymus affectum subitò insurgentem vocat propassionem, qui affectus non fuit in Christo. Euangelista dixit *cœpit tristari*, non quia non esset tristitia completa, sed vt ostenderet, quando incœpit talis tristitia.

DVBIVM PRIMVM.

An in Christo fuerit tristitia?

DE Fide est in Christo fuisse aliquam tristitiam. Ita Matth. 26. *tristisi est anima mea vsque ad mortem.* Neque obstat illud Isaiæ 42. *non erit tristis & turbulentus*: Nam respondeo cum Hieronymo, Isaiam tantùm velle vultum Christi fuisse serenum,& non horrendum & asperum, non tamen negauit tristitiam.

Obiicies summum gaudium expellit omnem tristitiam, ex Aristotele 3. & 7. Ethic: sed Christus habebat summum gaudium, siquidem erat Beatus, ergo non potuit habere tristitiam. Respondet Scotus in 3. distinct. 15. Littera, Y, quod in Christo fuit tristitia ob dispensationem, nam summa delectatio non redundabat in portionem inferiorem, quod factum fuit per miraculum. Neque improbabile iudico, quòd docet Canus duodecimo de locis, scilicet delectationem prouenientem à beatitudine, fuisse in Christo suspensam tempore passionis; quod colligitur Matth. 2. *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Nam Christus non fuit derelictus, auferendo ab illo vnionem, vel gratiam, vel gloriam, ergo auferendo lætitiam. Rursus hoc est possibile, & conducit ad excellentiam nostræ Redemptionis, ergo non est improbabile.

Petes primò, in qua potentia fuerit hęc tristitia? Caietanus quæst. 26. art. 7. insinuat solum fuisse in appetitu sensitiuo, non verò in voluntate. Sed oppositum nobis dicendum est, imò iudicat Lorca disput. 61. num. 4. sententiam Caietani non tutam. Probatur ex sexta Synodo generali, vbi ex voluntate Christi inefficacij fugiendi mortem, & ex tristitia quæ ad illam sequebatur, collegit fuisse in Christo voluntatem humananı:& ratio est, nam in Christo fuit nolitio & displicentia mortis, sed ex tali nolitione semper oritur tristitia, & nolitio ad voluntatem pertinet, ergo, &c.

Obicit Caietanus, tristitia semper est de re disconuenienti, sed mors non erat Christo disconueniens, ergo de illa non tristabatur. Probatur minor, nam ad hoc, vt aliquid sit disconueniens, non sufficit quod habeat aliquan oppositionem cum subiecto absolutè considerato, sed requiritur, vt habeat oppositionem cum subiecto existenti in eo statu in quo est; sed in statu in quo erat Christus, non erat illi disconueniens mors, sicut quamuis damnatio filij sit disconueniens patri absolutè, non tamen est disconueniens patri absolutè, in statu beatitudinis, ergo mors Christi iam beati non erat illi disconueniens. Respondeo, quod hoc non concludit, nam Beati, ideò non tristantur de damnatione suorum filiorum, quia Deus suspendit ne causetur talis tristitia propter

pter statum beatitudinis, at verò Christus erat etiam Viator, & noluit Deus suspendere talem tristitiam.

Petes 2. an hæc tristitia fuerit in Christo tantùm secundùm portionem inferiòrem, vel etiam secundum portionem superiorem. Sanctus Thomas, quæst. 15. art. 6. ibi Thomistæ communiter, Albertus, Richardus, & Durandus &c. dicunt quod tantum secundum portionem inferiorem.

Oppositum docet Scotus in 3. dist. 15. ibi Scotistæ: Pro cuius intelligentia, nota cum Scoto §. *quantum ad tertium* quod tam in intellectu quàm in voluntate, datur portio inferior & superior, quæ non sunt diuersæ potētiæ, sed vna & eademmet: portio superior est, quæ respicit solùm æterna, & hæc est portio superior strictè, & secūdum hanc non potest tristari Christus, nam non potest nolle Deum esse. alio modo & largè secundum Augustinum 12. de Trinitate capite 3. sumitur hæc portio pro actibus intellectus & volūtatis, prout feruntur circa quæcunque obiecta, tantum secundū regulas æternas, & hoc modo tripliciter potuit Christus tristari. primò, de carentia beatitudinis, quomodo non fuit tristatus Christus, quia illa non caruit. 2. de peccato proprio, & cum illud non habuerit, neque de illo tristatus fuit. 3. de peccatis alienis, & de hoc fuit tristatus, nam saltem inefficaciter voluit illa non esse, quia erant contra legem æternam: vnde Ambrosius super Lucam ait, *doles Domine non tua vulnera; sed mea*, id est, tristaris de meis peccatis, naturam meam vulnerantibus, non de tuis. Portio inferior est in quantum respicit hæc inferiora, non referendo ea ad æterna.

Dubium est, secundū quā portionē fuerit Christus tristatus de sua morte & passione: pro quo notat Scotus §. *sed quo ad tertium*, quod volūtas dupliciter considerari potest; primo vt natura, & vt dicit appetitum innatū. 2. vt libera, & in quantū dicit appetitum elicitum, & inquit, quod tristitia quæ sequitur ad voluntatē, vt naturam, considerari potest dupliciter; primo, vel sequitur ad voluntatem, vt naturam secundum se, & hoc modo fuit tristitia in voluntate Christi secundum portionem superiorem de sua morte & passione. Probatur, quia vt sic, volebat affectione commodi bonum propriæ personæ in ordine ad finē vltimū, ergò, vt sic, nolebat incōmodum passionis & mortis, & cōsequenter tristabatur de ipsis.

Dices quod, vt sic, non est portio superior, siquidem respicit proprium commodum & nō bonum supremum. Respondet Scotus, quia cum Deus sit supremum commodum, ita proprium commodum, personæ, si ordinetur in Deum, vt Christus ordinabat, pertinet ad portionem superiorem. Vel 2. sequitur ad voluntatem, vt naturam, in quantum habet coniunctionem cum appetitu sensitiuo, & hoc modo, inquit Scotus, quod tantum Christus fuit tristatus secundum portionem inferiorem, & probat, quia intellectus representans voluntati mortem vt disconuenientem appetitui sensitiuo, cū quo habet colligantiam, dicitur portio inferior, siquidem respicit mortem, non secundum rationes æternas, sed temporales, ergò tantùm tristatur secundum portionem inferiorem. Si voluntas, vt libera, consideretur, distinguit Scotus duo, nam vel tristitia sequitur ad actus nolitionis efficacis, & hoc modo ait non fuisse in Christo tristitiam, neque secundum rationem superiorem, neque secundum rationem inferiorem, & probat, quia non fuit in Christo actus efficax neque secundum vnam, neque alteram portionem

nolitionis mortis: vel sequitur ad actū nolitionis inefficacis, & velut condi-tionatum, & hoc modo, ait Scotus, fuisse in Christo tristitiam secundum vtramque portionem, & probat, quia secundum vtramque portionem nolebat inefficaciter mortem, vt diceret, *pater si possibile est, transeat &c.* hæc est mens Scoti, vt colligere potui.

DVBIVM SECVNDVM.

An fuerit dolor in Christo?

SVPPONO dolorem non esse operationem sed passionem, vt dixi de tristitia: distinguntur tamen inter se, licet conueniant in hoc, quod sint passiones de obiecto disconuenienti, cognito vt tali, nam tristitia est de obiecto cognito per imaginationem, vel per intellectum; dolor verò, est de obiecto cognito per sensum tactus, licet ad illum præcedat imaginatio, vt ait Aristoteles 3. de anima: causatur enim dolor ex actu vitali, quo tactus, in quantum appetitus refugit aliquod obiectum disconueniens, & ex actu apprehensionis, quo appræhendit tale obiectum disconueniens, vt dixi proportionali modo de tristitia & gaudio Tractatu de Beatitudine.

Nullus nisi hæreticus, vt vidi diffic. 4. dubitauit in Christo fuisse dolorem. Probatur Isaiæ 53. vbi dicitur Christus *vir dolorum*, id est, maximis doloribus affectus, & ratio est, quia in Christo fuit læsio corporis in sua passione, & fuit cognitio obiecti disconuenientis, ergò resultauit passio dolorifica.

Obiicies Hilarium 10. de Trinitate, sed iam respondi diffic. 4. Obiicies Clementem Alexandrinum lib. 3 Stromatum, qui dixit Christum non indiguisse cibo & potu, & quod non subiiciebatur voluptatibus aut doloribus. Respondeo hoc dixisse, quia hos defectus voluntariè assumpsit, & non coactè; vel quia non necessario oriebātur in Christo, sicut oriuntur in nobis ex peccato. De intensione doloris Christi, dicendum est, quod de facto ita fuit, vt nullus Martyr passus fuit ita grandem, colligitur Threnorum 1. *attendite & videte, si est dolor &c.* & probatur ratione Scoti citati, nam sensus tactus in Christo fuit perfectissimus propter perfectissimam temperiem, & ita Christus magis sensibilis.

DVBIVM TERTIVM.

An in Christo fuerit timor?

DE timore, qui est passio quo timetur aliquod malum, agimus in præsenti, nam de timore, dono Spiritus sancti, egimus cap. 12. diff. 5. fuisse in Christo timorem mortis & passionis, (nescimus Christum timuisse aliam rē) conueniunt omnes Theologi, & ferè omnes Patres apud Recentiores. Probatur Marci 14. *cœpit Iesus pauere & tædere.* Sed contra obiicies Hilarium 10. de Trinitate, Hieronymum, Augustinum negantes fuisse in Christo timorē mortis. Respondeo quod Augustinus exclusit timorem impedientem efficacem voluntatem moriendi: Hilarius exclusit timorem perturbantem rationem, & eodem modo intelligendus est Hieronymus.

Obiicies 1. de natura timoris est, quod respiciat obiectum disconueniens & contingens, ita vt habeat quis spem euasionis, ex Aristotele 2. Rhetor. cap. 5. nam quando aliquid timemus, consulimus de mediis ad illud euadendum, sed Christus certo sciebat suam mortem & passionem futuram, ergo non timebat illam. Propter hoc Caietanus cum sancto Thoma art. 7.

ait, non fuisse timorẽ in voluntate Christi, sed in appetitu sensitiuo, quia Christus per intellectum, certò sciebat futuram suam mortem, quam nesciebat per imaginationem. Sed hoc reiicitur, nam ex illis verbis Matth. 26. *sed non sicut ego volo, sed sicut tu*, collegit sexta Synodus generalis, act. 4. fuisse in Christo voluntatem humanam qua timuit mortem. Rursus hoc commune est apud Patres. 2. in Christo imaginatio sequebatur cognitionem intellectus, sed intellectus Christi certò sciebat suam mortem futuram, ergo ita cognoscebat imaginatio, ergò non erat contingens respectu imaginationis. Propter quod sententiam Caietani improbabilem iudicat Montessinos, & ferè eodem modo ac Caietanus, loquitur Lorca disput. 61. à numero 16. dicens perfectum timorem, qui reperitur in voluntate cum contingentia effectus, non fuisse in Christo, imperfectum verò qui non respicit contingentiam, fuisse in ipso, quod etiam improbabile iudicat Vasquez disput. 61. cap. 3. licet à censura Vasquez velit se Lorca deffendere.

Propter quod, cum Suarez, ad articul. 7. Vasquez citato cap. 4. Montessinos, Respondeo quod etiam in voluntate Christi fuit timor, nam ad hunc non reperitur contingentia, nam mortem timemus, quæ certissima est: & quantum ad hoc eadem est ratio de timore & de spe, & animæ in Purgatorio, beatitudinem quam certò sciunt, sperant, vt dixi capite 12. difficult. 1. Aristoteles loquebatur de timore qui oriebatur ex voluntate efficaci, nam loquebatur de timore quem Oratores intendunt incutere auditoribus, quando persuadent illis fugere aliquod malum & ponere media ad vitandum illud, non verò de timore orto ex voluntate inefficaci, & talis timor fuit in voluntate Christi ortus ex displicentia simplici mortis.

DVBIVM QVARTVM.

An in Christo fuerit propria admiratio?

CERTVM est in Christo fuisse admirationem, Lucæ 7. *Audiens autem Iesus fidem Centurionis, miratus est.* Dubium est an hæc fuerit vera & propria. Diuus Bonauentura in hunc locum, Maldonatus, quod non reprobat Lorca citatus, dicunt non fuisse veram & propriam, sed tantùm exhibuisse signa externa admirationis.

Secunda sententia est Diui Thomæ quæst. 15. articul. 8. ibi Thomistæ, Vasquez disput. 62. capite 4. Hurtado disput. 10. difficult. 13. qui dicunt in Christo fuisse veram & propriam admirationem. Ita Augustinus Epistola 101. Et probatur, quia verba Scripturæ sacræ, in rigore sunt intelligenda, sed sacra Scriptura docet in Christo fuisse admirationem, ergò de propria intelligenda est.

Sed, vt rectè hæc intelligantur, nota quod obiectum admirationis debet esse magnum & excellens, & simul rarum & ex insolitum: propter quod Aristoteles 4. Eth. cap. 3. ait, Magnanimos non esse faciles ad admirandũ, quia nihil eis magnum videtur, & hoc docet Augustinus citatus: & notandum est quod hæc excellentia non sufficit, quod sit in comparatione ad alios, sed debet esse in comparatione ad eum qui admiratur, propter quod in Deo non est ponenda admiratio. Alia species admirationis est, quando quis vidit rem raram, vt insolitam, cuius causam ignorat, quæ admirationis species etiam colligitur ex Augustino citato. Etiam dicitur quod species admirationis est quidam affectus

voluntatis, qui est retractio & submissio ad excellentiam alicuius, & hæc est quædam species timoris, quem fuisse in Christo, dixi cap. 12. difficult. 3.

Ex his ergo, fuisse in Christo admirationem propriè, probatur, nam multa vidit rara & insolita, & magna, vt fidem Centurionis, vt colligitur ex illis verbis, *amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.* quæ fides erat magna, facta comparatione ad scientiam experimentalem Christi, per quam nunquam expertus fuerat istam fidem, neque similem, licet alia scientia talem fidem cognouisset.

Obiicies Augustinum de Genesi contra Manichæos, cap. 8. dicentem in Christum nullam admirationem cadere potuisse, sed tantùm exterius se gessisse quasi admirantem. Respondeo loqui Augustinum de admiratione quæ oritur, ex ignorantia, quæ non fuit in Christo, vt dixi difficult. 3. nam ipse August. vt vidimus, concedit Christo admirationem.

2. Obiicies, admiratio oritur ex desiderio, cognoscēdi causam effectus ad mirabilis, sed in Christo non fuit tale desiderium, quia omnia cognoscebat, ergo &c. Respondeo verum esse de admiratione orta ex ignorantia, non verò de admiratione proueniente ab effectu insolito & raro, nam de scientia pueri, in statu nimis pueri admiramur, etiam si causam illius sciamus.

DVBIVM VLTIMVM.

Vtrum in Christo fuerit propria ira & aliæ passiones?

SVPPONO iram quæ est *appetitus vindictæ*, vt ait Aristoteles 1. de anima, cap. 1. fuisse in Christo, Ioan. 2. vbi dicitur Christum fecisse flagellum ex funibus, quo percutiebat ementes & vendentes in templo, & subditur ibi, *quod recordati sunt Discipuli eius, quia scriptum est.* Psalm. 68. *zelus domus tuæ comedit me,* & zelus species quædam est iræ: ex quo constat quod talis ira fuit Christo licita, & secundum regulas rationis. Ita Patres & Scholastici, nam etiam datur ira licita, iuxta illud Psal. 4. *irascimini & nolite peccare,* ex quo colligo, quod cum verba sacræ Scripturæ in toto rigore intelligenda sint, verè & propriè fuit in Christo ira, quæ primò fuit in voluntate, nam fuit causata ex tristabili spirituali, scilicet ex iniuria Deo facta, ex quo posteà deriuata fuit in appetitum sensitiuum.

De aliis passionibus dicendum est fuisse in Christo. fuit amor & odium, nam istæ passiones sunt primæ causæ cæterarum passionum, fuit etiam desiderium & fuga, nam desiderauit inefficaciter fugere mortem. Fuit etiam delectatio de bonis spiritualibus aliorum, ita vt dicere posset Christus, *cor meum, & caro mea, exultauerunt in Deum viuum.* fuit etiam spes respectu gloriæ sui corporis: fuit desperatio laudabilis & bona de euasione suæ mortis, quidquid blasphement hæretici. fuit etiam audacia & excellens fortitudo, nam audacia materia est fortitudinis, qua fortitudine & audacia expulit timorem mortis, & omnes istæ passiones fuerunt in Christo, tam in voluntate quam in appetitu sensitiuo, & hoc est ita dicendum, quia congruit & non repugnat.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM ET VLTIMVM.

De modo loquendi in hoc mysterio.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrum prædicata naturæ humanæ prædicentur de Deo, & è contra?

QVÆRERE hoc, est idem ac inquirere, vtrum inter naturam diuinam & humanam in Christo, sit communicatio idiomatum, nam idioma, idem est, quod proprietas. Supponendum est de fide, in Christo esse duas naturas, diuinam scilicet & humanam, inconfusas & impermixtas, & quod vnitæ sunt in vnitate personæ, quod definitum est contra Nestorium ponentem duo supposita in Christo, & Eutichetem confitentem vnam tantum naturam mixtam ex diuina & humana: Propter quod Nestorius tantùm admittebat proprietates diuinas communicari naturæ humanæ accidentaliter, & Eutiches communicationem, propter confusionem naturarum, quos errores latè reiicit Bellarminus lib. 3. de Christo, cap. 8. & 9.

Nos verò Catholicè dicimus, quod omnia prædicata naturæ humanæ, in concreto, prædicantur de Deo in concreto, & è contra, omnia prædicata naturæ diuinæ in concreto prædicantur de homine in concreto, & ita istæ sunt veræ, *homo est æternus, immortalis, immensus, &c.* & istæ, *Deus est mortalis, crucifixus, pannis inuolutus, &c.* Probatur ex Sacra Scriptura Ioan. 10. *Antequàm Abraham fieret ego sum.* Et ad Rom. 8. *proprio filio suo non pepercit.* Ita definitum est in Lateranensi, consultatione 5. Can. 4 Ita Patres, Ambrosius, Athanasius, &c. Ex quo reiiciendi sunt aliqui Catholici, dicentes, quod prædicatio vnius naturæ non debet fieri de altera in recto, sed in obliquo, ita vt, cum dicimus, *Deus est homo*, sensus sit, Deus habet hominem, quos reiicit Diuus Bonauentura in 3. dist. 7. art. 1. quæst. 1. Primò, quia hoc sapit errorem Nestorianum, ponentem vnionem accidentalem, nam sicut de homine assumente vestem, non dicitur homo est vestis, sed homo habet vestem, ita de Deo assumente hominem, diceretur Deus habet hominem, & non diceretur Deus est homo, quod est hæreticum. Secundò, quia aliàs posset dici Deus est pes, Deus est manus, siquidem habet pedem & manum.

Propter hoc reiiciuntur alij, quos refert noster Ricardus, dicentes, quod hæc propositio, *Deus est homo*, æquiualet huic, *natura humana est vnita diuinæ naturæ*, nam etiam est vnita pedi diuinitas, & dicetur Deus est pes. Ratio, quare istæ prædicationes sunt veræ, est quam adducit Scotus in 3. dist. 2. quæst. 1. in responsione ad vltimũ: & dist. 7. quæst. 1. ad tertium, & omnes Scholastici, nimirum, quia est vnum suppositum, & istæ proprietates supponunt directè pro supposito habente has naturas; propter quod quando abstractum prædicatur de abstracto, vel abstractum de concreto, vel è contra, sunt falsæ prædicationes (verbi gratia) *homo est æternitas, Deus est mortalitas*, &c. nam nomina in abstracto supponunt pro naturis, & non pro suppositis.

Obiicies, quod Damascenus oratione prima de imaginibus, Fulgentius, Nazianzenus, &c. sæpè prædicant proprietates diuinas, & humanas in Christo etiam in abstracto. Respondeo istos Patres non esset mirandos, quia impropriè loquuntur; quando verò dicunt *natura diuina est Incarnata*: intelligendi sunt hoc sensu, *fuit vnita humanitati*.

Dices, *Deus est deitas, Deus est homo, ergo homo est deitas* Respondet Suarez, quod in sensu identico est concedenda, quia homo supponit pro diuino supposito Secundò respondeo cum Monteſsinos, vt dixi cap. 19. difficult. 2. negando consequentiam; nam variatur appellatio, *nam Deus est deitas*, est vera identicè, *Deus est homo*, est vera formaliter, & ita non sequitur, quod sit deitas, neque formaliter, neque identicè.

Dices secundò, ex dictis sequuntur duo contradictoria simul esse vera, scilicet, *Deus est mortalis, Deus non est mortalis*. Respondet benè Vasq. disp. 63. num. 33. quod negatiua est falsa, quia totum destruit, & ita facit hunc sensum, *Deus neque secundum quod homo, est mortalis*, & ita si aliquando inueniatur apud Patres, *non mortalis*, idem est ac *immortalis*, & ita sunt veræ, *Deus est mortalis, Deus est immortalis*, secundum diuersas naturas, & ita non sunt contradictoriæ. Notat Monteſsinos, quod proprietates notionales Filij prædicātur de homine Christo (verbi gratia) *hic homo genitus est æternaliter à Patre, Christus spirat Spiritum Sanctum*; non tamen proprietates notionales Patris, aut Spiritus Sancti. Ratio est, quia vnio non est facta in persona Patris, aut Spiritus Sancti, sed tantùm in persona Filij.

Obiicies contra nostram rationem, concreta naturarū, vt Deus, homo, &c. directè significant naturam, concreta verò suppositorum, directè significant subsistentiam, *vt suppositum, subsistens*, vt dixi Tractatu de Trinitate; ergo falsum est dicere, quod istæ proprietates supponunt pro supposito. Respondeo hoc habere vim cōtra Vasq. qui, vt ibi vidimus, ait idem esse *supponere & significare*, non verò contra nos, qui vnum distinguimus ab alio, nam aliquando nomen non supponit directè pro eo, quod directè significat, vt contingit in præsenti.

Obiicies secundò, si in his propositionibus, *homo est Deus, Deus est homo*, concreta supponunt pro supposito habente humanitatem & diuinitatem; ergo istæ propositiones sunt idemticæ, siquidem faciunt hunc sensum, *habens humanitatem, est habens deitatem*, & contra, *habens deitatem est habens humanitatem*, quod est idem, ac si dicamus, *Verbum est Verbum*. Respondeo negando sequelam, nam propositio idemtica est, in qua idem prædicatur de seipso eodem modo, & sub eadem ratione formali: In his autem propositionibus, licet prædicetur idem de seipso, non tamen eodem modo, nec sub eadem ratione formali; imò ad veram enuntiationem, quæ fit per verbum, *est*, sicut requiritur aliqua distinctio inter prædicatum & subiectum, ita requiritur aliqua identitas, aliàs non verificaretur.

DIFFICVLTAS SECVNDA.

Vtrum hæc, Deus est homo, sit propria prædicatio, & qualis?

DVRANDVS in 3. dist. 4. quæst. 2. licet Catholicè admittat communicationem idiomatum, dicit hanc propositionem, *Deus est homo*, esse minus propriam, quàm hanc, *Petrus est homo*, & addit quod dummodo sensus verus & Catholicus seruetur in propositionibus, non est curandum de modo loquendi. Sed ab hoc vltimo incipiendo, hoc est absurdum, quia verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, & Concilia etiam modum loquendi circa res fidei definiunt, imò ipsa nomina, vt in Eucharistia, vult Tridentinum, vti nomine Transsubstantiationis.

Propter quod, dico has propositiones, *Deus est homo, & homo est Deus*, esse veras de rigore sermonis & proprias. Ita omnes Scholastici, Thomistæ cum

sancto Thoma, quæst 16. art. 2. Ibi Suarez, Vasquez disp. 63. cap. 3. qui dicunt sententiã Durandi esse erroneam. Probatur, quia definitum est in Concilio Ephesino & Lateranensi, Virginem Mariam esse matrem Dei, & propriè genuisse Deum, quod non esset verum, si istæ propositiones nõ essent propriæ, *Deus est homo, & homo est Deus.* Probatur, syllogismo expositorio, *Verbum est Deus, Verbum est homo, ergo homo est Deus.* Et ratio à priori est, nam *homo* propriè prædicatur de persona naturæ humanę, sed facta vnione, Filius Dei est persona naturæ humanæ, ergo Filius Dei est homo propriè, & verè.

Obiicit Durandus, nam maior identitas est inter Petrũ & hominem, quàm inter Deum & hominem, ergo magis propria est, *Petrus est homo.* Respondeo ad proprietatem enuntiationis, nihil interest identitas realis prædicati & subiecti, nam hæc est propria, *Petrus est albus*, & albedo realiter distinguitur à Petro.

Secundò obiicies, quæ sunt diuersæ naturæ, non prædicantur propriè ad inuicem, nisi sumantur adiectiuè, vel saltem vna illarum, nam non prædicatur, *album est calor*, benè tamen, *album est calidum*; ergo ista, *Deus est homo*, non erit vera, nam substantiuè sumuntur, benè tamen, *Deus est humanus, aut humanitas*, nam ita loquitur Damascenus lib. 3. de Fide cap. 2. Respondeo maiorem esse falsam, nam quando dicitur, *album est calidum*, tàm subiectum, quàm prædicatum sumuntur substantiuè; & licet maior esset vera in creaturis, non tamen in hoc mysterio, nam in creaturis, termini vniuntur accidentaliter, in hoc mysterio duæ naturę substantiales vniuntur in eodem supposito.

Propter quod explicare oportet, an istæ propositiones sint veræ, *Deus est humanus, aut humanatus.* Et respondeo cum communi sententia, quod si *humanus*, aut *humanatus*, sumantur adiectiuè, sunt falsæ, nam denotant vnionem accidentalem. Ita Scotus in 3. dist. 7. quæst. 1. §. *ante litteram*, G, propter quod illam negauit Concilium Francofordiense: si verò *humanatus*, sit participium verbi, *humano, humanas*, quod significat hominem fieri, est vera, sicut dicitur *incarnatus*, à verbo *incarnor*, & in hoc sensu locutus fuit Damascenus. Etiam est vera, si ly *humanus*, pro *benigno* sumatur, nam est idem quod, *homo est benignus.* Etiam neganda est hæc propositio, *Christus est homo deificus*, vel *dominicus*, quam etiam negat Concilium Francofordiense, nam sapit errorem Nestorij ponentis duo supposita.

Obiicies Augustinum, Athanasium, & Epiphanium, qui fatentur hanc propositionem. Sed respondeo, quod Augustinus illam retractauit, alij Patres sumunt adiectiuum pro substantiuo, & in bono sensu sunt explicandi. Eodem modo neganda est hæc propositio, *Christus est homo deifer*, id est, ferens Deum, nam sapit hæresim Nestorianam, & ita eam Patres negant. Concedenda tamen est ista, *Deus est carnifer*, vel *Christus est carnifer*, quia facit hunc sensum, Deus suscepit carnem. Et hæc etiam est vera, *Christus est homifer*, id est, *humanitatem ferens*; non tamen si sumatur pro concreto, vt optimè distinguit Vasquez, quia Verbum non assumpsit hominem, sed humanitatem.

Petunt Recentiores, an hæc sit vera, *Christus Iesus*, vel, *hic homo*, *est diuinus.* Negat Vasquez, quia nihil differt ab illa, *homo est dominicus*; sed admittenda est cum S. Thoma, Lorca, disp. 62. num. 29. & Montesinos: eandem admittit Diuus Dionysius, nam *dominicus* significat possessionem rei diuersæ naturæ; *diuinus*, propriè dicitur, quod est ali-

quid Dei, naturam eius participans: ita dicimus, *personam diuinam*, *Verbum diuinum*, *omnipotentiam diuinam*; ita quoque dicimus *diuinũ Iesum*: non tamẽ dicitur, *natura humana est diuina*, quia natura humana in se nihil habet diuinitatis.

Quærit Suarez, vtrum hæc sit vera, *Christus est persona humana*. Respondendum est cum distinctione, si nomine personæ intelligatur, quæ simpliciter constituitur per naturam humanam, est propositio Nestoriana; si intelligatur, quæ terminat naturam humanam, est vera, & ita intelliguntur Damascenus & Ambrosius, cum dicunt in Christo est persona hominis, id est, est persona, quæ terminat naturam humanam.

Quærit secundò Suarez, vtrum homo dicatur vniuocè de Deo, seu Christo, & de cæteris hominibus? Respondet Scotus in 3. dist. 7. quæst. 1. §. *quarto videndum*, hominem esse vniuocum prædicatum, non tamen vniuoce prædicari. Vt sit vniuocum prædicatum, sufficit vnitas conceptus, & secundum illum prædicari: vt vniuocè prædicetur, requiritur includi prædicatum essentialiter in subiecto; vnde quia homo sic non includitur in Deo, & in nobis essentialiter includitur, hinc est, quod vniuocè non prædicetur de Deo, & de nobis.

Circa secundum, nempè qualis sit hæc propositio, *Deus est homo*; Durandus & Paludanus, quos sequuntur Vasquez, disp. 68. cap. 2. Hurtado disp. 11. difficult. 4. insinuat Suarez, qu. 16. ad art. 1. dicunt, quod est in materia contingenti. Sanctus Thomas, art. 1. ibi Caietanus, Medina, & Montessinos, dicunt esse in materia naturali. Nobis dicendum est cum Scoto, §. *quinto videndum*, ibi Scotistæ, Rada controuersia 8. art. 1. Faber, disp. 17. cap. 2. Lorca disp. dub. 2. Diuus Bonauentura, &c. & insinuat Suarez, hanc propositionem non posse definiri iuxta regulas Dialecticorum, cum sit vera, media vnione supernaturali, & ita, dicta propositio aliquo modo est per se, aliquo modo per accidens, aliquo modo in materia naturali, aliquo modo in contingenti: est per se, quia prædicatum, *homo*, competit Deo vniuocè, sicut & Petro, & ita ly, *homo*, est species & constituit ens per se, nam *homo*, & *Deus*, vniuntur substantialiter, & *homo* enuntiat, quod conuenit per modum substantiæ. Est ens per accidens, quia prædicatum, *homo*, potest adesse & abesse, quod est proprium accidentis. Secundo, quia si homo prædicaretur per se de Deo, prædicaretur de Patre & de Spiritu Sancto, sed hoc est falsum, ergo, &c.

Respondent Caietanus, & Montessinos, quod subiectum, *Deus*, supponit pro supposito Filij; quia prædicatum facit sic supponere, & ita solùm hæc est vera, *Verbum est homo*. Sed contra, quia ex hoc colligitur, quod non sit propositio per se, nam propositio per se, ex Aristotele primo Posteriorum, cap. 4. est de omni, id est, competit omnibus contentis sub subiecto, & conuenit pro omni tempore: cum ergo hoc prædicatum, *homo*, non conueniat Patri & Spiritui Sancto, qui continentur sub hoc nomine, *Deus*, neque conueniat pro omni tempore; non erit propositio per se. Secundo, quia hîc loquimur, non in re, sed in modo significandi, & nomen, *Deus*, non tantùm significat Filium, sed Patrem & Spiritum Sanctum. Tertiò, probant aliqui, quia in propositione naturali, prædicatum dicitur de subiecto, etiam cum reduplicatione; sed hæc est falsa, Deus in quantum Deus, est homo, ergo hæc, Deus est homo, non est in materia naturali. Responsionem Caietani optimè reiicit Vasquez; videatur.

Obiicies

Obiicies, hæc propositio *Deus est homo*, potius est in materia remota, nam naturæ sunt diuersæ & contrariæ. Respondeo negando, nam propositiones affirmatiuæ in materia remota, sunt falsæ, vt *homo est lapis*: Deinde ista propositio, non denuntiat naturas propter identitatem earum, sed propter connexionem in vno supposito.

Obiicit secundò Diuus Thomas, *homo* prædicatur per se de qualibet hypostasi naturæ humanæ, sed facta vnione, Deus est hypostaticè vnitus humanæ naturę, ergo *homo* de Deo pręedicatur per se. Respondeo, quod maior est vera, si suppositum coalescat ex suppositalitate & natura humana, & cum Deus non includat humanitatem, hinc est quod non prædicatur *homo* de Deo.

Obiicit Montessinos, istæ sunt per se, *Christus est Deus*, *christus est homo*; ergo & istæ, *Deus est homo*, nam impossibile est, quod duo prædicata accidentaliter dicantur de seipsis, & per se dicantur de aliquo tertio. Propter hoc argumentũ, videndum est, vtrũ ea quæ dicuntur de Deo, dicãtur de Christo. Et suppono, quod omnes istæ propositiones sunt veræ, *Christus est homo*, *Christus est Deus, Christus est mortalis, Christus est immortalis*. Dubium est qualis sit ista, *Christus est homo*. Lorca num. 32. Vasq. cap. 3. Suarez art. 1. Hurtado disp. 11. difficult. 10. & Medina dicunt esse per se.

Nobis dicendum est cum Scoto, §. *quinto videndum*, littera, E, Fabro cap. 2. Bassalis, Paludano, &c. Quod non est per accidens, nam hoc impugnat Scotus contra Varronem; nec omninò per se. Probat Scotus, nam ad propositionem per se, requiritur quod subiectum illud sit vnum per se, vt colligitur ex Aristot. 5. Metaph. sed Christus non est vnum per se, sed sunt duæ naturæ substantiales vnitę in vnitate suppositi, ergo omninò per se non prædicatur de Christo, quod sit homo, licet humanitas spectet ad quidditatem Christi, vt docuit ibi Scotus ex Damasc. lib. 3. cap. 3. Ex quo respondeo ad argumentum Montessinos, quod *hæc Christus est homo*, &c. non est omnino per se, sicut neque ista, *homo albus est coloratus*, ex quo rencio Radam, qui conclus. 6. fatetur sine distinctione illam esse per se.

Obiiciunt Vasquez & Hurtado, sic hæc est per se, *album est coloratum*, & album non est vnum per se: ergo & ista, *christus est homo*, erit per se, etiamsi *Christus* non sit vnum per se. Respondeo diuersum est, *album*, ab hoc *homo albus*, nam, *album*, est concretum, quod pro formali dicit formam, & connotat subiectum; at verò *homo albus* dicit æquè vtrumque, sicut *Christus* æquè humanitatem, & diuinitatem.

Secundò obiicies, hæc est in quarto modo dicendi per se, *iugulatus interiit*, & tamen subiectum non est per se, nam includit animal & iugulationem. Respondeo hoc non esse ad propositum, vt ipse Vasquez num 5. fatetur, sed dicitur per se, quia subiectum, scilicet *iugulatus*, includit causam inhærentiæ interitus.

DIFFICVLTAS TERTIA ET VLTIMA.

Vtrum ista sint vera, Deus factus est homo, & homo factus est Deus?

CIRCA primam propositionem, suppono esse de Fide. Probat Scotus Ioan. 1. *Verbum caro factum est*; & ex Symbolo, *Et homo factus est*; solum potest esse dubium, an sit propria de rigore sermonis? Diuus Bonauentura in

3. dist. 7. art. 1. quæst. 2. dicit esse impropriam. Nobis tamen dicendum est cum Scoto in 3. dist. 7. art. 1. quæst. 2. littera, A, §. *Sed tantum*, & cum communi sententia, & Diuo Thoma q. 16. art. 6. ibi Suarez, Vasquez disp. 64. Lorca disp. 65. esse propriam. Probatur primò, nam verba Sacræ Scripturæ in toto rigore sunt intelligenda, sed ex Sacra Scriptura constat Verbum factum esse hominem, vt vidimus, ergo, &c. Probat Scotus, quia factio passiua non includit formaliter, nisi habitudinem facti ad faciens, & ordinem ipsius facti ad non esse præcedens, sed Deus per actionem alicuius facientis, scilicet Trinitatis, & est homo, & non semper fuit homo, ergo propriè factus est homo. Probatur minor, quia quando aliqua necessariò concomitantur, si vnum est per factionem alicuius, etiam & reliquum; sed naturam humanam vniri Verbo personaliter, & Verbum esse hominem, necessario concomitantur, & natura humana est vnita Verbo per factionem Trinitatis, ergo fecit etiam Verbum esse hominem.

Sed obiicit Diuus Bonauentura, quia si esset propria propositio, sequeretur Deum mutatum esse. Respondet Scotus negando sequelam, nam tantùm humanitas mutatur, & hoc sufficit, vt saltem factione quadam secundum *dici* & extrinseca denominatione, verè & propriè dicatur, *Deus factus est homo*, sicut verè & propriè paries denominatur dexter, à dexteritate existente in animali.

Dices, si natura humana fuit mutata, saltem per communicationem idiomatum, hæc erit vera, *Verbum est mutatum*. Respondeo cum Vasquez, primò negando, quia quæ dicuntur de humanitate, solum in concreto, verè prædicantur de Deo, non verò, quæ dicuntur in abstracto, vt dixi difficult. 1. Secundò respondeo, cum Scoto littera, E, quod per communicationem idiomatum, solum dicuntur de Deo, quæ sequuntur vnionem, non verò, quæ exprimunt vnionem, vel quæ conducunt ratione viæ ad vnionem, aliàs sicut dicitur natura diuina assumpsit humanam, diceretur per communicationem, natura diuina assumpsit naturam diuinam, quod est falsum.

Instabis, ergo Deus non dicetur genitus, nec conceptus ex Virgine per communicationem, siquidem generatio est prius natura quam sit vnio, & est veluti via ad vnionem. Respondeo negando sequelam, nam non loquimur de his quæ præcedunt, & sunt viæ ad productionem humanitatis, sed de his quæ sunt viæ ad vnionem.

Sed instabis secundò, si Verbum dicitur genitum, & conceptum, ergo & mutatum. Probatur consequentia, nam cōceptio & generatio sunt species mutationis. Respondeo negando consequentiam, nam generatio & mutatio formaliter distinguntur, & ita optimè Verbum dicitur genitum, quia generatio denominat terminum ad quem, verbi gratia, *hominem*, & cum ea quæ conueniunt *homini*, conueniant Deo, optimè dicitur Deus genitus; mutatio verò non denominat nisi subiectum (verbi gratia) in generatione substantiali, materiam primam, in hoc mysterio, humanitatem; & quæ conueniunt humanitati in abstracto, non prædicantur de Deo, vt dixi difficult. 1. Addo cum Scoto, quæst. ista 2. littera, E, quod ad hoc quod humanitas propriè dicatur mutari, requiritur quod tempore pręcedat ipsam assumptionem, quod in præsenti non contingit.

Quæres vtrum hæc sit vera, *Deus factus est hic homo?* Respondet Suarez, & alij affirmatiuè, quia factus est ho-

mo singularis; & facit hunc sensum, Deus factus est suppositum terminans naturam humanam.

Obiicies, *Verbum factum est hic homo hic homo est Deus, ergo Verbum factum est Deus.* Variè respondent Auctores: Suarez dicit quod est syllogismus in quatuor terminis: Vasquez, & Hurtado dicunt, quod in illo est fallacia accidentis, vt cum dicitur video venientem, sed veniēs est albus, ergo video album: consequentia est falsa, nam à longè non cognoscitur, quod sit albus: valeret tamen consequentia si diceretur, ego video illum qui est albus. Sic etiam valeret consequentia, si diceremus, ergo *Verbum factum est ille, qui est Deus.*

Lorca respondet, quod hic syllogismus peccat, quia ex pluribus particularibus nihil sequitur, sicut in isto syllogismo, quod ego sum tu non es, ego sum homo, ergo tu non es homo. Et si instes, quod etiam hic syllogismus est ex particularibus, & benè infertur, *hic homo mortuus est, Deus est hic homo, ergo Deus mortuus est.* Respondetur esse verum ratione materiæ, & per cōmunicationem idiomatum, non verò ratione formæ.

Quartò respondet Montessinos, quod in dicto syllogismo variatur suppositio, nam cum dico, *Verbum factum est hic homo*, cùm *hic homo*, sumatur à parte prædicati, supponit formaliter; sed in minori cum dico, *hic homo est Deus*, cùm ponatur à parte subiecti, supponit materialiter pro persona, & fortè hoc est, quod inquit Suarez, esse syllogismum in quatuor terminis.

Ex his constat, has propositiones esse veras, *Deus factus est Christus, Iesus, Emanuel*, &c. Nā sensus est, *factus est hic homo*, secus est de ista *Petrus factus est homo*, nam *Petrus* non præsupponitur ad esse hominis, sicut præsupponitur *Deus*, & ita saltem in hoc sensu non est vera.

Circa secundam propositionem, scilicet, *homo factus est Deus*, prima sententia negat esse veram de rigore sermonis. Ita Diuus Thomas, quæst. 16. art. 7. ibi communiter Thomistæ, Suarez, Vasquez disp. 64. cap. 2, Montessinos tenet ex parte, Lorca disp. 63. citata, & vt probabilem deffendit Rada controuers. 8. art. 5 conclus. 5. sed loquitur contra nostrum Doctorem Subtilem.

Nobis dicendum est, cum Scoto in tertio, dist 7, quæst. 2. à littera C. & Scotistis. Rada conclusione 2. Fabro disput. 18. Gabriele, &c. hanc propositionem simpliciter esse veram. Pro quo notandum est, quod si ly, *factus*, se teneat ex parte subiecti, quasi dicamus, *homo qui est factus, est Deus*; est falsa, quia, *homo*, cum etiam includat suppositum, non est factum. Secundò si ly, *factus*, sumatur ex parte prædicati, ac si dicamus, *homo est Deus, qui est factus*, etiam est falsa; nam Deus non est factus: sed istæ locutiones sunt impropriæ, vt docet sanctus Thomas art. 7. Tertiò si per ly, *factus*, significemus aliquem hominem acquisiuisse diuinum *esse* per factionem, ita quod talis homo præsupponatur, & supponat pro supposito; etiam est falsa propositio, nam Christus non fuit præsuppositus ad vnionem, nam semper fuit Deus, in quo sensu diximus cap. 19. diffic. 2. esse falsam propositionem, *Christus prædestinatus est filius Dei.* Quarto modo potest terminus, *homo*, supponere pro natura humana, & in hoc sensu, inquiunt, Faber disp. 18. & quidam alius ex nostris, quod est vera, & ita loquitur Scotus. Sed contra primò, quia humanitas non est facta Deus. Rursus humanitas non est homo, ergo in hoc sensu non verificatur propositio. Secundò, quod Scotus quæst. illa secunda, nec verbum habet de humanitate. Lorca & Rada

dicunt, quod *homo* supponit in illa propositione, suppositione simplici & immobili, pro *homine* in communi, & abstracto à singulari, in quo sensu nō semper *homo* fuit Deus, & ita est vera, *homo factus est Deus*, sed hoc reieci cap. 19. diff. 2. contra Suarez & Vasquez.

Propter quod philosophandum est de hac propositione, *homo factus est Deus*, sicut ibi dixi de illa, *Christus praedestinatus est filius Dei*, quae est vera sumendo totum hoc complexum: Et probatur ex Augustino, primo de Trinit. cap. 13. dicente, *tali fuit illa vnio, vt Deus faceret hominem, & hominem Deum.* Et Gregor. Nazianz. orat. 55. *hic homo, Deus effectus est.* Idem habet Damasc. lib. 3. cap. 11.

Respondent Recentiores, quod isti Patres piè explicandi sunt, sumendo concretum pro abstracto, id est, *factum est vt natura humana Christi subsistat in persona Verbi*; sed contra, quia in hoc sensu loquitur Scotus, & loquitur vt Patres; in quo sensu dicit solum esse veram propositionem: & ipsi Recentiores dicentes absolutè esse falsam, loquuntur contra Patres, qui eodem modo loquuntur de ista propositione, ac de illa, *Deus factus est homo.*

Ratione probatur à Scoto, illud simpliciter enuntiatur tale, quod per actionem alicuius agentis fit tale, & prius non erat tale; sed homo per actionem Trinitatis fit Deus, & priùs non erat Deus, ergo verè & simpliciter enuntiatur, *homo factus est Deus*. Et confirmatur, quia vnio est relatio mutua, sed per vnionem haec est vera, *Deus factus est homo*, ergo similiter ista, *homo factus est Deus*; eo tamen discrimine, quod haec relatio est realis in humanitate, in Verbo verò solùm rationis, vt dixi cap. 5. diffic. 5.

Respondent Thomistae, quod vt haec propositio esset vera, *ly homo* debebat praesupponi aliqua prioritate ad illud praedicatum, *Deus*, quod in praesenti non supponitur. Sed contra obiicit Scotus, nam non est necessaria ista praecessio, nam haec est vera propositio, *tempus incipit esse dies*, nec tamen illud tempus prius fuit quam esset dies; similiter haec est vera, *Petrus incipit esse homo*, ergo in rigore potest dici aliquid fieri tale, & si ipsum non praecesserit.

Secundò probatur ex eodem Scoto, nam hęc est vera, *Deus est homo*, ergo & ista, *homo est Deus*, nam à conuersa ad conuertentem bona est consequentia: ex quo patet, quod neque Vasquez, neque Lorca, neque Montessinos viderunt, nec intellexerunt Scotum, quippe dicunt hoc argumentum non esse Scoti: sed quidquid sit de hoc, respondet Caietanus, & cum eo Recentiores, quod *homo factus est Deus*, non est conuertens illius propositionis, sed haec, *is qui factus est homo, est Deus.* Sed contra, quia conuersio est trāsmutatio subiecti in praedicatum, & praedicati in subiectum; sed, *homo*, qui est praedicatum in conuersa, non est subiectum in ista propositione, *is qui factus est homo, est Deus*, ergo non est conuertens. Secundò, quia haec propositio, *is qui factus est homo*, &c. facit hunc sensum, *Deus qui factus est homo, est Deus*, in qua subiectum & prędicatum est *Deus*, ac si dicamus, *Deus est Deus.* Sed instat Caietanus, quod ista conuersio, *paries factus est albus*, ergo *album factum est paries*, non valet, ergo eius conuertens est, *quod est factum album, est paries.* Respondeo negando hanc esse conuertentem, benè tamen primam; sed non est vera, quia paries fit accidentaliter albus, & non per se & substantialiter, quod requiritur ad hoc quod valeat consequentia in conuersis. Vel dicamus, quod facit hunc sensum, *factum est, vt albedo sit in pariete.*

Obiicit prima sententia Damascenum 3. de Fide cap. 2. dicentem, vt non hominem deitate affectum dicamus, sed Deum humanitatem assumpsisse. Respondeo, vt ipse Vasquez fatetur, loqui Damascenum contra hæreticos, dicentes naturas in Christo mansisse confusas & mixtas.

Obiicies secundo, Cyrillum, Alexandrinum, qui aduersus Anthropomorphitas cap. 12. *nec enim homo, (vt quidam volunt) Deus est effectus vnitus Verbo: sed Verbum ipsum, carne assumpta, homo factum, mansit etiam Deus.* Respondeo loqui cōtra hæreticos, asserentes naturā humanā conuersam esse in deitatem, in quo sēsu falsa & hæretica est propositio.

Ratione obiicies, quia *homo*, in tali propositione supponit pro supposito naturæ humanæ, & falsum est quod illud factum fuerit Deus. Respondet Faber, & ille Recentior Scotista, quod non supponit nisi pro natura humana. Sed reiicitur, nam, vt dixi, de illa non verificatur, quod sit Deus. Propter quod respondeo, vt dixi cap. 19. diffic. 2. de prædestinatione Christi, quod si per ly, *homo*, determinetur subiectum, est falsa propositio propriè & logicè loquendo, & ita vt vera sit, non est determinandum, sed totum hoc complexum simul debet sumi.

Secundò obiicies, nam sequeretur, quod ista esset vera, *Christus factus est Deus*, quæ est falsa, quia Christus dicit hoc totum, *Deus & homo*, & Deus homo non est factus Deus, alioquin Verbum esset factum Deus. Probatur sequela hoc syllogismo, *hic homo est Christus, sed hic homo factus est Deus, ergo Christus factus est Deus.* Respondeo syllogismum peccare in æquiuocatione, nam ly, *hic homo*, in maiori supponit pro toto illo, quod est in Christo, scilicet pro personalitate & naturis in illa vnitis; in minori solum potest supponere (si seorsim supponere potest) pro singulari natura humana, & ita sunt quatuor termini, scilicet, *Christus, Deus, & hic homo*, diuerso modo sumptus.

Tandem obiicies Petrum Diaconum, lib. de Incarnatione dicentem, *Deus factus est Christus, non tamen Christus factus est Deus.* Respondeo, quod secundam negaui propositionem, quia cum dicitur, *Christus*, vel, *hic homo*, singulariter, vel demonstratiuè, significatur suppositum, nam tunc, *homo*, supponit personaliter, & suppositum Christi non est factum Deus, nam ipsum est Deus, quod non habet, *homo*, cum dicitur, *homo factus est Deus*, nam, *homo* supponit immobiliter & simpliciter.

Quærit Scotus, quæ ex his propositionibus, sit magis propria, *homo factus est Deus*, vel, *Deus factus est homo?* Et respondet littera, D, quod in hoc mysterio, hæc est prima, *natura humana vnita est personaliter Verbo*, & ex hac immediatè sequitur, quod *Verbum sit homo*, nam virtute vnionis est subsistens in natura humana; & ex hac sequitur, quod *homo sit Deus*, per conuersionem; & ita licet vtraque sit propria, *Deus factus est homo*, est immediatior, nam eodem modo philosophandum est de ly, *factus*, ac de ly, *est*.

Pro complemento dicendum est de propositionibus quæ enuntiantur cum his notis, *in quantum, vt, secundum quod, quatenus, &c.* (quando sumantur reduplicatiuè, & quando specificatiuè) dixi cap. 19. diffic. 4.) & prima regula sit, quoties de Christo enuntiatur prædicatum humanum, cum particula, *in quantum*, &c. supra terminum diuinum, siue specificatiuè, siue reduplicatiuè sumatur, propositio est falsa (verbi gratia) *Christus in quantum Deus, est mortalis, conceptus, natus*, &c. Ratio est, quia terminus diuinus non potest esse ratio, quare Christo conueniat prædicatum hu-

manum. Idem dicendum est, quando de Christo enuntiatur prædicatum diuinum, cum particula, *in quantum, &c.* supra terminum humanum, (verbi gratia) *Christus in quantum homo, est immortalis, filius Dei naturalis, Creator,* &c.

Secunda regula, si prædicatum humanum enuntietur de Christo, vel de Deo, cum nota, *in quantum*, supra terminum humanum, si prędicatum sit essentiale termino supra quem ponitur, *in quantum*, tunc erit vera propositio, & ly, *in quantum*, sumitur reduplicatiuè (verbi gratia) *Christus, vel Deus, in quantum homo, est animal rationale*: Nam redditur ratio, quare Christus sit animal rationale, nimirùm, quia est homo: si verò prædicatum non sit essentiale, vera erit propositio, si ly, *in quantum*, sumatur specificatiuè, non verò si sumatur reduplicatiuè, (verbi gratia) *Christus, vel Deus, in quantum homo, est mortuus*, nam ratio quare mortuus sit Christus, non est homo, sed mors: est verò humanitas subiectum, cui conuenit mors, & ita si ad illam restringatur, est vera. Idem dico si prædicatum diuinum enuntietur de Christo, vel Deo, cum ly, *in quantum*, supra terminum diuinum (verbi gratia) Christus in quantum Deus est omnipotens, specificatiua est vera, non verò reduplicatiua, nam ratio formalis quare sit omnipotens, non est deitas, sed omnipotentia.

Quærit S. Thomas art. 12. vtrum hæc sit vera, *Christus secundum quod homo, est persona?* Diuus Bonauentura in 3. dist. 10. art. 1. quæst. 2. Durandus & Paludanus, quæst. 1. negatiuè respondent. Vasquez disp. 69. cap. 2. Lorca disp. 66. num. 12. Hurtado disp. 11. diffic. 13. affirmant, siue *secundum quod*, sumatur specificatiuè, siue reduplicatiuè.

Nobis distinguendum est, si ly, *secundum quod* sumatur reduplicatiuè, est falsa. Probatur, nam *homo* non est ratio formalis, ob quam Christus sit persona, & si esset vera talis propositio, sequeretur hanc esse veram, *Christus, in quantum homo, est Deus.* Probatur hoc syllogismo, *Christus in quantum homo est persona diuina, persona diuina est Deus, ergo Christus in quantum homo est Deus.* Neque specificatiuè est vera, in quo dissentio ab aliquo ex nostris, nam secundum Scotum, specificatiua restringit terminos, & ratio personæ non conuenit præcisè Christo quia est homo, sed etiam quia est Deus, erit vera si ly *homo*, sumatur pro supposito, vel si dicamus, *Christus secundum humanitatem est in aliqua hypostasi*, id est, *humanitas, est in hypostasi.*

Obiiciunt Recentiores, *homo*, est concretum, & ita, tàm humanitatem quàm suppositum includit, ergo vera erit propositio, *Christus secundum quod homo est persona.* Respondeo verum esse absolutè, at verò cum particula *secundum quod*, vel restringit, vel denotat solùm humanitatem esse rationem personæ, quod est falsum, & ita propositio falsa; sicut persona, vt persona, non dicit naturam, sed tantùm personalitatem, ita Christus, vt homo, solum humanitatem dicit. Propter quod, neque istæ sunt veræ specificatiuè, nec reduplicatiuè, *Christus in quantum homo, est persona diuina*, vel, *est persona humana*, neq; ista, *Christus in quantum Deus, est persona humana*, tantùm possunt esse veræ materialiter, & explicatè, vt dixi, & vt est vera eius propositio de inesse, *Christus est persona humana*, vt dixi difficultate secunda.

FINIS.

INDEX RERVM NOTABILIVM quæ in hoc Tractatu continentur.

In quo littera P. Paginam. C. vero columnam denotat.

A

B

H

I

O

P

T

FINIS.

APPROBATIO.

NOs infra ſcripti Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctoris Sorbonici, teſtamur, nos perlegiſſe librum cui titulus eſt, *Tractatus de Incarnatione. R. P. Fr. Franciſci Felicis ord. Minor. regul. Obſeru. & in Conuentu ſancti Didaci Complut. in ſacra Theologiâ Lectoris Iubilati*, in quo nihil deprehendimus contrarium fidei Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ, aut bonis moribus. In cuiusrei fidem Chirographum appoſuimus. Die Iulij tertia Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo.

DE FLAVIGNY.

FLEVRY.

SVPERIORVM PERMISSIO.

EGo Frater Ioannes Breard, Doctor Theologus, & Majoris Conuentus Fratrum Minorum Pariſienſium Guardianus, viſâ Doctorum Approbatione, licentiam facio P. ac Fratri Ægidio Nublé Theologo, prælo mandandi, librum, qui *de Incarnatione Verbi Diuini Tractatus ſingularis* inſcribitur, à Reuerendo Patre Franciſce Felice Ordinis noſtri in Theologia Profeſſore compoſitum, quòd omnibus Theologis vtilem fore, & iis præcipuè qui Subtilis Doctoris Sententiam amplexantur, maximam lucem allaturum ſperem. Datum Pariſiis hac die 30. Iulij anni Domini 1641.

F. I. BEREARD.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos Amez & feaux les gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, leus Lieutenans, & à tous autres Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre bien-aymé Iacques Quesnel, Marchand Libraire de Paris, nous a fait dire & remonstrer, qu'il luy auroit esté mis en main vn manuscrit d'vn Liure, intitulé *Tractatus de Incarnatione Reuerendi Patris Fr Francisci Felicis Ordinis Minorum regul. obseruat. & in Conuentu sancti Didaci Complutensis in sacra Theologi Lectoris iubilati*, lequel pour l'edification de ceux qui sont amateurs des Lettres & Sainctes Escritures; l'exposant desireroit faire imprimer & mettre en lumiere: Mais s'estant mis en grands frais & despens pour cét effect, & craignant qu'à son prejudice les autres Libraires & Imprimeurs entreprennent d'imprimer ledit Liure, & iceluy exposer en vente; Il nous a tres-expressément supplié luy pourueoir sur ce de nos Lettres necessaires. A CES CAVSES, desirant subuenir audit exposant, à ce qu'il ne soit frustré de son labeur & frais qu'il luy conuiendra faire pour l'impression dudit Liure, NOVS luy auons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces presentes, d'imprimer ou faire imprimer en telle marque ou caractere que bon luy semblera, le Liure susdit, iceluy faire mettre & exposer en vente durant le temps de dix ans, à commencer du iour & datte qu'il sera paracheué d'imprimer: Deffendant expressément à tous Imprimeurs de nostre Royaume, autre que celuy qui sera nommé par l'exposant, & à toutes autres personnes, de quelque qualité & condition qu'ils soient, de l'imprimer ou faire imprimer, mettre en vente durant ledit temps, sans le congé & permission dudit exposant, sur peine de confiscation desdits Liures, d'amende arbitraire, & de tous despens, dommages & interests enuers l'exposant. VOVLONS en outre, qu'en faisant mettre au commencement ou à la fin dudit Liure ces presentes, ou vn brief Extraict d'icelles, qu'elles soient tenuës pour signifiées & venuës à la cognoissance de tous, cessant & faisant cesser tous troubles & empeschemens à ce contraires, nonobstant oppositions ou appellations quelsconques; à la charge toutesfois de mettre deux exemplaires dudit Liure en nostre Bibliotheque, & vn és mains de nostre Amé & feal Cheualier de nos Ordres, Chancelier de France le Sieur Seguier auant que de l'exposer en vente, à peine d'estre descheus de l'effect des presentes; CAR tel est nostre plaisir. DONNE' à Paris le seiziéme iour de Iuillet, l'an de grace mil six cens quarante & vn: Et de nostre regne le trente-deuxiéme.

Par le Roy.

DE BEAVRAINE.

Erratorum I*ndex in quo litteræ P. paginam, C. columnam l. lineam ſignificant.*

P.30. c.1. l.36. duplex. lege, dupliciter.
P.43. c.1. l.23. eſt actus, lege; ſunt actus.
P.56. c.2. l.36. gratiam & gloriam deſiderabat dele.
P.57. c.1. l.2. &, lege; eſt.
P.58. c.2. l.1. detractæ, lege ; decretæ.
P 59. c.2. l.14. quænam, lege; quodnam.
P.16. c.1. l.4. Chriſtum redemptorem, leges, Chriſti redemptoris. ibid.
P.72. c.2. l.3. qua ſimul fuerint, lege; quæ ſimul fuerunt.
P.73. c.2. l.20. ergo, lege; autem.
P.94. c.2. l.38. ſubſiſtentia, lege; ſubſtanria..
P.104. c.1. l. vltima, haberemus, lege; habebimus.
P.114. c.1. l.21. Cartilaginenis, lege; Cartilagines, ibidem, c.2. l.16. aut, lege; nec.
P.115. c.1. l.22. obiicit, lege; Obiicies.
P.117. c.2. l.13. præceſſerit, lege; præceſſiſſet.
P.133. c.2. l.20. fuerit, lege; fuerat.
P.137. c.1. l.18. prædicamenti, leges prædicati.
P.138. c.1. l.26. eſt aliud, lege; ergo eſt aliud.
P.148. c.1. l.19. per, lege; &.
P 154. c.1. l.15. non, lege; nam.
P.170. c.1. l.11. fuerint, lege; non fuerint.
P.238. c.1. l.43. ad hoc, lege; ad huc.